2 vols M.m c

CASUS
CONSCIENTIÆ

TOMUS PRIMUS

Tout exemplaire non revêtu de la signature de l'auteur sera réputé contrefait.



CASUS

CONSCIENTIÆ

IN PRÆCIPUAS QUÆSTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

AUCTORE

P. JOANNE PETRO GURY, S. J.

THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORE

Longum iter est per præcepta, breve
et efficax per exempla.
(SENEC. Epist. 6.)

WITHDRAWN

EDITIO OCTAVA

TOMUS PRIMUS

240.01
G981C8
v.1

PROVINCIÆ
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

LUGDUNI
APUD DELHOMME ET BRIGUET
VIA DICTA « AVENUE DE L'ARCHEVÊCHÉ, 3 »

PARISIIS
APUD VICTOR LECOFFRE, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA « BONAPARTE, 90 »

M DCCC XCI

CASUS CONSCIENTIÆ

CASUS
DE ACTIBUS HUMANIS

De necessitate voluntatis et advertentiæ mentis ad actum vere humanum, seu ad actum formaliter bonum vel malum. — De efficacia speciali voluntarii indirecti : utrum sit semper imputabile agenti? — Quomodo actus ex ignorantia, metu, vi, concupiscentia, sint imputabiles? — Quomodo moralitas ex objecto, fine et circumstantiis proveniat?

CASUS I

DE VOLUNTARIO 1°

1° Arnulfus, homo probus, sed indole petulans, cum inimico suo occurrisset, ab eoque non solum verbis, sed et verberibus lacessitus et impetitus fuisset, desiderio illum occidendi inardescit, et arrepto pugione in eum irruit. Verum, iræ impetu cohibito, ab inimico aufugit. Subinde vero sui compos factus, reformidat ne lethalem culpam admiserit; ideoque, nulla interjecta mora, ad Confessarii pedes peccatum accusaturus provolvitur.

2° Idem, licet ad pravam blasphemandi consuetudinem destruendam serios adhibuerit conatus, in rixa cum adversario quodam habita, in blasphemias erumpit, ideoque ad diluendam hanc conscientiæ noxam Confessarium iterum requirit.

3° Alias, sciens se in ebrietate solitum fuisse rixari, sedulo attendit ne in bibendo sobrietatis limites excedat. Sed ecce a sociis ad bibendum ultra morem impulsus, ebrietate invaditur antequam ad illius periculum adverterit, et furiosus cum aliis rixas miscet. Ad se autem reversus pœnitentiam agere satagit, et iterum ad Confessarium confugit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Arnulfus *peccaverit in hoc triplici casu?*

2° *Quid, si consuetudinem blasphemandi destruere non curasset quidem, sed absque deliberatione blasphemasset?*

Solutio :

1. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Arnulfus non videtur peccasse, saltem graviter, in ullo ex triplici casu proposito. Etenim caruit saltem plena et perfecta cognitione malitiæ et animi deliberatione, ut ex ipsis casuum circumstantiis colligitur. Insuper cum Arnulfus pronus sit ad iracundiam, in primo et secundo casu, ex motu *primo-primo* egisse facile censendus est. Quod ad tertium casum, peccare non potuit, siquidem ad ebrietatis periculum minime advertit.

2. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* In adjecta hypothesi, blasphemiæ Arnulfo imputandæ forent. Ratio est, quia blasphemiæ non retractatæ omnino voluntariæ existimari debent in ipsa blasphemandi consuetudine, quam novit blasphemus, nec tamen ejus emendationi studuit. Quare, licet advertentia actuali ad peccatum necessaria forte careat, non ideo a peccato et quidem gravi immunis erit, propter *voluntarium in causa. S. Lig., de act. humanis, n.* 10.

V. Comp., t. 1, *n.* 1 *ad* 10. — *Billuart, de act. humanis diss.* 1, *art.* 1.

CASUS II

DE VOLUNTARIO 2°

1° Elpidius, de more bibulus et indole rixosus, in ebrietate furiosus, contentione cum Titio habita, statuit ab eo vindictam quærere; propositum tamen ad aliud tempus remisit. Subinde in vicinam tendit cauponam, ut iram in vino sedaret; sed ecce, cum sub nocte de taberna ebrius egrederetur, infausto casu in ipsum incidit Titium, eumque adeo graviter verberat, ut plurimis hebdomadis a consueto labore abstinere coactus fuerit, et damnum ingens pertulerit.

2° Blasius, Caio inimico suo nocere volens, ejus asinum plumbo trajicere intendit. Sed heu! duplex ei accidit infortunium! Etenim asinus globo non attingitur, incolumis saltat et exilit, dum vacca Titii, quæ post densam sepem quiete jacebat, nec ab ipso cerni poterat, infeliciter occiditur.

Hinc :

Quær. 1° *An damna in ebrietate* Titio *illata sint* Elpidio *imputanda, et an ideo ad ea reparanda teneatur?*

2° *Quid, si non fuerit solitus inebriari, atque ex mera inadvertentia inebriatus fuerit?*

3° *An* Blasius *ad restitutionem teneatur pro asino non damnificato, vel pro vacca occisa?*

Solutio :

3. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia damna sunt vere voluntaria et sufficienter prævisa in ipsa causa, saltem *in confuso*. Voluit enim Elpidius Titio damnum inferre, et bibit cum periculo ebrietatis, cum esset de more bibulus. Insuper censetur prævidisse, implicite saltem, se in statu

ebrietatis damna illaturum esse, siquidem ignorare non poterat se in vino furiosum evadere ac posse alicui nocere. Ergo Elpidius neque a peccato gravi contra justitiam, neque ab obligatione damna reparandi excusandus est.

4. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* In hac hypothesi, mala ab Elpidio patrata ipsi imputanda non essent, quia neque voluntaria forent *in actu*, ob rationis defectum, neque *in causa*, deficiente horum malorum prævisione.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Blasius ad nullam restitutionem tenetur. Etenim certo non tenetur ad restitutionem pro asino, quippe qui illæsus evasit; sed neque pro vacca siquidem damnum illud minime intendit, nec in hypothesi prævidere potuit. Ergo in foro conscientiæ seu ante judicis sententiam, ad nullam damni reparationem urgeri potest. Quid vero si asinus et vacca ad eumdem Caium pertinuissent? Respondeo in rigore principiorum, neque tum Blasius de damno teneretur, quia semper damnum istud improvisum esset. — *V. Comp., n.* 5 *et seq. necnon de justitia, n.* 672.

CASUS III

DE VOLUNTARIO 3°

1° Bessarion, Sacerdos, audita Barbaræ devotulæ confessione : Vade in pace, inquit, absolutione non indiges, nihil enim grave accusasti, et a paucis diebus jam absoluta es. Verum, interpositis salutaribus monitis, absolutionis formam recitat, nec ad errorem advertit, nisi prolatis orationibus quæ verba formæ subsequuntur.

2° Alias, accepto stipendio, Bertæ promiserat Missam die statuto celebrandam. At vero cum assignata dies advenisset, heu! infelicis memoriæ vir, promissionis penitus obliviscitur, Missamque gratuito pro defunctis celebrat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Bessarion *valide absolverit in primo casu?*

2° *An obligationi satisfecerit in secundo casu?*

3° *Quid in eo casu, si Sacerdos, oblitus prioris intentionis, nullam aliam posuisset; vel si pro alio stipendio celebrasset?*

Solutio :

5. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Destitutus enim fuit omni voluntate absolvendi, et proinde prolatio formæ sacramentalis fuit in eo mere materialis. Ergo nullus fuit actus humanus. Ergo nulla quoque absolutio.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirm.* Satisfecit enim obligationi si intentio prior retractata non fuerit. Porro non fuit retractata, neque *explicite*, siquidem de retractatione ne cogitavit quidem; neque *implicite* per applicationem posteriorem : nam applicationem hanc posteriorem non posuit, nisi quia se omnino liberum ab omni obligatione existimabat. Ergo non fuit vera retractatio. Ergo perseverat intentio prior.

6. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si, oblitus prioris intentionis nullam fecisset

applicationem, sane prior intentio perseverare censeretur, ut patet. Si vero pro alio stipendio Missam celebravit, *distinguo :* vel memor fuit jam factæ promissionis, vel immemor; *si prius,* eo ipso retractatur prior intentio, et sola posterior valet; *si posterius,* perseverat adhuc prior applicatio, utpote expresse non retractata. Excipe, nisi tanta esset ratio eliciendi novam intentionem, ut, si celebrans prioris memor fuisset, evidenter eam retractasset. Cæterum in praxi, stante dubio, satius esset alia vice Missam celebrare pro eo, pro quo non valuit applicatio. — *V. Compend., de voluntario, et t.* 2, *n.* 355.

CASUS IV

DE VOLUNTARIO INDIRECTO 1°

1° Ricardus, caupo, de magno hospitum concursu gaudens ac gestiens, copiosum vinum bibulis subministrat, licet horum plures inebriandos esse prævideat. Is ratione consueti lucri et quandoque impediendarum blasphemiarum impellitur, nec putat se in hoc delinquere. Facile etiam in hospitium suum admittit viros, sermones impios vel obscœnos proferentes, nec eos arguit, quia, ait, non tenetur ratione officii de eorum agendi ratione sollicitus esse.

2° Nemesius, die quadam, 20 asses mercedis gratia, Caio, bajulo, ad suum hospitium sarcinam quamdam ferenti offert. Requirit bajulus 25 asses. Negat caupo se quidpiam amplius ei præstiturum esse, licet ille furiosus in imprecationes et blasphemias erumpat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Ricardus *graviter peccet vinum inebriandis ministrando, sola consueti lucri ratione defensus?*

2° *An graviter peccet id agendo ad blasphemias bibulorum præcavendas?*

3° *An graviter peccet impios et obscœnos sermones hospitum non impediendo?*

4° *An* Nemesius *in secundo casu præstare debuerit præfatos quinque asses, licet indebitos, ad blasphemias bajuli impediendas?*

Solutio :

7. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Affirm.* in casu particulari, nempe, si agatur de bibulo jam ebrietati proximo, qui potum largiorem postulet. Ratio est, quia, in casu particulari determinato et certo, damnum leve ipsi subeundum est, ut peccatum indubium et determinatum præcaveat. — *S. Lig., l.* 2, *n.* 59.

2° Generatim et per se *nego;* quia caupo non tenetur peccata ebrietatis, quæ hospites committere solent, impedire cum gravi suo damno, quia caritas cum tanto incommodo non urget. Ratio autem consueti lucri percipiendi generatim sufficit, ut prædictis peccatis in genere et in confuso prævisis non obstet. Hæc enim peccata per accidens et præter cauponis intentionem adveniunt; et insuper sine suo gravi detrimento potum negare nequit. Etenim vix ulla invenietur taberna in qua aliqui hospitum non soleant se inebriare,

et postea rixas miscere, etc.; quare, si caupo vinum deneget, hospites alias adibunt popinas, in quibus largus potus ipsis ministrabitur, et proinde magnum damnum inutiliter subibit. — *Eibel, n.* 17. — *S. Lig., l.* 2, *n.* 69.

8. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Neg.* prorsus. Ratio enim blasphemias impediendi satis est, ut ebrietatem permittat, quia ex duobus malis majus vitandum est. Malum vero majus blasphemia est, quum, teste *Hieronymo*, nihil blasphemia horribilius. — *In Isa., l.* 7, *c.* 18.

Resp. ad 3^um *Quæs. Affirm.*, si ingens sit scandalum aliorum adstantium, et caupo hæc facile impedire possit. Ad id enim tenetur, non quidem ratione officii, sed ex ratione generali caritatis, qua tenemur ad malum præsertim spirituale proximi avertendum, cum id facile possumus. Non tenetur tamen caupo ad omnia peccata hospitum impedienda cum gravi suo damno. Hoc sequitur ex responsione ad 1^um Quæs. Responsio ista autem ex variis rerum adjunctis temperanda est.

9. — *Resp. ad* 4^um *Quæs. Neg.*, si Nemesius pretium consuetum vel rationabile tribuerit. Etenim detrimentum pati in bonis temporalibus ad impediendam alterius malitiam non tenetur. Præterea cum casus similes facile possint occurrere, sane damnum notabile sufferre deberent pii homines ad aliorum peccata impedienda. Imo, si ita hominibus pravis indulgendum foret, inde ansam magis ac magis blasphemandi arriperent. *V. Comp., t.* 1, *n.* 236, *quæs.* 2°.

CASUS V

DE VOLUNTARIO INDIRECTO 2°

1° Nicolinus, juvenis, bonis quidem moribus instructus, sed amore scientiæ lectioni inhians, sæpius legit libros qui, licet pravi in se non sint, attamen paulo minus castigati passim apparent. Inter legendum, nonnullas cogitationes minus castas et concupiscentiæ motus experitur, quibus spretis denegatoque firmiter consensu, incœptam prosequitur lectionem. Sed postmodum stimulis conscientiæ exagitatus ad Confessarium properat, et ab ipso quærit utrum possit, non obstantibus quæ suboriuntur tentationibus, hujusmodi lectionibus indulgere.

2° Lubanus non raro recreationis gratia equitare solet. Ast sæpe inter equitandum, motus carnales, imo quandoque et ipsam pollutionem experitur. Licet autem hujusmodi pravos effectus ex animo detestetur, timet tamen ne conscientiam graviter maculet, et iterum anxius a Confessario quærit utrum propositum non amplius equitandi efformare debeat?

Hinc :

Quær. 1° *An peccaverit* Nicolinus *in primo casu?*
2° *An* Lubanus *in secundo casu?*

Solutio :

10. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Nicolinus ab omni peccato excusandus est, quia ex una parte causam leviter et remote tantum in pravos motus influentem posuit, et ex alia parte, ex ratione honesta et utili egit, seu ex amore

scientiæ acquirendæ, non vero ex curiositate, aut ex aliqua naturali delectatione; et insuper actum displicentiæ in effectum pravum studiose elicuit. — *Billuart, Diss.* 1, *art.* 1. — *V. Comp., n.* 10, 8°.

Hinc a Confessario non est prohibendus ab his lectionibus, sedulo tamen adhortandus est ut caute procedat, et pietatem in se foveat.

11. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Non inquietandus est Lubanus. Licet enim recreationis causa agat, valde grave ipsi foret illud genus oblectamenti penitus abjicere. Secus, si de uno vel altero casu particulari tantum ageretur. — *V. Comp., n.* 431, 6°. — *S. Lig. n.* 483. — *Bill., de act. hum.*

CASUS VI

IGNORANTIÆ EFFECTUS 1°

Adalbertus sic confitetur : 1° Volens occidere Titium inimicum, occidi Caium amicum meum. 2° Globo jaculando cervum, simul trajeci inimicum ad necem quæsitum, in dumeto latenter stantem. 3° Ignorans esse vigiliam, manducavi carnes, sed ex pigritia die Dominica non adfueram Missæ, in qua obligationes in hebdomada occurrentes denuntiari solent.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel qualis ignorantia a peccato excuset?*
2° *Quid de* Adalberto *judicandum?*

Solutio :

12. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Ignorantia invincibilis omnino excusat a peccato, quia penitus malitiæ cognitionem impedit, adeoque tollit voluntarium. Stante enim illa ignorantia, obligatio legis præcipientis vel prohibentis minime cognosci potest, et proinde urgere nequit, siquidem *nihil est volitum, quin fuerit prægnitum.* 2° Ignorantia autem vincibilis non excusat a peccato, quia non tollit voluntarium, cum, ea stante, adsit cognitio sufficiens, saltem *in confuso,* aut quæ abest culpa agentis absit, qui neglexit inquirere.

13. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu* Adalbertus ab omni peccato ratione homicidii patrati excusatur, si occisionem Caii nullomodo prævidere potuit, v. gr., si diligentiam adhibuerit, ut resciret neminem alium feriendum esse. Ratio est, quia actus externus non est formaliter injuriosus Caio, quem omnino involuntarie occidit. Proinde ad nullam restitutionem erga ejus hæredes obligandus est. Secus vero si debitam diligentiam omisit, vel periculum Caium occidendi in confuso prævidit.

In secundo casu, similiter est distinguendum : vel enim adhibuit diligentiam debitam ad damnum alterius præcavendum, vel non. Si prius, Adalbertus ab omni peccato ratione actus illius, immunis est, deficiente voluntario. Nec obstat quod inimicum ad necem quærat, quia, licet eum occidere cupiat, non tamen in præsenti occidere intendit. Secus vero si posterius, ut patet.

14. — *In tertio casu,* iterum distinguas oportet. Si Adalbertus, dum

Missæ interesse noluit die Dominica, dubium grave habuit de obligatione forte eventura intra hebdomadam, et neglexit inquirere, aut alios prudenter interrogare hac de re, tunc ejus ignorantia fuit vincibilis, et peccavit contra Ecclesiæ præceptum. Si autem, nec tunc, nec postea ipsi occurrit cogitatio de præfata obligatione, licet peccaverit omittendo Missam, non peccavit tamen jejunii omissione.

CASUS VII

IGNORANTIÆ EFFECTUS 2°

Abundius, Sacerdos, approbatus pro excipiendis fidelium confessionibus, experitur scientiam suam ad illud officium rite obeundum tenuem et insufficientem esse; pergit tamen audire confessiones, ex eo quod de idoneitate sua authenticum Episcopi testimonium habeat; hinc, defectu scientiæ et studii, varios committit errores circa speciem peccatorum inquirendam, et præsertim circa restituendi obligationem. A Confessario objurgatus et ad restituendum pro pœnitentibus obligatus, statuerat serio ad studia theologiæ moralis incumbere, et interea sacrum ministerium intermittere, cum ecce repente advocatur ad Titium moribundum, variis restitutionibus, ut fama fert, obnoxium. Pergit anceps, miserum absolvit dubius, non valens implicatam discernere conscientiam, et revertitur tristis, mussitans se iterum restitutioni pro pœnitente obnoxium fore.

Hinc :

Quær. 1° *An errores illi sint* Abundio *imputandi?*
2° *An in singulis peccaverit graviter?*
3° *An restitutioni sit obnoxius?*

Solutio :

15. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Errores priores Abundio quidem per se imputandi sunt, quia novit se officio suo imparem esse, et in eo perseveravit, quin se idoneum reddere diligenti studio satageret; non autem ei imputandi sunt errores in Titii moribundi confessione admissi, quia, instante necessitate, debita libertate caruit.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirm. per se,* si, habitualiter saltem, ignorantiæ suæ memor fuerit; excipe tamen casum in quo Titium moribundum absolvit, ut sequitur ex dictis.

16. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Abundius ad nihil tenetur probabilius pro cooperatione negativa ad damnum tertii, v. gr., si obligationem restituendi urgere omiserit. Tenetur autem de damnis sive pœnitenti, sive aliis, ex obligatione, vel obligationis negatione positive injusta provenientibus. Excipe casum moribundi, in quo libertate destitutus fuit.

Attamen errorem post factum corrigere tenetur in quantum fieri potest. Quid in praxi Confessarius de obligatione restituendi dubius relative ad moribundum? Præstat ut taceat; vel, si possit, de licentia pœnitentis prudenter adhibeat testes ad rem hæredibus declarandam, ut id quod statuetur peragere valeant. — *V. Comp. n.* 691.

CASUS VIII

DE METUS INFLUXU

1° Sempronius, Sacerdos, laicali veste indutus, transiens per loca hæreticorum, catholicis et præsertim Sacerdotibus infensissimorum, omittit Breviarii recitationem, carnes diebus prohibitis manducat, ne agnoscatur. Sed cum subinde recognitus fuisset, et ad manducandas carnes die veneris metu mortis adigeretur, obtemperat dictitando Ecclesiam, ut piam matrem, obligationem legis suæ non urgere cum tanto incommodo.

2° Liborius, famulus, domum, absente domino, custodiens, sub nocte invaditur a fure, qui districto pugione pecuniam ab eo requirit. Cum autem Liborius nullam propriam habeat, 100 fr. ad dominum pertinentes accipit et furi tradit, ut vitam incolumem servet. Sed ab angustiis extremis nondum liberatur misellus. Tradita enim pecunia non sufficit furi, qui mortem famulo minatur, nisi locum ubi arca nummaria domini reconditur, sibi patefaciat. Obtemperat iterum Liborius, ut mortem effugiat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Sempronius *excusari queat in utroque casu ?*

2° *An* Liborius *peccaverit tum in primo, tum in secundo casu; et an ad restitutionem teneatur ?*

Solutio :

17. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Sempronius non peccavit horas divinas omittendo, neque carnibus vescendo ne ab hæreticis agnosceretur; lex enim humana non urget cum gravissimo incommodo. 2° Minime autem excusari potest a peccato gravi et gravissimo in secundo casu; metus enim etiam mortis in odium Religionis incussus eximere nequit a legis observatione, siquidem tunc urget præceptum naturale rigorose prohibens id omne quod in Religionis contumeliam præcipitur.

18. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Liborius in primo casu videtur omnino excusandus ab omni peccato et onere restitutionis; herus enim præsumendus est cooperationi famuli consentire, ut e periculo mortis eripiatur. 2° Imo probabiliter etiam excusari potest in secundo casu, quia in summo vitæ periculo omnia bona evadunt communia, ita ut subripiens id quod ad vitæ conservationem requiritur, nullam domino injuriam inferat. — *V. Comp. n.* 616-687. — *S. Lig. n.* 520. — Sunt tamen qui negant cum *Billuart.*

CASUS IX

DE METU ET VIOLENTIA

Bertina, famula, mulier timens Deum, adeoque a peccato abhorrens, pluries ab hero enixe ad malum sollicitata, toties ei restitit. A Confessario inducta ad hujusmodi peccandi occasionem deserendam, rogat et instat ut

in eodem famulatu remanere queat, quia stipendium majus a domino accipit, aliumque locum honestum difficile invenire valeret. Ejus votis annuit Confessarius.

Verum mox ab hero iterum sollicitatur, et ab eo invita opprimitur. Quid misera? Primum clamare non audet, ne herum simul et seipsam diffamet. Subinde clamare volenti, mortem minatur ille libidine furiosus. In extremis igitur versans angustiis BERTINA externe se habet mere passive, interne vero ex corde et animo peccatum detestatur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* BERTINA *debuerit occasionem hanc peccati deserere, et ad hoc a Confessario obligari, etiam sub pœna denegandæ absolutionis?*

2° *An graviter peccaverit non clamando ob rationes ab ipsa allatas?*

3° *An graviter peccaverit non clamando, et se passive habendo, metu mortis?*

Solutio :

19. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Suadendum quidem foret BERTINÆ ut præsentem peccati occasionem desereret, si alium locum facile invenire potuisset; attamen, cum de occasione tantum remota ageretur, ad id obligari non poterat.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Juxta aliquos peccavit graviter *per se,* primum non clamando, nisi bona fide excusata fuerit. Adhibere enim remedium facile debuit ad tantum castitatis periculum evadendum; nec valent allatæ excusationes. Nullam ipsa famæ jacturam incurret clamando, siquidem solæ honestæ mulieres in pari casu clamare audiuntur. Quod autem ad famam heri attinet, propriæ malitiæ imputet si famæ periculum patiatur. Verum juxta alios multos non peccavit si a clamando abstinuerit ob infamiæ timorem, vel etiam ob verecundiam, et aliunde, ut in casu, non adfuerit proximum consensus periculum. — *Lugo, de Just. disp.* 10, *n.* 198, *et alii apud Lacroix, l.* III, *p.* I, *n.* 916.

20. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Controvertitur,* sed, juxta *Lacroix* et alios *ut supra,* a fortiori ob mortis metum excusanda est, cum non fuerit vera cooperatio.

CASUS X

DE CONCUPISCENTIA

MARCHANTIUS 1° legit varias historias, prævidens inde secuturam delectationem de objecto turpi. 2° Data occasione curiose aspicit statuarum nuditates, insurgentibus tamen motibus consensum denegat. 3° Dum incidit casu cogitatio de objecto turpi, et inde sensitiva delectatio, eam minime repellit. 4° Sæpe in somno pollutionem patitur. 5° Delectationem turpem semel habuit, sed dubitat an dormiens aut vigilans. 6° Cum ex conditione sua, nempe mercatoris, conversari debeat cum personis cujuslibet generis, majorem propensionem sentit ad agendum cum feminis, quam cum viris.

Hinc :

Quær. *Quid de* Marchantio *nostro judicabit Confessarius in singulis casibus?*

Solutio :

21. — *Resp. ad* 1^um^. Si ex aliqua causa honesta legat, non peccat, modo nullum præbeat consensum tentationi, quia tunc motus concupiscentiæ sunt prorsus involuntarii, et insuper, adest causa sufficiens illos permittendi. Si vero legat ex curiositate res parum periculosas, peccat quidem, sed *per se* venialiter tantum, quia causa non est nisi venialis, secluso semper consensus periculo. Verum, si absque causa legat res valde turpes, graviter peccat, saltem ob complacentiæ periculum. Excipe forte si Marchantius legens ex sola curiositate ob ætatem provectam, et frigidam complexionem, aut aliam peculiarem rationem, grave libidinis periculum non incurrat. — *S. Lig. n.* 426. — *V. Compend. n.* 419. — *Billuart, de act. humanis, diss.* 1, *art.* 1.

22. — *Ad* 2^um^. Graviter peccat si nuditates sint totales et aspectus de proposito, proxime et cum mora fiant, quia sine ratione ponit causam turpium motuum, et periculum gravius labendi incurrit. Secus vero *per se*, si aspectus fiant obiter et a longe, aut etiam si in statua ars non emineat. — *Ita S. Lig., n.* 424, de picturis, quod etiam statuis applicari posse videtur.

Ad 3^um^. Peccat graviter, saltem practice loquendo; tenetur enim actum displicentiæ elicere, et cogitationes alio divertere, si ad tentationem clare advertat, ob periculum complacentiæ, quod hac in re proximum est.

23. — *Ad* 4^um^. *Per se* ab omni culpa immunis est, ob defectum libertatis, et voluntarii. Attamen animadvertendum est, an in die præcedenti, præsertim vespere, sub nocte, causam pollutioni dederit, v. gr., turpibus cogitationibus vacando, et simul periculum pravi effectus modo confuso præviderit; tunc enim ipsi ad culpam imputandus erit.

Ad 5^um^. Præsumere potest illud in somno evenisse, quia ea quæ ab homine vigilante fiunt, clare et facile dignoscuntur. Ergo, stante dubio, velut in somno peracta censeri debent. — *Voit, n.* 37.

24. — *Ad* 6^um^. Excusandus est a peccato, modo honeste agat et consensum tentationibus dare præcaveat. Non refert enim quod sentiat majorem inclinationem ad agendum cum feminis quam cum viris, quia hujusmodi inclinatio non est moralis, nec libera, sed potius naturalis, seu in ipsa natura fundata. Ergo formaliter mala non est. Fatendum tamen est hoc molestum esse castæ menti, imo et incautis periculosum. Suadendum igitur est Marchantio ut studeat hanc inclinationem moderari, ac pro viribus reprimere. — *Elbel, n.* 51.

CASUS XI

DE OBJECTO MORALITATIS

Monica, tabernaria : 1° Blandam et comem se exhibere solet hospitibus ad suam tabernam confluentibus, eo fine ut sæpius redeant, sicque lucrum

majus percipiat, quamvis prævideat plures, occasione sui, interne peccaturos esse. 2° Filiæ suæ Bertinæ ad nuptias valde favorabiles aspiranti suadet, ut erga sponsum gratam se exhibeat, eique blandiatur, imo nec ejus oscula, aliave lenimenta sponsis sat consueta, recuset, ne forte ab ipso contemnatur atque derelinquatur. 3° Ad impediendas rixas et blasphemias, ad quas proclivis est ejus maritus, levia mendacia dicere solet; experientia enim ipsi constat hæc ad pacem domus servandam omnino necessaria esse.

Hinc :

Quær. 1° *An damnanda sit ratio agendi* Monicæ *erga hospites?*

2° *An excusanda quoad consilia filiæ suæ data; et quid si filia jam esset ex consortio sponsi gravida, timeretque ne eam cum gravi ejus infamia derelinqueret?*

3° *An probandus modus virum compescendi?*

Solutio :

25. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Non videtur damnanda Monica, ex eo quod comiter et blande agat erga hospites, modo terminos honestatis non excedat, neque scandalum ullum præbeat. Hic enim est modus indifferens ad finem bonum seu ad lucrum adhibitus. Sed cavere debet, ne liberiorem et familiarem se exhibeat. — *Elbel, n.* 17.

26. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Pessime egit Monica erga filiam, et rem periculo plenam ei suasit. Peccavit enim tunc contra virtutem castitatis, necnon contra virtutem pietatis, suadendo filiæ ut oscula et alia lenimenta sponso permitteret. — Si filia jam a consortio sponsi esset gravida, non mutaretur casus. Non ideo sponso permittere posset ea quæ proxime ad peccatum conducunt, vel in se mala sunt. Attamen stando in limitibus honestatis, facilius tunc permitti possent ea amicitiæ signa, quæ inter propinquos ut consueta habentur. Sed melius suppositum negandum est, scilicet hac sola via sponsum cohiberi posse. Studere igitur deberent mater et filia ut ejus animum aliis industriis honestis lucrarentur. — *Elbel, n.* 74.

27. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæst. Neg.* Nunquam enim mendacium licitum esse potest, ne ad bonum quidem notabile obtinendum, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Mendacium autem est objectum ex natura sua intrinsece malum, licet ex genere suo peccatum veniale non excedat. Verum, licet Monica sedulo a mendacio abstinere debeat, urgente tamen gravi causa, non tenetur totam veritatem viro iræ impotenti patefacere, juxta dicenda infra de octavo decalogi præcepto.

CASUS XII

DE ACTIBUS INDIFFERENTIBUS

Paschalis, junior Sacerdos, cum Doctorum controversiam de actibus indifferentibus, scilicet utrum reapse dentur in individuo, diu serioque perpendisset, libentissime sententiæ communi Thomistarum, quæ negativa est, concinit, hac præsertim ratione pressus ac convictus, nempe quod homo

rationabiliter agens, ex aliquo fine agere debet, et proinde agere bene vel male in actibus indifferentibus, prout finis est bonus vel malus. Verum, cum sit conscientiæ admodum timoratæ, mox animo dejicitur. Existimat enim, se centies in die peccare defectu boni finis. Hinc omnia oblectamenta et naturæ sublevamina non rigorose ad corporis valetudinem necessaria respuit; quia, ait, indulgere naturæ in re indifferenti est seipsum et non Deum quærere : ergo est malum, etiamsi voluptas naturalis et de se indifferens Deo offeratur, quia non admittitur ut Deo offeratur, sed vice versa, offertur ut capiatur, et proinde finis ultimus est ipsa creatura. Adeo autem ejus scrupuli invaluerunt, ut eximium juvenem ad tumulum deduxerint.

Hinc :

Quær. 1° *An dentur actus indifferentes in individuo ?*

2° *An recte ratiocinatus fuerit* Paschalis? *Vel quid ei respondendum sit ?*

Solutio :

28. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Controvertitur. *Negant communius*, quia actus indifferentes in se, ex fine bono vel malo boni aut mali evadunt. Quidquid sit de quæstione sub respectu philosophico spectata, tenuis aut nullius momenti, moraliter loquendo, habenda est. Parvi enim refert in praxi quod aliquis actus remaneat indifferens, vel aliqua bonitate naturali gaudeat. Quid enim ad vitam æternam, si ex fine supernaturali non procedat ?

29. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Paschalis non recte ratiocinatus est; obcæcatus sane scrupulis, caruit rectitudine judicii quæ ipsi necessaria fuisset ad legitimas conclusiones ex principiis deducendas. Errat autem in hoc, quod confundat finem subordinatum cum fine absoluto. Non licet quidem intendere voluptatem naturalem, etiam non malam in se, tanquam finem absolutum, seu absolute ultimum, id est, non licet intendere voluptatem in se solam, sistendo in ea exclusive. Hinc fuit damnata sequens propositio ab Innocent XI : *Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini.* Etenim, qui agit propter solam delectationem naturalem inordinate agit, pervertens ordinem rerum a Deo institutum siquidem ex ordine naturali delectatio est propter operationem, et non vice versa. Sic *S. Thomas*, 1. 2. *q.* 4, *art.* 2.

30. — Licet autem intendere voluptatem, modo alius finis ulterior, ad quem implicite saltem referri possit, intendatur. In eo casu voluptas est finis intermedius, seu finis simul et medium, nempe ad melius operandum, ad animum moderate recreandum, ad vires corporis et animæ reficiendas, etc., servata semper virtute *Eutrapeliæ*, cujus officium est jocos et recreationes, vel oblectamenta moderandi. Si hæc autem mala forent, quare Deus ea ad hominis usum creasset? Ergo voluptas naturalis, vel actus indifferentes quilibet possunt offerri Deo, et illa oblatio sive actualis sive virtualis sufficit, ut hæc bona fiant et quidem meritoria in vitam æternam. Quemadmodum autem quæri et intendi potest voluptas naturalis in sensu prædicto, ita etiam licet fugere dolorem, et remedia adhibere ad varia incommoda quæ occurrunt propellenda.

CASUS XIII

DE CIRCUMSTANTIIS

Gerardus ad pedes Confessarii provolutus, ut confessionem sacramentalem instituat, ait : 1° decies detraxi de aliis; 2° quinquies peccatum carnis commisi; 3° vigesies pravis cogitationibus consensum præbui; 4° semel summam pecuniæ gravem furatus sum, sed pœnitentia ductus mox eam restitui. De omnibus istis peccatis doleo, emendationem propono, et sanctam absolutionem humiliter peto. Confessarius, his auditis, pœnitentem piis salutaribusque monitis instructum, sed omissis quibuslibet interrogationibus, absolvit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Gerardus *confessioni satisfecerit ?*
2° *An Confessarius munus suum adimpleverit?*

Solutio :

31. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Minime satisfecit obligationi Gerardus confitendo, quia pluries peccatorum species declarare omisit.

Hinc :

1° Gerardus debuisset dicere quot de personis detraxerit, et utrum simplicem detractionem, aut calumniam illis impegerit, aut etiam an damnum aliud ex detractione fuerit subsecutum.

2° Gerardus non satis declaravit quale fuerit illud peccatum carnis, cum sub illa specie generica aliæ species infimæ habeantur. Debuisset igitur exprimere an fuerit peccatum pollutionis, fornicationis, adulterii, etc. Non fuit tamen necesse dicere utrum cum eadem persona, an cum personis diversis quinquies fornicatus, v. gr., fuerit, ut censet *Lacroix, p.* 2, *l.* 6, *n.* 1040, cum aliis, contra aliquot alios.

3° Pœnitens declarare debuit utrum, præter cogitationes turpes, etiam desideriis pravis consensum præbuerit, necnon an desideria personas solutas, aut conjugatas, aut consanguineas sive affines respexerint.

4° Videtur autem confessionis integritati satisfecisse in ultimo casu, quia summam pecuniæ furtivæ gravem declaravit; gradus autem varii gravitatis non mutant speciem peccati, sed ejus malitiam tantum augent, ut dicit *S. Lig.*, 6, *n.* 47.

32. — *Resp. ad* 2^am^ *Quæs.* Consequenter neque Confessarius muneri suo satisfecit in iis, in quibus defecit pœnitens in confitendo; quia Confessarius defectum pœnitentis supplere debet ad procurandam confessionis integritatem, ut in tract. de Sacramento Pœnitentiæ dicetur.

CASUS XIV

DE FINE AGENTIS

1° Blandina, humanæ æstimationis cupida, videns alias suæ conditionis mulierculas frequenter confiteri, et ad sacram synaxim accedere, necnon

pluribus interesse Missis, frequentat sæpe eadem Sacramenta, et devote audit plura Sacra, ne aliis videatur minus devota : quod resciens Confessarius declarat sacrilegas esse confessiones et communiones Blandinæ, et Missas vana gloria auditas nullatenus ipsi in vitam æternam esse profuturas, quia *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

2° Damianus, vir dives et probus, animo succurrendi miseris, copiosas elargitur eleemosynas. Sed vanæ gloriæ tentationibus obruitur, quibus aliquando sibi complacet, quamvis primario misericordiæ motivo ad benefaciendum inductus fuerit. De his in confessione se accusat, quærens simul a Confessario, utrum in his adjunctis omne meritum amiserit? *Affirmative,* respondet lugens Confessarius.

Hinc :

Quær. 1° *An validæ sint confessiones* Blandinæ? *et quid de aliis ejus operibus censendum sit?*

2° *Quid, si, bono fine accedens ad sacram synaxim, admittat tamen vanæ gloriæ motum, communicando vel a sacra mensa redeundo?*

3° *Quid* Damiano *respondendum?*

Solutio :

33. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Severior sane apparet Confessarius. Quare confessiones et communiones Blandinæ sacrilegæ forent? Vanæ gloriæ motivum non fuit primarium in Blandina; saltem facile supponi potest : porro, si hoc admittatur, nonnisi venialiter in singulis peccavit, sed ex peccato veniali admisso in receptione Sacramenti Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, non evadit sacrilega hæc susceptio, nisi tanta esset hypocrisis, ut finis primarius agentis haberetur. Hinc actiones etiam sub influxu vanæ gloriæ factæ non ideo omni merito carent; quia hæc vana gloria non est motivum adæquatum, neque primarium agentis. Nec valet ratio deducta ex axiomate : *Bonum ex integra causa,* etc..., quia causa integra habetur, scilicet : 1° bonum ex objecto; 2° bonum ex fine saltem partiali; 3° bonum ex circumstantiis. Secus si bonum ex horum uno deesset.

34. *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Eadem valet responsio ac ea quæ modo ad 1^um^ Quæs. data est. Motus vanæ gloriæ tunc se habent *per accidens,* nec proinde hæc vana gloria valet totum bonum actum corrumpere, siquidem in hypothesi finis præcipuus fuisset bonus.

Resp. ad. 3^um^ *Quæs.* Iterum valet responsio ad 1^um^ Quæs. data. Hinc improbe respondit Confessarius.

CASUS XV

DE RELATIONE ACTIONUM AD DEUM

1° Lubinus, homo pius, audit ex juniore theologo omnes singillatim actiones esse Deo referendas, motivo supernaturali; tum ex lege naturali seu ex ordine a Providentia constituto, tum ex lege divina ab Apostolo promulgata his verbis : *Sive manducatis..., omnia ad gloriam Dei facite.* His au-

tem auditis, totus quantus perturbatus Lubinus proponit instituere generalem totius vitæ confessionem, putans omnes fere suas actiones fuisse peccata.

2° Minutius, timoratæ conscientiæ, sibi videtur sexcenta peccata committere quotidie ob deordinatam intentionem in cogitationibus, affectibus, aspectibus, gestibus et actibus, v. gr., si aspiciat vel subodoret florem, etc...

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quænam sit obligatio omnes actiones ad Deum referendi?*

2° *Quid* Minutio *respondendum?*

Solutio :

35. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Datur præceptum negativum prohibens ne quid ex pravo fine faciamus ; 2° datur præceptum positivum jubens ut interdum, imo sæpius, ad Deum supernaturaliter cognitum et apprehensum tendamus, seu ad illum præcipuas actiones ex motivo supernaturali referamus, saltem implicite et virtualiter ; 3° plures dicunt omnes omnino actiones nostras ex motivo supernaturali informari debere. Probant ex verbis Apostoli : *Omnia in gloriam Dei facite;* sed non constat esse verum præceptum, quatenus *positivum,* seu obligans singulis momentis. Potest enim dici esse præceptum proprie dictum, quatenus *negativum* tantum, seu obligans ad nihil faciendum contra gloriam Dei, ut explicat *S. Thomas;* 4° in praxi autem enixe adhortandi sunt fideles, ut singulis diebus, mane, omnes actiones suas decurrente die faciendas, Deo offerant, ut suadet *S. Lig.*

Non est igitur cur adeo angatur Lubinus noster, et confessionem generalem instituat. Est enim homo pius, ut in casu dicitur ; homines autem pii frequenter ad Deum eriguntur, officia boni christiani adimplendo. Etiamsi daretur præceptum affirmativum per omnia opera ad Deum tendendi, intelligi deberet, virtuali modo, ita ut saltem oblatio mane facta, nec per peccatum mortale retractata, sufficeret ad illud mandatum adimplendum. Cæterum omissiones peccata venialia non excederent. Ergo confessio generalis non est instituenda ad illas reparandas. Insuper Lubinus noster non potuit peccare agens contra præceptum sibi ignotum.

36. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Redeat ad sanam mentem Minutius, quippe qui, scrupulis obrutus, peccata ubi non sunt deprehendit ; 2° sciat sibi sufficere, si ex pravo fine non agat, et actiones suas semel in die ad Deum referat ; 3° errat existimando illicitum esse voluptatem naturalem et honestam intendere. Quare igitur illam Deus creaturis indidit? Id tantum prohibetur, scilicet, ne voluptas sola seu exclusive quæratur. Voluptas igitur honesta intendi potest et Deo offerri, et consequenter meritoria evadere.

De relatione operum ad Deum fusius et clarius in Comp., n. 31 *et* 32.

CASUS
DE CONSCIENTIA

Quid de conscientia erronea, dubia, scrupulosa, et præsertim probabili; seu an, vel quomodo cum iis agere liceat?

CASUS I

CONSCIENTIA ERRONEA 1°

Florina sic confitetur : Me miseram ! 1° Semel omisi Missam die Dominica, dum gravi morbo detenta in lecto decumberem ; et hoc me valde angit et cruciat ; 2° ter omisi preces confraternitatis SS^mi Rosarii, ex gravi negligentia ; 3° semel manducavi carnes die vigiliæ, ignorans esse hac die prohibitas ; de hoc valde doleo ; 4° semel mendacium dixi, sed non existimavi in hoc peccare, urgebat enim gravis ratio, scilicet cognatum meum excusandi et a gravi pœna liberandi. Confessarius, injuncta pœnitentia, adjectis nonnullis piis verbis circa Dei amorem, pœnitentem absolvit et dimittit, quin quidpiam circa confessionem animadvertat.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo in his* Florina *peccaverit?*
2° *Quid Confessario fuisset agendum?*
3° *An* Florina *potuerit non solum a peccato excusari, sed etiam mereri in duobus ultimis casibus?*

Solutio :

37. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Florina in nullo puncto ex his peccavit, saltem *per se*. Etenim : *ad* 1^um, non peccavit Missam omittendo, siquidem nunquam datur peccandi necessitas. *Ad* 2^um, non peccavit, nisi forte ex conscientia erronea, quia nulla lege has preces recitare tenebatur. *Ad* 3^um, peccare non potuit, prohibitionem Ecclesiæ invincibiliter ignorando : *Nihil* enim *volitum quin præcognitum*. *Ad* 4^um, excusanda videtur a peccato mendacii propter conscientiam invincibiliter erroneam.

38. *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Quid de Confessario? — Indebite mulierem absolvit, et forte Sacramentum nullum, defectu materiæ, confecit. Debuisset sane pœnitentem de variis erroribus docere, eamque non absolutam dimittere, nisi illa vere existimaverit se peccasse præfatas preces omittendo.

39. — *Resp. ad* 3^um *Quæs. Affirm.* Etenim si quid obstaret, esset objectum materialiter malum : atqui hoc obstare nequit ; quia sufficit ad meritum ut objectum sit formaliter bonum, seu ut in conscientia tanquam

bonum apprehendatur. Nec dicas objectum in se materialiter malum opponi voluntati divinæ; nam licet opponatur voluntati divinæ primariæ, non opponitur secundariæ per quam Deus nobis aliquid præcipit, vel permittit ex suppositione ignorantiæ invincibilis. Vult enim Deus ex voluntate consequenti ut homo id peragat, ad quod se credit invincibiliter obligatum. Præterea, homo certo potest demereri seu peccare agendo contra conscientiam invincibiliter erroneam; ergo potest etiam mereri agendo juxta eam. *S. Lig., n.* 6, *cum aliis communissime,* contra *Concina et alios paucos.*

CASUS II

CONSCIENTIA ERRONEA 2o

1° Ferdinandus sæpius animo volvit desideria mala, v. gr., se ulciscendi ab inimico, tactus turpes faciendi, aut etiam fornicandi; nunquam tamen de his in confessione se accusavit, quia credidit hos actus mere internos non esse peccata.

2° Georgius, dum puer esset, per plures annos habuit pollutionis consuetudinem, nec in confessione de ea egit unquam, quia ignoravit eam esse malam. Postea autem, veritate cognita, dubitat de validitate confessionum præteritarum, et de necessitate confessionis generalis.

3° Gustavius, puer decennis, tactus turpes habuit cum consobrina sua germana; de iis quidem confessus est, omissa tamen consobrinæ circumstantia, quia ignorabat peccatum inde gravius vel diversum evasisse. Adolescens autem factus, errore detecto, quærit an peccatum illud cum sua speciali circumstantia sit iterum clavibus subjiciendum.

Hinc :

Quær. 1° *An* Ferdinandus *laborare potuerit conscientia invincibiliter erronea circa hujusmodi prava desideria?*

2° *An* Georgius *potuerit ignorare invincibiliter malitiam pollutionis, vel quid de eo judicandum?*

2° *An* Gustavius *confessionem prædicti peccati repetere teneatur, necne?*

Solutio :

40. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Affirmant plures, nempe *Elbel, n.* 127. — *Sanchez.* — *Lacroix,* etc. Sed oppositum videtur omnino tenendum cum *S. Lig., n.* 9, *ubi sic ait :* « Hanc opinionem nunquam probabilem censere « potui. Nunquam enim intelligere valui quomodo ille qui vult deliberate « actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere se « Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exsequi, qua certe cogno- « scit averti a Deo. *Sed dices :* Quomodo iste peccabit formaliter suo deside- « rio, si malitiam ejus ignorat? *Respondetur :* Quamvis detur quod ignoret « malitiam illius actus interni, certo tamen agnoscit malitiam actus ex- « terni. Si ergo vult illum exsequi jam cognitum, quomodo a peccato excu- « sabitur? Omnes quidem ex ipso lumine naturæ dignoscunt se teneri ad « obediendum suo Creatori; quando igitur quis deliberate vult agere id

« quod scit a Deo sibi vetitum, necessario simul agnoscit quod male agit...
« *Instabis :* Plures rustici ideo non confitentur de his pravis desideriis,
« quia credunt, se tantum peccare quando peccatum externe consummant.
« *Resp.* Isti potius falso decipiuntur, credendo quod non tenentur confiteri
« peccata quæ non consummant. Sed prudens Confessarius judicare debet
« quod, cum consenserunt in peccatum consummandum, vere et formaliter
« peccaverunt, voluntate prava se a Deo avertentes. Ex his omnibus opi-
« nionem contrariam cum aliis doctis recentioribus parum probabilem
« censeo. »

41. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Res non adeo perspicua est. Georgius absolute potuit versari in bona fide, saltem in principio pravæ consuetudinis. Sed difficile admittendum est quod illa bona fides diu perseveravit. Doctores dicunt dari posse ignorantiam invincibilem circa aliqua a lege naturali prohibita, sed raro et brevi tempore; facilius tamen admitti potest in pueris et in rudibus. Interrogandi sunt pœnitentes qui dicunt se malitiam pravæ actionis ignorasse, utrum saltem aliquam suspicionem de ea habuerint, num de obligatione inquirendi saltem cogitaverint. In praxi tutius est eos ad confessionem similium peccatorum inducere, quod brevi facilique negotio fieri potest. — *S. Lig. n.* 170. — *Elbel, n.* 128.

42. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Gustavius non tenetur iterare declarationem hujus peccati, ut circumstantiam omissam adjiciat, si tempore quo peccatum illud commisit nullam habuit suspicionem de ejus speciali malitia, ut in casu supponitur, quia peccatum fuit tantum *materialiter* diversum, non autem *formaliter;* ignorantia enim invincibilis, seu absoluta, a peccato formali incestus illum excusavit. Ergo omnem animi anxietatem abjicere debet.

CASUS III

CONSCIENTIA DUBIA 1°

Faustina, puella viginti annos nata, variis laborat dubiis e quibus se extricare nescit : 1° promisit se coronam B. M. V. quotidie recitaturam esse, sed ignorat utrum verum votum aut merum propositum emiserit; 2° vovit quidem castitatem, quando prima vice ad sacram synaxim accessit, sed dubitat utrum sufficientem habuerit deliberationem, sive ob infimam ætatem, sive ob fervoris æstum, et quærit utrum favorabiles nuptias sibi oblatas acceptare possit; 3° jejunia vovit peragenda, sed nescit an sex vel octo voverit. Tres interrogat de hoc Confessarios. Prior respondet eam ad octo obligari; quia *pars tutior sequenda.* Alter ad septem, *pro rata dubii.* Tertius ad sex tantum, quia *pro minima parte standum est.*

Hinc :

Quær. *Quomodo dubia* Faustinæ *solvenda sint?*

Solutio :

43. — *Resp.* 1° : *In genere* Faustina in his casibus agere nequit cum conscientia practice dubia, nisi tutiorem partem amplectatur. Sed, si perpenso

diligenter dubio, eoque remanente, ex motivo gravi judicet non dari obligationem, quam ex alia parte adesse suspicatur, pro parte libertati faventi stare potest.

44. — *Resp.* 2° : *In particulari*, his præmissis :

Ad 1^um^. Faustina non tenetur ad coronam B. V. sub peccato recitandam. In dubio enim pro minima obligatione stare licet. Nec præsumendum est eam voluisse se obligare, nisi veram et certam obligationis conscientiam habuerit. — *V. Comp., n.* 322, *Quær.* 4°.

Ad 2^um^. Juxta *S. Lig., n.* 176, valet votum in dubio an emissum fuerit cum sufficienti deliberatione. Id sane admittendum est *per se*, quia posita voti emissione præsumitur pro valore actus. Sed non videtur hæc doctrina absolute tenenda; potest enim fieri, in certis circumstantiis, ut requisita deliberatio non facile præsumi queat, imo ut præsumatur non adfuisse. In praxi suadendus est ad Episcopum recursus.

45. — *Ad* 3^um^. Faustina sententiam tertii Confessarii tuta conscientia sequi potest, dubio diligenter discusso, seu dubio post serium examen remanente, quia adstringi nequit ad obligationem incertam, ut infra de probabilismo dicetur, et etiam ex jam dictis deducitur.

CASUS IV

CONSCIENTIA DUBIA 2°

Disputatio juniorum theologorum.

Tres juniores theologiæ candidati, scilicet, Rufus, Ivo et Donatus, acerrime de conscientia dubia disputantes, singuli in singulas abeunt sententias, quæ sic breviter referri possunt : 1° Rufus contendit nunquam licitum esse agere cum conscientia dubia, etiamsi dubium sit positivum, quia, ait, *conscientia certa est sola morum regula;* juxta verba Apostoli : *Omne quod non est ex fide peccatum est;* id est, omne quod non est ex conscientia certa, peccatum est. Quid enim sonat verbum *conscientia*, nisi *cognitio, scientia?* Hinc *S. Thom.* vocat conscientiam, *applicationem scientiæ*. Ibi autem scientia non est, ubi res in dubium adducitur. Ergo...

2° Ivo dicit contra, minime requiri certitudinem de honestate actionis ad agendum, sed sufficere veram probabilitatem, aut saltem majorem probabilitatem. Etenim consentientibus communissime theologis, licet saltem facere id quod probabiliter vel probabilius non est illicitum. In hoc autem casu sic efformo judicium : hoc probabiliter vel probabilius non est prohibitum; ergo facere possum. Sed si certitudo requiratur, ab illo actu abstinere debebo, quia non possum esse certus quod Deus non prohibuerit. Insuper ad præcavendum periculum peccandi satis est si, præmissa diligentia morali, faciam id quod mihi videtur honestum. Sed etiamsi præmiserim illam diligentiam, non ero certus de actionis honestate : ergo certitudo non requiritur.

3° Donatus vero sic distinguit : Non requiritur quidem in omni casu certitudo directa, seu afficiens ipsum objectum, ad licite agendum; sed requiritur et sufficit certitudo reflexa, quæ scilicet habetur vi judicii reflexi

et practici sequenti modo efformata : omnibus hinc et inde consideratis, judico talem actum probabiliter vel probabilius esse licitum, et hoc ipso certe judico reflexe et practice hoc esse mihi licitum, quia id omne quod non est evidenter prohibitum certe licitum est. Dum autem Donatus doctrinam suam vult evolvere, a sociis certatim interrumpitur, et in longum abit disputatio.

Hinc :

Quær. *Cuinam e certantibus causa tribuenda sit?*

Solutio :

46. — *Resp.* Causa tribuenda est ultimo contendenti, seu Donato improbe a sociis interrupto, dum isti non adhuc satis poterant ad ejus rationes attendere. Si tantisper exspectassent, lux ipsis affulgere potuisset. Quoties enim ardor disputandi et amor proprii judicii impedit quominus veritatem ab aliis prolatam agnoscamus!

Dico igitur tenendam esse quidem regulam hanc : *Conscientia certa est sola morum regula*, seu, *non licet agere cum conscientia practice dubia.* Verum, quamvis judicium reflexum conscientiæ debeat esse certum, non tamen requiritur ut judicium directum sit certum. Secus enim non esset licitum operari ex opinione probabilissima : quod damnavit *Alexander VIII;* nam opinio probabilissima non excedit fines probabilitatis. Proinde daretur obligatio tutius semper sequendi, quod damnatum est. Ergo minime requiritur certitudo directa de honestate objecti ad operandum, sed requiritur et sufficit certitudo, quæ per judicium reflexum obtinetur.

47. — Sed *objicit* Ivo : Prudenter operatur ille qui agit juxta opinionem saltem probabiliorem, quin attendat ad ullum principium reflexum; agit enim ex motivo valde gravi, seclusa tamen certitudine. Ergo ille reponit dictamen ultimum conscientiæ in judicio suo directo. Respondeo : Licet ille dicat se operari ex judicio directo, tanquam dictamine ultimo, reipsa tamen innititur in alia ratione certiore et reflexa, quamvis reflexe ad eam non attendat. Ultimum enim dictamen practicum conscientiæ non potest esse nisi istud : *Non teneor obligatione in conflictu duplicis sententiæ, saltem probabiliore mihi favente, quia obligatio ista mihi est incognita, nec datur obligatio, nisi de ea vere constet. — V. Lacroix, n. 47 et seq.*

CASUS V

CONSCIENTIA SCRUPULOSA

Savinus, scrupulosus accedens ad confitendum, semper hæc iterare solet : « Pater, valde angor circa præteritas confessiones; non integre exposui omnia peccata, carui dolore requisito; vellem generaliter confiteri, quia quorumdam peccatorum circumstantias et species non satis prius novi nec accusavi. » Si Confessarius jubeat illum bono esse animo : « Pater, inquit, non me nosti qualis sim; habes me pro scrupuloso, qualis non sum; me non audis nec adjuvas; nescio aperire conscientiam meam. Dictat conscientia me versari in malo statu, nec possum contra eam operari... »

Confessarius autem, ut finem imponat anxietatibus et querelis circa debitam peccatorum accusationem, ait : « Jam satis est. Cætera, quæcumque sint, omitte; ab iis enim aperiendis te dispenso, nisi jurare possis te certo peccatum mortale non accusatum in conscientia adhuc habere. » His dictis, pœnitentem reluctantem, imo et invitum absolvit.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo generatim tractandi sint scrupulosi?*

2° *An Confessarius recte egerit?*

3° *An Confessarius quandoque scrupulosum dispensare possit a perficienda confessione, seu impedire ne plura subjiciat, etiamsi forte possit confessio deficere ratione integritatis?*

Solutio :

48. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Confessarius cum scrupuloso sit patiens, benignus et fortis; 2° cum imperio procedat, et absque hæsitatione interroganti respondeat; 3° non sinat repeti confessiones præteritas, et a fortiori confessionem generalem institui; 4° in hoc maxime instet Confessarius ut pœnitens ei obediat; quod si obedire recuset, cum objurget, et quantum potest duritiem ejus retundat. Cum scrupulosis obedientibus blande agendum est; cum iis autem qui in obedientia delinquunt potius exercendus est rigor : « Hac enim anchora obedientiæ destituti, nunquam ipsi sanari possunt. » — *S. Lig. n.* 16.

49. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Arguendus non videtur Savinus; sed agendo fortiter, Confessarius caveat ne clementiæ obliviscatur. Regula hæc : *Nisi jurare possit...*, etc., utiliter præscribi potest. Aliquando tamen cum iis qui in via scrupulorum provecti sunt, nihil proderit nisi ad animum pœnitentis magis perturbandum, quia sibi videbuntur posse jurare. Si igitur Confessarius id animadvertat, praxim hanc mutabit...

50. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirmative,* quando scilicet scrupulosus ita est conscientia intricatus, ut medium istud moraliter necessarium Confessario videatur, ad bonum animæ pœnitentis. Obligatio enim confessionis tunc evadit moraliter impossibilis, et Confessarius id declarare potest hac formula : *Te dispenso,* id est, nolo ut aliud quidpiam subjicias; numquid Christus Dominus confessionem instituit, ut esset animarum carnificina? minime gentium. Confessarius igitur non proprie dispensat, sed declarat legem cessare. — *S. Lig. n.* 16.

Cæterum rarissime occurrit casus in quo scrupulosus reapse a peccato mortali manifestando sic dispensaretur, cum plerumque id quod grave reputat, tale non sit, ut præsumendum est ex ordinarie contingentibus.

NOTANDA

Circa objectiones scrupulosorum.

51. — Hic non abs re quidem erit præcipuas scrupulosorum difficultates adnotare. Licet enim generatim non sit disputandum cum scrupulosis, juvat tamen scire quo modo eorum pertinacia quandoque retundi possit.

Objicit 1° scrupulosus contra prohibitionem a Confessario injunctam ne plura declaret : Pater, clamat conscientia me alia habere peccata decla-

randa. Conscientiæ meæ contradicere nequeo, nec ejus clamoribus obsistere, eamque suffocare. Nunquam enim fas est contra conscientiam operari.

Responsio Confessarii : Frustra times, fili, ne agas contra conscientiam. Ubi est conscientia tua? ubi est dictamen verum? Ego in te aliud deprehendere non possum nisi densissimas tenebras : lumen tuum extinctum est, et loco luminis rectæ rationis, erronea tua phantasia, vel etiam ipse *Lucifer, princeps tenebrarum,* suam tetram, caliginosam et fumosam lampadem accendit, et præit, eam deferendo. Tu vero, miser et cæcus, in hoc lumine confidis?

52. — *Objectio* 2ª : Sed, Pater, si damnationem incurram, numquid a gehenna me liberabis? Nonne Deus præcipit confessionem peccatorum integram?

Sic ad hæc Confessarius : Audi, fili mi : falsum est te damnationis periculum incurrere, si Confessario obedientiam præstes. Ipse te eximere potest ab obligatione plura peccata declarandi, si forte existant, quando judicat id ad animæ tuæ bonum expedire; id est, declarare potest legem integritatis confessionis in tantis angustiis non urgere, teste *S. Lig.*, post multos alios. Cæterum non tuum est scire quid possit vel non possit Confessarius, sed tantum obedientiam ei præstare. Hac via certo consequeris animi pacem, quam per confessiones, etiam centies repetitas, nunquam reperies.

53. — *Objectio* 3ª : Pater, hoc quidem admitterem si me cognosceres; sed me minime nosti : quomodo ergo tibi obtemperare possum? quomodo tu pro me coram Deo respondere vales, et in recta salutis via me dirigere, atque ab angustiis liberare?

Resp. : Siste, frater : quid est hoc quod effutis? scito et vide usquequo processerit obcæcatio tua? Tu reformidas periculum erroris et æternæ damnationis, si duci tuo spirituali obtemperes, qui, præter propriam experientiam et sapientiam, a Deo ad te dirigendum specialiter illuminatur; minime vero de propria opinatione diffidis? nullum reformidas errorem ex parte tui ipsius? ubi igitur est infallibilitas tua? numquid Deus te infallibilem constituit ad tui directionem, cum ne Papa quidem hujuscemodi gaudeat infallibilitate? Sane infallibilis evadere potes, sed ad hoc consequendum sola via superest, obedientia.

54. — *Objectio* 4ª : Audio, Pater; sed nec Confessarius est infallibilis; quid igitur de me misero fiet, si forte erraverit?

Resp. : Confessarius revera non est infallibilis *materialiter* in sua dirigendi ratione, tu autem vera gaudebis infallibilitate, ei obsequendo, cum Christus dixerit Apostolis seu Sacerdotibus : *Qui vos audit, me audit.* Igitur, si forte materialiter dux tuus erraverit, error ille tibi minime imputari potest. Sed dic mihi, quæso, mi bone, quare adeo reformidas errorem ex parte Confessarii, et tam parum diffidis pertinaciæ judicii tui, et spiritui superbiæ ac tenebrarum quo repleris? Nescis quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?* Verum si gratia conceditur humilitati, humilitas in obedientia et animi subjectione sistit. Quis igitur te *fascinavit non obedire veritati? Galat.* III, 1.

55. — *Objectio* 5ª : Pater, minime diffido sapientiæ tuæ, sed mihi ipsi, qui conscientiam meam tibi patefacere nequeo, et ideo continuis anxietatibus detineor et crucior.

Resp. : Contemne, frater, hos animi tui angores et cruciatus; inanes et periculosas abjice curas. Hunc statum tuum patienter sustine, et Deus olim te sublevabit, nec quippiam detrimenti ex his animæ tuæ perplexitatibus et angoribus capies. Dic ex imo corde cum regio Psalmista : *In te, Domine, speravi; non confundar in æternum. Ps.* XXX, 2.

CASUS VI

DE PROBABILISMO 1°

Disputatio inter plures doctores.

1° Severinus, *probabiliorismi* patronus acerrimus, adversarios in unum demergit barathrum. Clamitat eos evidenti salutis discrimini se committere, opinionem minus tutam, seu minus aut æque probabilem sequendo, cum id quod probabilius malum est peragere præsumant, et proinde leges divinas formaliter violare non dubitent.

2° Benignus, *æqui-probabilismi* defensor, ut *amantissimus æqui*, carpit Severinum de nimio rigore, innixus hoc principio : *Lex dubia non obligat*, seu *non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet;* sed probabilistis, utpote in benigniorem partem propendentibus, etiam adversatur.

3° Homobonus, *probabilista*, jura libertatis propugnans, carpit tum Severinum, tum Benignum : primum quidem rationibus secundi, et secundum suis ipsiusmet rationibus, eum propriis armis confodiendo.

4° Audifacius vero, cujuslibet systematis osor, socios suos omnes carpit, dictitando eos vanas et chimericas disputationes agitare; statuit autem sensum communem sufficere ad varios casus solvendos, sicut ante exortas de his controversias plane sufficiebat.

Hinc :

Quær. *Quid de singulis, seu quis carpendus?*

Solutio :

56. — *Resp.* 1° Carpendus Severinus. Etenim qui alios sine justa causa carpit, jure merito carpendus est. Quare probabilistas in unum demergit barathrum? Nemini theologo fas est damnare quos Ecclesia non damnat, quosque major pars theologorum suo suffragio comprobavit. Sis pro te ipso, Severine, severus et quidem severissimus, probabiliorista et rigorista; per me licet; imo et tibi suadeo. Ast caveas, quæso, ne proprias opinationes, velut certissimas leges, aliis imponas. Unum a te scire velim. Dic mihi quare statuis esse licitum sequi opinionem probabiliorem, relicta tutiore? Nonne sola conscientia certa est agendi regula? Sed non est certa tua conscientia contra quam militat solida probabilitas, ut in hypothesi habetur. Jam cogeris, volens, nolens, confugere ad principium *reflexum* probabilistarum, scilicet : *Lex dubia non obligat*, quia incerta et incognita est. Non exies inde, nisi, deposito etiam probabiliorismo, tutiorista evadere malis.

57. — 2° Carpendus Benignus. Limites enim prudentiæ excedere vide-

tur, acrius carpendo non solum probabilioristas, sed et ipsos probabilistas. Dum hinc et inde strenue dimicat, non attendit se ipsum propriis armis confodi. Idem enim datur principium *reflexum* tum pro æquiprobabilistis, tum pro probabilistis simpliciter, imo etiam probabilioristis, scilicet : *Non datur obligatio, nisi de ea certo constet.* Porro, si Benignus probabilistas impugnando principium istud evertat, in quonam fundamento nitetur ipse? Quare enim aliquando fas esse potest agere contra legem probabiliter tantum existentem? Alia ratio dari nequit, nisi hæc eadem, quia *lex dubia incerta est, et lex incerta ut incognita habetur.* Atqui sive ambæ sententiæ sint æque probabiles, sive una aliam gradu aliquo probabilitatis superet, quoties opinio libertati favens remanet solido motivo innixa, semper verum est legem dubiam incertamque remanere.

58. — 3° Carpendus Homobonus. Quare? Non quidem quoad doctrinam, libenter enim cum eo manus jungimus; sed tantum ex eo quod alios carpat. Caveat ne disputationis studio abreptus in lege caritatis deficiat. Ejus autem doctrina minime carpenda est, licet in praxi id quod tutius est communiter suadendum sit. *V. Comp., n.* 60 *et seq.*

59. — 4° Carpendus Audifacius, et quidem imprimis. Non videtur enim temeritatis notam effugere qui, respuendo opiniones tamdiu in scholis agitatas, systemata omnia destruens ac penitus subvertens, nullum solidum et clarum ædificat. In tribus expositis sententiis veritas consistere debet, cum tutiorismus et laxismus fuerit damnatus. In istis tantum datur medium. Perdifficile est hac in re aliquid novi et solidi excogitare. Sufficit, ait Audifacius, sensus communis! Sed numquid sensus communis quæstiones adeo intricatas et controversiis refertas dissolvet? Quis igitur est iste sensus communis? Est sane quid chimericum hoc pro praxi statuere.

60. — *Conclusio.* Nemo carpendus quoad doctrinam, excepto ultimo opinante seu Audifacio. Non igitur carpendus Severinus, modo opiniones suas aliis tanquam obligatorias non imponat; neque Benignus, modo adversarios acrius non carpat; neque Homobonus, modo caritatem erga alios servet, et in arctis limitibus probabilismi consistat. Huic autem omnino ratione doctrinæ adhæreo, alios non damnando. Vide autem probationes doctrinæ probabilismi in *Compendio, n.* 69 *et seq.*

CASUS VII

DE PROBABILISMO 2°

Philibertus, theologiæ professor, posthabitis omnibus systematibus de probabilismo huc usque propugnatis, utpote falsis, novum excogitavit systema, quo difficultates omnes circa conscientiam dubiam facile solvuntur. Sic autem fundamentum suæ opinationis statuit : Lex dubia neque caret omni obligatione, neque urget ut lex certa; sed plus minusve obligat prout plus minusve cognoscitur. Proinde causa, quæ excusare non valeret ab obligatione certa, aliquando sufficit ad excusandum a lege incerta. Hoc autem probat : 1° Ex natura obligationis. Lex omnino cognita habet omnem

suam obligationem; lex prorsus incognita nullam habet obligationem. Ergo lex imperfecte cognita, pari ratione, imperfectam parit obligationem, majorem vel minorem pro gradu cognitionis; urget autem semper aliqua obligatio, quia semper adest periculum majus vel minus legem violandi materialiter. Attamen, si lex plus minusve urget pro gradu majori vel minori cognitionis nostræ, causa excusans a lege debet esse gravitati obligationis proportionata; adeoque ratio minor ab obligatione imperfecte cognita te excusabit. 2° Ex sensu communi. Constat enim ex persuasione generali, seu ex sensu communi hominum, dari veram obligationem in lege incerta, etiam in dubio positivo, nempe sequendi tutiorem partem, nisi aliqua ratio excuset.

Hinc :

Quær. *Quid de hoc novo systemate sentiendum sit?*

Solutio :

61. — Philibertus rem arduam et periculis plenam agressus est dum uno verbo omnes aliorum opiniones seposuit ac destruxit. Simili modo destruere admodum facile est, solide vero ædificare operosius. Rem arduam aggreditur ille qui, in re tam gravi a tot Doctoribus tamdiu perpensa et cogitata, respuit quidquid alii huc usque dixerint, ut novum systema construat. Quidquid sit, hæc nova opinatio, meo quidem judicio, pluribus de causis prorsus rejicienda et profliganda est, ut ex dicendis patebit.

1° Systema illud pertrahit ad tutiorismum sectandum. Etenim lex dubia, juxta Philibertum, semper, plus minusve obligat, nisi casu occurrat ratio ab ea excusans. Ergo pars tutior necessario semper sequenda est ad effugiendum peccatum, licet probabilitas major vel etiam maxima libertati faveat, siquidem lex quantumvis incerta semper urgere pergit. Atqui tutiorismus reprobatus est in damnatione sequentis propositionis ab Alexandro VIII facta : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo systema Philiberti implicite in hujus propositionis damnatione reprobatur. Nec obstat quod Philibertus aliquod temperamentum apponat, dicendo obligationem ex lege incerta facilius causas excusantes admittere; nam causæ excusantes sunt per accidens, et casus exceptionis constituunt.

62. — 2° Argumentum Philiberti ad urgendam obligationem ex omni lege incerta nullatenus probat. Obligatio quidem certo cognita certo obligat, et prorsus incognita minime obligat. Sed quomodo concluditur imperfectam cognitionem inducere imperfectam obligationem? Sane non patet. Est gratuita assertio, non vera probatio[1]. Et quis audivit unquam de variis gradibus in legis obligatione? Quid sibi vult hæc dimidiata et partialis obligatio? Quomodo gradus obligationis commensurari poterunt? Qualis gradus erit requirendus ad graviter peccandum, vel contra a peccato gravi eximendum? Quis hoc declarabit? Verius concludendum est obligationem esse indivisam, vel existere vel non existere. Imo melius ex incerta lege deducitur nullam dari obligationem, quia ad obligandum requiritur ut

[1] Imo imperfecta seu incerta cognitio simpliciter non est cognitio, sed dubium vel opinio.

obligatio clara et aperta sit; proinde ubi incerta est obligatio, nulla obligatio datur.

63. — 3° Gratuito etiam supponit Philibertus nefas esse incurrere periculum legem materialiter violandi, ubi lex incerta est. Quid enim mali in illa violatione materiali, quando obligatio mihi incognita est? Quomodo peccatum velle possum, si illud non cognosco? Præterea, hæc assertio iterum nos in tutiorismum damnatum deduceret; etenim, ea posita, nunquam liceret agere cum opinione quantumvis probabili, quia semper esset formido legem materialiter violandi, nisi pars tutior eligeretur. Insuper illa violatio materialis, si forte reperiatur, minime est volita; non enim intenditur; imo ignoratur, cum ipsa lex sit incognita.

64. — 4° Neque admittenda est probatio ex sensu communi desumpta. Etenim, si sensu communi revera probatur semper dari obligationem in lege incerta, etiam post inquisitionem et debitam discussionem, concludi debet omnes theologos caruisse sensu communi, si quidem omnes turmatim, sive probabilioristæ sive probabilistæ, agnoverunt sæpe nullam dari obligationem in lege dubia, licet nulla adsit ratio excusans. Ubinam autem, quæso, deficit sensus communis? An in turma omnium theologorum, vel in solo Philiberto? Sed Ecclesia etiam ipsa censebitur carere sensu communi, quippe quæ damnando tutiorismum, et positive approbando doctrinam *S. Ligorii*, declaravit sæpe nullam dari obligationem in lege incerta, etiamsi nulla causa ab obligatione excuset. Ergo ruit ex omni parte Philiberti systema.

CASUS VIII

DE USU PROBABILISMI

Leofridus sequentia dubia Confessario proponit :

1° Iter agens die jovis, ad hospitium non perveni nisi versus mediam noctem. Oblatas carnes citissime comedi, dubius an in fine comestionis jam advenisset hora duodecima, necne. Varia de hoc habebantur horologiorum testimonia, quæ perpendens conscientiam efformavi.

2° Alia vice, simili occurrente casu, carnes comedi versus mediam noctem, sabbatum inter et Dominicam diem. Libenter exspectassem, ad dubium mora temporis dirimendum, sed obstitit currus publicus jamjam profecturus.

3° Cum die quodam festo communicaturus essem, exiguum sacchari frustulum inadvertenter ad os admovi; sed statim advertens ad Communionem peragendam, quam citissime exspui quidquid erat in ore, dubius tamen an aliquid sacchari deglutierim; nihilominus ad sacram mensam accedere non dubitavi.

4° Alias etiam, sacram Communionem suscepi dubius utrum post mediam noctem biberim?

Peto an, vel quomodo in omnibus deliquerim?

Hinc :

Quær. *Quid sit a Confessario respondendum circa proposita dubia? — Quid in dubio practico, et quid in casu veræ probabilitatis?*

Solutio :

65. — *Resp. ad* 1^um^. 1° *In genere.* Si dubium sit practicum, non potuit Leofridus uti probabilismo in favorem libertatis, ut dictum est supra ad casum 3^um^. Secus in dubio speculativo.

2° *In particulari. Resp. ad* 1^um^. Non peccavit Leofridus carnes edendo versus mediam noctem die jovis, quia non ipsi constabat de lege carnes prohibente, et insuper conscientiam ex testimoniis hinc et inde perpensis efformavit. Ita multi cum *S. Lig., n.* 38 *et seq.* — *Lacroix, t.* 1, *n.* 470.

66. — *Ad* 2^um^. Nec videtur peccasse simili recurrente casu, vescendo carnibus versus mediam noctem, inter sabbatum et diem Dominicam. Etenim in casu prudentem habuit rationem judicandi non urgere tunc temporis legem prohibentem. Id sequitur ex principiis probabilismi, cum revera obligatio sit vere incerta, et proinde nulla. Ita *Lacroix* citatus, cum aliis, contra alios multos, qui cum *S. Ligorio* urgent legis obligationem ex principio possessionis. *V. Comp., n.* 79, *Quær.* 5°.

Sed aiunt : Lex certa possidet ; ergo urget. Nego assertum, scilicet quod hic et nunc sit lex certa. Fuit quidem antea certa ; sed in hypothesi minime certa est. Etenim controvertitur utrum lex applicationem habeat necne, ergo non est certa. Contra certitudinem non datur probabilitas gravi motivo innixa ; ergo necessario obligatio legis dubia evasit.

67. — *Ad* 3^um^. Non peccavit Leofridus ad sacram synaxim accedendo, dubius an forte quid sacchari deglutierit, quia ipsi de violato jejunio naturali non constabat, nec proinde constabat de obligatione a sacra Communione abstinendi. *S. Lig. n.* 38. — *Lugo.* — *Lacroix,* et alii contra alios.

68. — *Ad* 4^um^. Probabiliter adhuc excusandus Leofridus ; nam eadem ratio currit ac in casu præcedenti, siquidem neque tunc de violato jejunio constat. *S. Lig. n.* 39. — *Lacroix* et alii contra *Lugo*, etc. — *V. Comp. n.* 80, et 1, 2, *n.* 332, *Quær.* 6°.

CASUS IX

DE AUCTORITATE CONFESSARII CIRCA OPINIONES

Lucanus, confitendi gratia, ad Aquilinum, Sacerdotem, accedit, et inter ipsum et Confessarium instituitur sequens dialogus : « Nonne, ait Confessarius, talem contractum usurarium contraxisti? — Pater, inquit pœnitens, revera illum inivi, sed scio eumdem a viris probis iniri, et a Sacerdotibus doctis probari. — Hæc doctrina non est mea, reponit Parochus ; contractum hunc rescindere debes, vel saltem compartem debita restitutione indemnem facere. — Parce, quæso, Pater, subjicit Lucanus, cum viri probi et docti hunc contrahendi modum probent, puto, probabiliter saltem, non esse illicitum. — Non est mea doctrina, inquam, iterum ait Confessarius, contrariam opinionem teneo ; perge igitur, mi bone, te absolvere nequeo ; quære alium Confessarium, qui tecum consentire et connivere queat. »

His dictis, Aquilinus a se Lucanum propellit. Infelix Lucanus ad alium Confessarium, Pancratium nempe, recta via tendit, remque totam ei pan-

dit. « Pax tecum, sis quietus, ait Pancratius, tua quidem opinio mihi non est probabilis, sed scio eam ut probabilem a doctissimis viris haberi, eam proinde servare potes; vade igitur in pace. »

Hinc :

Quær. 1° *An Confessarius possit absolutionem denegare pœnitenti, sibi in opinionibus non consentienti, si ipsi vera probabilitas faveat?*

2° *An Confessarius possit proprias opiniones ignaris imponere?*

3° *An Confessarius ad restitutionem teneatur, si proprias opiniones imponat cum damno pœnitentis?*

4° *An Confessarius habens opinionem ut improbabilem, sed a theologis magni nominis probatam, permittere possit ut pœnitens eam sequatur?*

Solutio :

69. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego* prorsus cum *S. Ligorio* contra *Concina*. Ratio est, quia pœnitens jus habet sequendi quamlibet opinionem vere et practice probabilem; neque Confessarius jus habet ipsi proprias opiniones imponendi, etiamsi probabiliores essent. Confessarius enim non est judex opinionum, sed peccatorum. Deinde pœnitens, facta confessione, jus habet ad absolutionem, nisi ex alia parte indispositus videatur. Gravem igitur injuriam ipsi irrogabit Confessarius, cum privando gratia Sacramenti, et adigendo ad confessionem apud alium cum magno onere repetendam. Quid si pœnitens sit ipso Confessario doctior? Numquid propriam opinionem, quam judicat probabiliorem, deponere debebit, ut opinionem oppositam Confessarii sequatur?

Lepidum hunc casum supponit *S. Lig., n.* 604.

« Duo Confessarii habent duas opiniones contrarias, quarum sua cuique « apparet probabilior. Si unus velit alteri confiteri, debebit suam deponere « opinionem, ut Confessario suo judici constituto pareat. Contra vero, si « alter postea huic confiteatur, debebit hic secundus Confessarius suam « resumere opinionem, quæ sibi probabilior apparet; tunc enim debebit « judicare secundum proprium judicium, et alterum obligare ut suam « deponat opinionem, quam sibi prius sequendam imposuit. En comœdia « risu digna, quæ quotidie inter Confessarios eveniret. »

70. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Ignari enim et rudes non debent esse deterioris conditionis ac doctiores; hinc si ipsi discernere nesciant inter opiniones, Confessarius nihilominus ipsis imponere non debet ut certas obligationes, quas ipse ut incertas ex auctoritate gravissimorum theologorum bene novit.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Affirm.* cum *Bouvier*. Sequitur ex dictis; si enim Confessarius urgeat, v. gr., obligationem restitutionis, in casu in quo duplex datur opinio probabilis inter theologos, urget injuste cum damno pœnitentis; sed ille, qui est causa injusti damni, ad restitutionem tenetur. Ergo, etc.

71. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Confessarius permittere quidem nequit ut pœnitens sequatur opiniones falsas, quia ab errore eum avertere debet. Sed si pœnitens velit sequi opinionem aliquam a probatissimis theologis ut vere probabilem admissam, a Confessario impediri nequit, licet hic doctri-

nam istam improbabilem habeat. Ratio est, quia si aliqua sententia teneatur a pluribus theologis, v. gr., a quinque vel sex, probitate, judicio et scientia præstantibus, nec damnata fuerit, nec alicui legi, hic et nunc existenti, contraria sit, neque certa ratio contra eam appareat, admitti potest, ut probabilis, et consequenter a simplici Confessario prohiberi non potest.

CASUS X

DE AUCTORITATE S. LIGORII

Tres theologiæ candidati, RENATUS nempe, NESTOR et PASCALIS, quæstionem inter se movent de doctrina *Ligoriana*, quæ, ut notum est, approbata fuit, tum per decretum canonizationis, ex quo constat nihil in S. Doctoris operibus censura dignum reperiri: tum per declarationem S. Pœnit., anni 1831, affirmantem cuique fas esse tuto sequi omnes opiniones quas admittit *S. Alphonsus*, etiam non inspectis ejus rationibus [1].

Posita autem præfata approbatione, nostri juniores theologi de ejus sensu et extensione acriter disputant. RENATUS contendit omnes S. Doctoris opiniones inde evadere *moraliter* certas. — NESTOR vero tenet eas opiniones esse quidem in praxi tutas, sed remanere plus minusve probabiles. Asserit autem licitum esse illas amplecti, quamvis improbabiles prorsus reputentur. PASCALIS tandem tum RENATO, tum NESTORI, adversatur et dicit easdem

[1] *Responsum S. Pœnitentiariæ Illustrissimo Domino Card. de Rohan, Archiepiscopo Vesuntionensi, datum circa doctrinam S. Alphonsi de Ligorio.*

POSTULATUM

Ad Em. Card. de Gregorio, majorem Pœnitentiarum.

EMINENTISSIME,

Ludovicus Franc. Augustus Card. *de Rohan Chabot*, Arch. Vesuntionensis, doctrinæ sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes diœcesis suæ qui curam gerunt animarum; quorum nonnullis impugnantibus ac prohibentibus theologiam moralem *B. Alph. M. a Ligorio* tanquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanæ morali contrariam, S. Pœnitentiariæ oraculum requirit suppliciter, ac ipsi unius theologiæ professoris sequentia dubia proponit solvenda:

1° Utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur *B. Alphonsus a Ligorio*, tuto sequi ac profiteri possit?

2° An sit inquietandus Confessarius, qui omnes *B. Alph. a Ligorio* sequitur opiniones in praxi S. Pœnitentiæ tribunalis, hac sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit?

Confessarius de quo in dubio, non legit opera B. Doctoris, nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variæ nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam.

S. Pœnitentiaria, perpensis expositis, R° in X° P. S. R. E. Card. Arch. Vesunt. respondendum censuit:

Ad 1^um^ quæsitum, *affirmative*, quin tamen reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

Ad 2^um^ quæsitum, *negative*, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, 5 julii 1831. A. F. DE RETZ, *S. Pœnit. reg.*

opiniones neque esse moraliter certas, cum sint meræ opiniones, neque; quendas esse in casu in quo agenti improbabiles omnino habentur.

Hinc :

Quær. *Quid de singulorum contendentium sententiis tenendum sit? Seu, quomodo approbatio doctrinæ Ligorianæ intelligenda sit?*

Solutio :

72. — *Resp.* 1° Renatus, amore et studio erga S. Alphonsum impulsus, limites veri excedit. Etenim S. Sedes, vel S. Pœnitentiaria aliud non intendit, nisi declarare nihil erroneum esse in doctrina S. Alphonsi, ita ut absque temeritate et labe imprudentiæ ejus opiniones in praxi admitti possint. Igitur illæ opiniones, licet tutæ, remanent probabiles, neque nefas est ab eis discedere. Constat ex verbis ipsis S. Pœnitentiariæ. Proposito enim dubio, nempe utrum professor theologiæ tuto sequi posset omnes opiniones quas *S. Ligorius* in sua Theologia morali profitetur? S. Congregatio respondit : *Affirmative, quin tamen reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Sic etiam *Card. Gousset,* in opere : *Justification de la doctrine de S. Liguori;* et præsertim in opere : *Lettres à M. le Curé* ***, in quo egregie percellit et profligat auctorem anonymum, qui prius opus incredibili audacia impugnaverat [1].

73. — *Resp.* 2° Nestor quoque ultra veritatem progreditur, cum asserit, tibi fas esse sequi opiniones a S. Doctore traditas, licet eas prorsus et certo improbabiles et falsas habeas, vel saltem de improbabilitate et falsitate convincaris. Ratio est, quia tunc agens contra legem, ratus opinionem quam sequeris esse omnino improbabilem, agis contra legem moraliter certo cognitam, et proinde agis contra conscientiam tuam. — Secus vero dicendum est, si, licet opinio *S. Alphonsi* non tibi videatur quidem probabilis, non

[1] Sic doctissimus Gousset adversarium alloquitur :

« Vous ne croyez pas, Monsieur, qu'une opinion soit vraie, parce qu'elle a été adop-
« tée par *S. Liguori*. Je ne le crois pas non plus. Seulement, je crois que cette opinion est
« au moins probablement vraie, et aussi probablement vraie que l'opinion contraire,
« c'est-à-dire, en d'autres termes, qu'elle est au moins probable, d'une probabilité plus
« ou moins forte, mais toujours suffisante pour être admise sans témérité. Je crois seu-
« lement qu'on peut suivre cette opinion, parce qu'on présume et qu'on doit présumer
« qu'un auteur dont les écrits ne renferment rien qui soit digne de censure, rien par
« conséquent qui soit téméraire, n'a rien avancé témérairement. » *Lettres à M. le curé* ***,
« *lettre* II, *p.* 27.

« Vous ne lirez point dans la *Justification* que toutes les opinions de *S. Alphonse* sont
« *vraies;* je ne les défends contre les adversaires de ce saint Docteur que comme *ortho-*
« *doxes,* que comme étant assez *probables* pour pouvoir être adoptées dans la pratique.
« Ces opinions peuvent certainement n'être pas *vraies;* elles sont peut-être *vraies,* elles
« ne le sont peut-être pas; il y a de fortes raisons et de graves autorités pour et
« contre... »

« ... Ainsi, pour justifier la morale de *S. Liguori,* il n'était pas nécessaire de donner
« ce saint évêque comme un auteur *infaillible, inspiré,* ni de représenter ses opinions
« comme autant de vérités certaines, incontestables. Il suffisait de montrer que ses sen-
« timents sont certainement *probables,* ou probablement *vrais,* et que ses écrits ne ren-
« fermant rien qui soit digne d'aucune censure ecclésiastique, on ne peut y découvrir
« aucune proposition qui soit, je ne dis pas impie, hérétique, schismatique, scandaleuse,
« mais *erronée, téméraire,* ou *dangereuse.* » *Ibid. Lettre* III, *p.* 49 *et* 52.

certo judicas esse improbabilem et falsam; tunc enim eam habere potes ut vere probabilem ex judicio reflexo, scilicet, innixus in auctoritate tanti Doctoris, conscientiam efformare vales et doctrinam illam in praxim deducere. Potes enim facile judicare eximium hunc Doctorem multo melius te ipso rei rationes perscrutari novisse [1].

74. — *Resp.* 3° Pascalis recte judicavit in utroque casu, ut patet ex dictis in responso primo et secundo. Opiniones enim *S. Ligorii* remanent meræ opiniones, etiam posita approbatione. Verum, cum sint opiniones Doctoris omni exceptione majoris, et cujus doctrina speciali approbatione S. Sedis gaudet, ex principio reflexo, tuta regula agendi evadere possunt, etiam pro iis qui ad ejus rationes non attendunt, vel eas investigare nesciunt. Cavendum autem est ne *S. Ligorio* adscribantur opiniones aliorum, ab ipso quidem relatæ, sed non positive ut probabiles admissæ. Notandum etiam est, quod Confessarius, licet habeat aliquam opinionem nostri Doctoris ut improbabilem, non potest pœnitentem ab ea sequenda prohibere.

CASUS XI

DE MUTATIONE SENTENTIÆ

1° Lucianus, hæres, admittit ut validum testamentum in sui favorem conditum, quamvis quibusdam debitis formalitatibus careat, innixus probabili Doctorum sententia. Sed alia die mutata sententia, juridice postulat et obtinet irritationem alterius testamenti pariter informis, in favorem *Caii* conditi, ut ipse propior hæres colligat hæreditatem..

2° Batavius, audita hora mediæ noctis die sabbati, manducat carnes, utpote in tempore pertinente ad diem Dominicam, ex vi probabilitatis quam facit auditum horologium; sed post quadrantem audit aliud horologium dans signum ejusdem mediæ noctis, et mutata sententia huic se conformat, et perinde ac si nihil die Dominica manducasset, ad sacram synaxim hac die accedit.

3° Sigismundus, hæres ex testamento carente aliqua formalitate, retinet hæreditatem ex opinione probabili quod valeat testamentum, et, mutata sententia, recusat solvere quædam legata in ipso inclusa.

[1] « ..... Dites-nous comment un confesseur, un simple particulier, pourrait découvrir « la vérité sur un point au sujet duquel ne s'accordent pas les Docteurs catholiques? « Dites-nous comment il pourrait résoudre une question que les plus célèbres théologiens « n'ont pas encore pu résoudre? Oserait-on lui faire un crime de ne pas pousser la pré- « tention jusqu'à se croire capable de vaincre par lui-même une ignorance que ni l'é- « vêque de Sainte-Agathe, ni les plus grands génies, n'ont pu vaincre, malgré leurs « veilles et l'étude toute particulière qu'ils ont faite de la morale?...

« Mais, dites-vous, *comment peut-il se croire en sûreté de conscience, en adoptant « sans examen une opinion controversée, qui est peut-être la moins sûre et la moins « probable?* Il se croit en sûreté de conscience parce qu'il croit pouvoir juger prudemment « qu'une doctrine qui est exempte de toute censure est saine en tout... Il se croit en sûreté « de conscience parce que la Pénitencerie, l'organe du Saint-Siège pour ce qui a rapport « à la direction des consciences, a décidé qu'on ne doit point l'inquiéter, *non inquietandus.* « Il se croit en sûreté de conscience parce qu'il ne pense pas que l'opinion qui lui paraît « plus probable, d'après l'examen, soit réellement plus probable que celle qu'il adopte « de confiance sur l'autorité de *S. Liguori.* » *Ibid. Lettre* III, *p.* 59 *et* 60.

Hinc :

QUÆR. 1° *An vel quando liceat mutare sententiam semel acceptam?* 2° *Quid ad varios casus?*

Solutio :

75. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Licet per se mutare sententiam jam aliquando electam, si nulla sit repugnantia inter talem mutationem et veram probabilitatem : id est, dummodo mutans sententiam, aliam hic et nunc vere probabilem amplectatur, nec istud ullam contradictionem neque theoretice neque practice involvat. Etenim ille qui alterutram e duabus sententiis probabilibus amplectitur, non cessat judicare alteram probabilem, et proinde ea manet ipsi incerta quod ad illam partem sicut antea. Ergo, data occasione, vel stante commodo, potest illam partem sequi, quamvis alias partem oppositam fuerit secutus. Excipe casum in quo hic et nunc sententiæ mutatio veram probabilitatem tolleret, ut ex dicendis patebit. — *V. Lugo.* — *Voit.* — *Lacroix.*

76. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.*, seu ad varios casus :

1° LUCIANUS legitime potuit mutare sententiam in praxi circa valorem testamenti aliqua forma legali carentis, pro variis circumstantiis, quia semper opinionem vere probabilem secutus est. Etenim sibi servando hæreditatem, non obstante defectu formæ, ante sententiam judicis, licite egit, cum juxta opinionem vere probabilem egerit ; sed non ideo cessavit judicare oppositam ut solide probabilem, nec renuntiavit juri quod cuilibet civi competit, prosequendi irritationem alterius testamenti, si hæc irritatio ipsi faveat : ergo irritationem legati juridice postulando jure suo usus est LUCIANUS ; ergo minime inquietandus.

77. — 2° BATAVIUS, juxta *Caramuelem*, licite potuit communicare, innixus in probabilitate jejunii non violati ; singula enim horologia, quæ habentur ut bene regulata, virtutem opinionum probabilium habent. Sed minime hoc admittendum est ; agendi enim ratio BATAVII contradictionem involvit. In casu præcedenti LUCIANUS, utendo priori probabilitate, non censebatur renuntiare juri recurrendi ad probabilitatem oppositam in alio casu opportuno. BATAVIUS autem manducando carnes, quia probabiliter est dies Dominica inchoata, eo ipso jam facultati renuntiat hac die communicandi. Proinde, in hoc probabilitatum conflictu, prior in praxim deducta posteriorem practice destruit. Non possunt enim probabilitates illæ seorsim spectari sicut spectarentur, si alia die probabiliter non jejunus communicaret. Una enim ex duabus legibus necessario et ex eodem agendi tempore violatur. Ergo damnandus BATAVIUS.

78. — 3° Damnandus etiam est SIGISMUNDUS, utpote sibimetipsi contradicens. Validitas enim et invaliditas ejusdem testamenti simul consistere nequeunt ; sed SIGISMUNDUS retinendo hæreditatem affirmat testamentum esse validum et recusando solvere legata affirmat esse invalidum. Ergo sibi contradicit. Ergo damnandus est. Deinde juxta regulam Juris 55 in 6 : *Qui sentit commodum, et onus sentire debet. Voit, n.* 104. — *Lacroix, l.* 1, *n.* 373. — *Elbel, n.* 190.

CASUS

DE LEGIBUS

Quid de legum subjecto, promulgatione, conditore, obligatione, dispensatione? — Quid de lege irritante et pœnali? — Quid de consuetudine et privilegiis?

CASUS I

DE SUBJECTO LEGIS 1°

Melania, miserrima materfamilias, maritum sortita est ebriosum, et fere quotidie vino captum; filium decennem natu majorem, omnino amentem; alium septennem, freneticum; et tertium quinquennem, nondum usum rationis habentem. Toti huic familiæ, diebus veneris, carnes a die jovis residuas manducandas præbet, quia sive pater, sive filii a præcepto Ecclesiæ videntur eximendi.

Tantis cumulata ærumnis Melania, utpote animi impatientissimi, virum ebrium necnon filium amentem in execrationes et blasphemias, tum exemplo, tum procacibus verbis, tum etiam fustibus frequenter provocat et impellit; nec scrupulo quidem minimo cohibetur, ex eo quod maritus et filius, usu carentes rationis, peccare nequeant.

Hinc :

Quær. 1° *Quinam legibus subjiciantur? An infantes, ebrii, amentes, etc.?*
2° *An pueri teneantur ad leges Ecclesiæ statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum attigerint?*
3° *Quid in singulis casibus statuendum?*

Solutio :

79. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Legibus humanis subjiciuntur omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes. Legi autem naturali quilibet nascitur et remanet subjectus. Nemo tamen actualiter peccat, nisi usu rationis gaudeat. Hinc infantes, qui usum rationis nondum adepti sunt, et amentes, sunt subjecti legi naturali in actu primo, non autem positivæ; ebrii autem quilibet legi subjecti remanent. *V. Comp. n.* 91-92.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex datur sententia probabilis, scilicet, affirmans et negans; prior tamen probabilior videtur cum *S. Lig.* — *V. Compend. n.* 93.

80. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.,* seu ad varios casus :

1° Melania carnes dare potuit die prohibito filio suo quinquenni, et filio

amenti, non vero marito ebrio, neque filio septenni frenetico. Sequitur ex dictis.

2° Peccavit graviter Melania provocando maritum ebrium et filium amentem in blasphemias, quia, licet usu rationis careant, legi naturali subjiciuntur in actu primo, ut dictum est. Non videtur autem peccati saltem mortalis arguenda ex eo quod causa fuerit imprecationum in homines, quia hujusmodi verba, ab ebrio vel ab amente prolata, nullam contumeliam irrogant hominibus, in quos proferuntur. Sic enim ex communi existimatione apprehenditur. — *V. Comp. n.* 183, *Quær.* 5°.

3° Melania graviter peccavit quoties ipsa in blasphemias et execrationes erupit, nisi aliquando ex inadvertentia, seu ex motu primo-primo egerit.

CASUS II

DE SUBJECTO LEGIS 2°

1° Exuperius, die festo Patroni loci sui iter suscepturus, auditionem Sacri præcepti ante discessum prætermittit, quia certo perventurus est ad alium locum ante horam decimam, qua Missa ultima in propria parœcia celebranda est, nec, postquam illuc advenisset, curavit ut Sacro interesset, licet facile posset.

2° Alia die, summo mane, perveniens in urbem in qua tota die illa recreationis causa permansurus erat, audivit ibi speciale festum de præcepto celebrari; ipse tamen de Missa audienda minime curavit.

3° Item, cum valetudinis curandæ gratia in aliena patria hiemaret, neque festa, neque jejunia particularia hujus loci servavit, utpote alienigena, nec proinde legibus istis subditus.

Hinc :

Quær. 1° *An* Exuperius *in primo casu debuerit Missam audire ante discessum, vel post adventum in locum peregrinationis?*

2° *An in secundo casu teneatur ad Missam in loco extraneo audiendam?*

3° *An peccaverit graviter Missam et jejunia omittendo in tertio casu?*

Solutio :

81. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* 1° Exuperius non tenetur audire Missam ante discessum, quia, si nulla tunc celebratur, non tenetur exspectare tempus celebrationis; si vero plura Sacra fiant, non tenetur ad aliud nisi ad ultimum; sed in hypothesi jam extra fines territorii versabitur, quando Sacrum illud fiet; ergo ejus obligatione minime ligari poterit. 2° Neque tenetur Sacro interesse in regione ad quam pervenit, quia non amplius ligatur lege particulari loci sui, ut jam dictum est. — *S. Lig. n.* 157. — *V. Comp. n.* 94-95.

82. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* etiam; nulla enim obligatione teneri potest Exuperius Missam audiendi in territorio extraneo, ubi lex particularis tantum existit; siquidem leges solos subditos afficiunt, saltem seclusa scandali ratione. — *S. Lig. n.* 156.

Resp. ad 3^um *Quæs.* Peccavit graviter si, diuturna habitatione in loco extraneo, ibidem quasi domicilium acquisiverit, quia fit vere loci subditus et regionis incola. Secus, si hujusmodi domicilium non obtinuerit, secluso semper scandalo. Quandonam autem haberi censeatur quasi domicilium? Juxta sententiam communiorem acquiritur habitatione, cum intentione ibi habitandi per majorem anni partem, vel saltem per sex menses. — *S. Lig. n.* 156.

CASUS III

DE SUBJECTO LEGIS 3o

1° GABINUS, mercator, abit summo mane a loco domicilii, in quo festum Patroni speciale et obligatorium celebratur, et mox pervenit ad alium locum in quo festum prorsus simile peragitur. Rogatus ab amico ad Missam audiendam, se excusat dicendo : « Ego ad parochiam non pertineo. »

2° PANCRATIUS, Hispanus, in Gallia versatur pridie festi S. Petri in mediam hebdomadam incidentis; ibi abstinet a jejunio præcepto, quia alii non jejunant, cum obligatio ista ad sabbatum sequens remittatur, propter festum in diem Dominicam translatum. Sed in patriam redux die sabbati, neque jejunat, quia solus jejunaret, siquidem concives in media hebdomada obligationi satisfecerunt, et insuper jam cessavit jejunii obligatio.

3° DAMASUS, Gallus, versans in Italia in vigilia S. Petri etiam in mediam hebdomadam incidente, cum aliis legem communem jejunii rite servat. Sed eccè in patriam redux ante sabbatum, a Parocho ad iterum jejunandum adstringitur sub absolutionis denegatione.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* GABINUS *obligatus fuerit ad Missam in alio loco audiendam?*

2° *An* PANCRATIUS *a lege jejunii eximatur, vel quandonam jejunare debuerit?*

3° *An* DAMASUS *jejunare debuerit in Italia, vel in patria, seu in utroque loco, vel in quali?*

Solutio :

83. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Neg.* Ratio est, quia GABINUS neque tenetur lege patriæ suæ, utpote absens, neque lege loci, utpote peregrinus. — Ita *Reuter, n.* 179. — *Lacroix, n.* 686, contra *S. Lig., l.* 1, *n.* 156. — *V. Comp.* n. 95, 6°.

Resp. ad 2^um *Quæs.* PANCRATIUS excusandus est ab utroque jejunio, quia non erat obligatus ad jejunandum solus, neque in uno loco, neque in altero. Tunc legislator censetur habere tales casus raros tanquam per accidens a lege eximentes, modo fraus non intervenerit. Idem dicendum de Gallo qui extra patriam sabbato sequenti versaretur.

84. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* 1° DAMASUS debuit jejunare in Italia cum aliis jejunantibus : urgebatur enim lege communi Ecclesiæ; nec potuit uti privilegio in Gallia generatim vigenti, quo jejunium ad sabbatum sequens transfertur. 2° Non fuit obligatus ad jejunium in patria iterandum; quia nemo

tenetur iterum eidem obligationi satisfacere, cum semel in loco ubi tempus obligationis legis jam urgebat, satisfecit.

85.— *Obj.* Si parochus ex errore jejunium quatuor Temporum pro determinata hebdomada indixerit, dum jejunium illud hebdomada sequenti tantum occurrit, iterum erit jejunandum. Ergo a pari, etc.

Resp. Neg. suppositum, scilicet jam obligationi satisfactum fuisse. Parochiani enim jejunando minime obligationem legis ecclesiasticæ adimpleverunt, siquidem Ecclesia nullum jejunium tunc præscribebat.

CASUS IV

DE SUBJECTO LEGIS 4°

1° Gibonius, mane abiturus a suo territorio in quo urget jejunii obligatio, atque ad locum a jejunii præcepto exemptum ante meridiem perventurus, solido jentaculo stomachum confortat, utpote ad legem minime adstrictus: « Major enim pars, ait, trahit ad se minorem. »

2° Mercorus, cum versaretur in loco legi jejunii non subjecto, ibi laute jentat atque prandet. Redux autem ad domicilium proprium, ubi jejunium est, integra cœna et carnibus reficitur coram aliis esurientibus, hoc innixus principio : « Jejunium, utpote quid indivisibile, non amplius ei esse possibile. »

3° Salustus, parum mortificationis amans, cum habitet non procul a regione in qua die sabbati carnibus vesci solent, v. gr., in Hispaniæ confinibus, recurrente sabbatica die, territorii sui limites transit, non solum ad negotia tractanda, sed etiam interdum ut carnes comedere queat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Gibonius *potuerit jentare ante discessum in primo casu?*
2° *An* Mercorus *potuerit cœnare in secundo casu?*
3° *An* Salustus *graviter peccaverit contra legem abstinentiæ a carnibus in tertio casu?*

Solutio :

86. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis : alii negant, quia Gibonius dum esset in patria, legi jejunii subjectus erat, haud secus ac cæteri concives.

Alii vero affirmant, quia jejunium est quid individuum; ergo, cum Gibonius jus habeat ad plures refectiones hac die faciendas, eo ipso a lege jejunii solvitur. Peccasset quidem, si ante discessum carnes comedisset, quia lex abstinentiæ est divisibilis, et urget singulis momentis, non autem peccavit, seu non peccavit rigorose loquendo contra legem jejunii, jentaculum sumendo. Ita *Busemb.* — *Lessius.* — *Sanchez*, etc., et probabile putant *Suarez* et *Salmant.*, ut refert, quin sententiam suam promat, *S. Lig.*, *n.* **157.**

87. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Pariter controvertitur. Alii enim *negant probabiliter,* quia jejunium fractum est tantum materialiter, non vero forma-

liter. Ergo Mercorus aliis se conformare debet, cum in legis territorio existat, adeoque legi se subjicere tenetur.

Alii autem affirmant non minus probabiliter. Ratio est, quia jam est destructa jejunii essentia, per plures refectiones factas. Quare jejunium jam factum est impossibile. — Ita *Elbel.* — *Sporer.* — *Laymann*, etc., et etiam *S. Lig.* in simili casu, *l.* IV, *n.* 1030. Ibi enim postulat S. Auctor, utrum ille qui die jejunii ex inadvertentia duplicem sumpsit refectionem, teneatur a tertia abstinere? et dicit utramque sententiam esse probabilem, licet probabiliorem appellet sententiam affirmativam, seu ad jejunium obligantem, in *Hom. apost., tract.* 12, *n.* 20. Hæc autem sententia affirmativa saltem enixe in praxi suadenda est.

88. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Minime sane laudandus est Salustus in hoc tertio casu. Attamen de gravi peccato arguendus non est, quia reapse legem non præterivit. Peccaret tamen saltem leviter ratione intemperantiæ, si id frequenter et de industria perageret. In praxi nego suppositum. Bonus Christianus hanc agendi rationem non servabit frequenter et de industria. Christianus vero incuriosus facile carnibus in proprio loco vescetur quin ad alium locum se conferat, ut licite id facere valeat.

CASUS V

DE LEGIS PROMULGATIONE

Andronicus, nescio qua via, sed secluso injusto et illicito modo, novit edicto Principis mox promulgando minuendum esse certorum nummorum valorem; contra, alterius cujusdam monetæ argenteæ adaugendum esse pretium. Quid tunc Andronicus? Modum excogitat optima hac occasione in suum commodum utendi, antequam præfata constitutio promulgetur. Accipe casum : cum nummis primæ speciei, quos bene multos in arca amanter servabat, omnia sua debita solvere festinat. Cum autem multos residuos adhuc haberet, ocius ad judæum valde divitem pergit, et mutationem prioris monetæ cum posteriori ab eo facile obtinet. Facta autem promulgatione edicti Principis, anxietate pressus, Andronicus venit ad Confessarium et industriam suam patefacit, fatendo imprimis se aliquem judæum insigniter decepisse. Et postulat an, vel quomodo peccaverit, et utrum ad restitutionem obligetur?

Hinc :

Quær. 1° *An promulgatio legis necessaria sit ad ejus obligationem?*
2° *Quid Confessarius interroganti respondebit?*
3° *Quid vero si hoc fecisset post legis promulgationem, sed adhuc ignoratam?*

Solutio :

89. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia non sufficit privata Principis locutio, seu expressio, ut lex jam lata censeatur, donec voluntas et jussio ejusdem solemni ritu edita et subditis proposita sit, sicut ipsa legis natura postulat. Etenim lex est regula operationis, ad quam tota communitas se debet conformare : atqui lex non potest habere rationem regulæ com-

munis, nisi publice sit edita, ita ut a tota communitate servari possit; ergo necessaria est promulgatio.

Præterea lex est signum voluntatis Principis, qua vult totam communitatem monere et obligare; ergo requiritur ut tale signum sit publicum. Ergo promulgatio est ita necessaria et intrinseca legi humanæ, ut Princeps non possit legem condere sine aliqua publicatione, de se sufficiente ad legem subditis manifestandam. — Ita *Suarez, l.* III, *de leg., c.* 16, ubi dicit esse sententiam communem. — *S. Lig. n.* 96.

90. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Andronicus non peccavit, saltem *per se,* nec proinde ad restitutionem tenetur. Etenim contra legem non egit, siquidem non adhuc promulgata fuerat. Neque contra justitiam egit, sed jure suo industriose usus est. Tempore utriusque commutationis, tum nummi, tum monetæ argenteæ suum positivum valorem coram tota communitate servabant. Ergo nemini injuriam irrogavit. Si judæus insigniter fuit deceptus, hoc per accidens habendum est. Id æquo animo ferat in aliquam compensationem deceptionum, quibus ipse toties aliis injuste illusit.

Dixi : non peccavit *per se*, id est, ratione rei; nam bene potuit peccare graviter ratione conscientiæ erroneæ. Attamen ex hoc obligatio restituendi minime sequeretur, quia injustitia realis deesset. — *Elbel, n.* 257, *et alii* contra *plures.*

91. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* In hac hypothesi, reapse peccati gravis et injustitiæ reus evaderet, quia antiquus valor monetarum jam fuisset mutatus. Hinc teneretur vel contractum rescindere, vel excessum pretii refundere.

CASUS VI

DE PROMULGATIONE LEGIS CANONICÆ

Epipodius et Tiphonius, Sacerdotes, in discursu theologico inter se conferentes, acriter de promulgatione legis pontificiæ disputant. *Prior* contendit satis esse si ejus promulgatio fiat Romæ, seu in urbe principe totius orbis terrarum, ut vim omnes fideles obligandi habeat. *Posterior* vero mordicus negat id sufficere ut lex canonica obligare possit, quia, inquit, leges civiles promulgari debent in singulis provinciis, ad notitiam earum omnibus manifestandam : ergo pariter leges pontificiæ promulgari debent in singulis diœcesibus, ut majori parti fidelium innotescant; imo, subjicit ille, a fortiori hæc promulgatio in variis locis necessaria est pro legibus ecclesiasticis, cum Roma distet magis ab extremis partibus orbis, quam urbs princeps alicujus ditionis ab illius finibus. Cuinam autem e duobus jungendæ manus ?

Hinc :

Quær. *An reapse sufficiat promulgatio legis pontificiæ Romæ facta ut vim obligandi sortiatur?*

Solutio :

92. — *Resp. ad Quæs. Affirmative* cum sententia quæ dicitur a *S. Lig.* valde *communis, n.* 95, contra nonnullos.

Prima ratio est, quia ex natura rei illa promulgatio sufficit, nisi Ecclesia aliud statuerit : porro Ecclesia nihil aliud statuit; ergo sufficit.

Adversarii sententiam suam firmare contendunt ex ipso Jure canonico, quod jus civile in hoc saltem implicite admittit. Etenim, aiunt, Jus canonicum in hujusmodi rebus ex regula generali juri civili se conformat, et illud velut tacite acceptat, quando aliquid contrarium vel diversum non disponit, et insuper in re ipsa nihil est repugnans moribus aut Religioni. Atqui jus civile in nostro casu requirit ut promulgatio legis fiat in singulis provinciis, nec est revocatum Jure canonico, neque est contra bonos mores; ergo promulgatio legis canonicæ fieri debet, non tantum Romæ, sed etiam in variis regionibus orbis terrarum.

Sed respondetur, regulam hanc generalem ab adversariis invocatam, minime applicandam esse in præsenti casu, quia Canones tantum in judiciis causarum voluerunt ut leges civiles servarentur, ubi canonicæ deessent. — *Suarez, de leg., l.* IV, *c.* 15.

93. — *Secunda ratio est,* quia sunt multa decreta in Jure canonico, quæ nunquam fuerunt promulgata in variis provinciis, sed tantum Romæ. Sunt etiam multa rescripta Pontificum, vel Bullæ, quæ censentur obligare per solam publicationem Romæ factam. Sit in exemplum Bulla *Cœnæ,* quæ universaliter obligat, licet in singulis episcopatibus publicata non fuerit.

Tertia ratio est, quia quando Pontifices volunt fieri promulgationem suarum legum in singulis diœcesibus, seu provinciis, hoc specialiter declarant; raro autem id faciunt, et tantum in rebus majoris momenti : ergo inde probatur illas speciales promulgationes non requiri extra hos casus in legibus absolute latis, et Romæ promulgatis.

94. — *Quarta ratio,* maxime congruens, est, quia tota Ecclesia est sub uno pastore, et proprie unicum corpus mysticum, una respublica, et pro toto hoc corpore satis est una promulgatio facta in metropoli hujus reipublicæ. Hoc enim confert ad majorem Ecclesiæ unitatem, majoremque obedientiam Pontifici debitam. Secus enim leges pontificiæ ab Episcopis pendere viderentur. Insuper, ubi necessarium est, in specialibus casibus, ab ipsismet Pontificibus aliud statui potest, sicut interdum factum est. — *Suarez, de leg., l.* IV, *c.* 15.

Quinta ratio deducitur ex clausula, quæ solet apponi Bullis quæ Romæ promulgantur, et in locis consuetis affiguntur, et quæ sic jacet : *Ut præsentes Litteræ ad notitiam omnium facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus eas affigi ad valvas,* etc. (hic nominantur præcipuæ Basilicæ romanæ), *sicque publicatas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere...* — *S. Lig. n.* 95.

CASUS VII

DE POTESTATE SUPERIORIS 1°

Liborius, Sacerdos, commissa aliqua gravi culpa, ab Episcopo damnatus fuit, ut decem aureos in certam piam causam impenderet, et per octo dies in quodam Monasterio exercitiis spiritualibus vacaret. Primam pœnitentiæ partem omnino prætermisit.

Quod ad secundam partem attinet, visus est quidem exterius injuncto præcepto obtemperare, ne majorem Superioris offensam incurreret; sed meditationi nullatenus vacavit, atque otiosam vitam, in lectionibus scilicet profanis tempus terendo, perduxit; nec putat se de peccato inobedientiæ arguendum esse, hoc innixus principio, quod oratio mentalis seu meditatio sit actus mere internus, et consequenter ne quidem ab Auctoritate præcipi possit.

Hinc :

Quær. 1° *An Ecclesia possit præcipere actus internos ?*
2° *An, vel quomodo peccaverit* Liborius ?

Solutio :

95. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Ecclesia sane pollet auctoritate præcipiendi actus mixtos, seu partim internos partim externos, quia hujusmodi actus constituunt quid unum morale, indivisum. 2° Quoad actus mere internos, *controvertitur*. Alii *affirmant* probabilius, quia Ecclesia potestatem illimitatam a Christo Domino accepit, per illa verba : *Quodcumque ligaveris...*, *quodcumque solveris...* Alii dicunt illud esse quidem verum in sensu *composito* fori externi et interni, sed non in sensu *diviso* solius fori externi de quo solo hic agitur, seu de potestate legislativa, quæ solam gubernationem respicit. — *V. Comp. n.* 89. — *S. Lig. n.* 100.

96. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Liborius graviter peccavit pœnitentiam pecuniariam non adimplendo ; res enim est *per se* gravis, et sub gravi præcipitur, nisi aliunde constet Episcopum noluisse præceptum sub gravi urgere. Neque hoc supponitur facultates Liborii excedere. Nec obstat quod hæc eleemosyna injuncta constituat tantum partem pœnitentiæ, quia pœnitentia est divisibilis, et pars illa materiam gravem constituit. 2° Peccavit etiam graviter spiritualia exercitia omittendo, quia juste fuit damnatus ad ea obeunda, et partem etiam gravem pœnitentiæ constituunt. Nec dicas Episcopum probabiliter non posse præcipere actus internos ; nam actus illi præcepti non videntur mere interni, quia jubetur Liborius facere accuratam præparationem, quæ sine lectione piorum librorum fieri non solet, etc. — Præterea, etiamsi hæc exercitia mere interna forent, saltem probabile esset ab Episcopo præcipi posse. Porro subditus semper Superiori obedire debet, nisi is evidenter auctoritate sua abutatur, præcipiendo quæ minime præcipere potest. — *Elbel, n.* 339. — *Lacroix, n.* 683. — *V. Comp. n.* 90 ; *et t.* II, *n.* 170.

CASUS VIII

DE POTESTATE SUPERIORIS 2°

Cunegunda, conventus Monialium Superiorissa, ad magnam calamitatem quæ imminebat avertendam, plura jejunia et varias orationes mentales in communitate fieri mandavit. Transacto autem periculo, statuit ut, recurrente die anniversaria, Religiosæ perpetuum servarent jejunium, et meditationem, in gratiarum actionem, per semihoram peragerent.

Hinc :

Quær. 1° *An Moniales obligatæ fuerint ad præcepta Superiorissæ adimplenda?*

2° *Si obligationi subjaceant, an in perpetuum ?*

Solutio :

97. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Moniales saltem *professæ* obligatæ fuerunt, et quidem *per se sub gravi*, ad mandata Superiorissæ servanda. Ratio est, quia Superiorissæ Monialium licet jurisdictionis ecclesiasticæ seu a sacris Canonibus dependentis, capaces non sint, possunt tamen in conscientia obedientiam exigere circa res præceptas, quæ ad profectum subditorum juxta Institutum et Regulas conducunt. Jus enim præcipiendi sortiuntur, tum ex voto obedientiæ a Monialibus emisso, tum ex necessitate disciplinæ, quæ in domo religiosa vigere debet.

Dixi : 1° *sub gravi per se*, quia materia præcepti gravis est. Colligendum autem est ex circumstantiis utrum Superiorissa verum et proprie dictum præceptum sub gravi obligans ferre intenderit. — Dixi : 2° *Moniales professæ*, quia Novitiæ non stricte ad obediendum tenentur, cum votum obedientiæ non emiserint. Attamen aliquo modo ratione recti ordinis obedire debent, saltem sub pœna a Superiorissa imponenda.

98. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Moniales non tenentur in perpetuum ad hæc Superiorissæ mandata exsequenda. Ratio es, quia feminæ non gaudent potestate legislativa, sed præceptiva tantum; porro mera præcepta cum morte præcipientis expirant, dum leges in perpetuum ferri possunt. — *V. Comp. n.* 86. — *Elbel, n.* 281 *et seq.*

CASUS IX

DE ADIMPLETIONE LEGIS SEU PRÆCEPTI 1°

Pantaleo dubitat an obligationi legis in sequentibus casibus satisfecerit, scilicet :

1° Jejunium sibi injunctum servavit quidem, sed avaritiæ motivo ductus. Imo, ut incommodum minus sentiret, somno tota die indulsit, et vespere ad refectionem sumendam tantum surrexit.

2° Missam de præcepto audivit quidem, sed ex vanitate et curiositate ; imo graviter peccavit pravis desideriis adhærendo.

3° Peracta confessione, a Confessario jussus fuerat ut pro sacramentali pœnitentia duo Sacra audiret et rosarium recitaret. Ipse autem, per modum compendii satisfacturus, illa duo Sacra audivit simul, dum duo Sacerdotes una celebrarent, eodemque tempore rosarium recitavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Pantaleo *jejunio satisfecerit ?*

2° *An præceptum Missæ audiendæ adimpleverit?*

3° *An rite pœnitentiam peregerit?*

Solutio :

99. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* PANTALEO, licet minime laudandus ratione motivi et modi, legi tamen satisfecit, cum eam minime transgressus fuerit. — *S. Lig. n.* 163, etc.

Resp. ad 2^um *Quæs.* Satisfecit etiam, dummodo vere Missam audire voluerit, et nullum alium actum cum auditione insociabilem posuerit, licet peccaverit venialiter, saltem *per se,* ratione vanitatis et curiositatis, et graviter ratione pravorum desideriorum; peccatum enim etiam mortale non impedivit quin opus præceptum poneretur. — *S. Lig., ibid.*

100. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* 1° Non satisfecit, duo Sacra simul audiendo, quia evidenter egit contra intentionem Confessarii, qui sane unicum potius quam duo simul imponere maluisset. 2° Satisfecit autem rosarium tempore Sacri præcepti recitando, quia illæ duæ obligationes simul adimpleri possunt. — *S. Lig., Hom. apost. de Pœnit., n.* 57, *contra Busemb.* — *V. Comp. n.* 107.

CASUS X

OBLIGATIONIS ADIMPLETIO 2°

1° LAURENTIA, in festo solemni *B. Virginis,* summo mane audivit Sacrum ex devotione erga *B. Virginem,* nolens per hoc satisfacere præcepto, sed intendens aliud audire; postea vero, mutata sententia, illud prætermittit. — Alias, cum coronam *B. Virginis* ex voto die sabbati recitare deberet, recitavit quidem ex intentione devotioni tantum satisfaciendi, aliam subinde ad implendam obligationem recitatura, quam tamen neglexit.

2° VERONICA, eodem die, ad rosarium tum ex voto, tum ex pœnitentia sacramentali, obligata, unicum recitat, utrique obligationi satisfaciendi gratia. Postea vero dubitans an ad aliud rosarium vel etiam ad duo adhuc teneretur, scilicet pro duplici intentione, nihil tamen aliud recitavit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* LAURENTIA *obligationi suæ in utroque casu satisfecerit necne?*

2° *An* VERONICA *satisfecerit, unicum rosarium recitando, aut aliud vel etiam duplex recitare debeat?*

Solutio :

101. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° LAURENTIA satisfecit obligationi Missæ in primo casu. Ratio est, quia intentio satisfaciendi præcepto minime requiritur; satis est enim, ut opus præscriptum ponatur. Ita communiter. *S. Lig. n.* 163. — *V. Comp. n.* 103.

2° Non autem satisfecit suæ obligationi in posteriori casu; quia hæc obligatio orta est a propria voluntate, et proinde ab ejus voluntate pendet ei satisfacere, vel non. Ergo, cum LAURENTIA expresse intenderit non satisfacere quando coronam recitavit, reapse non satisfecit.

102. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* VERONICA debito suo non satisfecit, unicum rosarium pro duplici obligatione recitando, ut patet. Etenim cum obliga-

tiones illæ ex fonte et motivo diverso contractæ fuerint, sunt omnino distinctæ, et proinde unico opere adimpleri nequeunt. Ergo aliud rosarium Veronicæ recitandum superest. Non duo tamen alia recitare debet, quia ad duo tantum, non ad tria, fuerat obligata. *V. Comp. n.* 105. — *Voit, n.* 202. — *Elbel, n.* 397.

CASUS XI

CAUSÆ LEGIS ADIMPLETIONEM IMPEDIENTES

Sidonius causas varias, legis adimpletionem impedientes, sive remotas sive proximas apponit, scilicet :

1° Frequenter Sacrum de præcepto audire omittit, itinere, sive in terra sive in mari, negotiorum vel etiam sola recreationis causa suscepto, impeditus. Iter autem in curru publico incipit, die quocumque hebdomadæ, etiam ultimo aut pene ultimo, quamvis aliquando diem lunæ exspectare possit.

2° Interdum, die quo jejunandum est, ad venandum pergit, ita ut jejunii servandi omnino incapax evadat.

3° Alias, nocte sabbati se inebriavit, experientia sciens se incapacem Missæ die Dominica audiendæ futurum esse.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo causas impedientes legis adimpletionem apponere liceat?*

2° *An, vel quomodo in prædictis casibus peccaverit* Sidonius?

Solutio :

103. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Licet apponere semper causas eximentes quascumque, cum eæ dominio legis subtrahunt per discessum extra territorium.

2° Non licet unquam apponere causas directe impedientes legis observationem, in legis territorio remanendo, quia hoc esset ipsam legis violationem intendere. *S. Lig. n.* 156.

3° Licet vero, saltem probabilius, apponere causas indirecte et remote impedientes, et quidem sine ratione, ex præsumpta voluntate legislatoris, qui non censetur voluisse tantum onus imponere subditis.

4° Non licet autem apponere causas proxime et indirecte impedientes, sine gravi ratione, quia lex proxime urgens proxime ligat voluntatem et urget ad media necessaria adhibenda, vel ad impedimenta removenda. *V. Comp. n.* 110. — *Lacroix.* — *Billuart.*

104. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Sidonius non peccavit contra præceptum audiendæ Missæ, si agebatur de præcepto particulari et exierit extra legis territorium antequam urgeret tempus obligationis, ut dictum est supra, in casu secundo. — Neque peccavit etiamsi actum sit de lege communi, saltem si, pluribus diebus antequam urgeret obligatio, iter, etiam sine gravi causa, susceperit. *V. Comp. n.* 111.

2° Peccavit graviter Sidonius, se impotentem ad jejunandum reddens venationis defatigatione, quia sine justa causa obicem ad legis adimpletionem posuit. Ita *communiter cum S. Lig., n.* 152, *et l.* 3, *n.* 1046, contra *plures.*

3° Peccavit graviter contra præceptum audiendæ Missæ, per voluntariam ebrietatem nocte præcedenti habitam, si advertit non solum ad periculum proximum ebrietatis, sed etiam ad periculum Missæ omittendæ propter impotentiam in causa voluntariam. Ratio est quia impedimentum proximum legis adimpletioni apposuit. *V. Comp. n.* 111.

CASUS XII

AN OBLIGET LEX VEL SENTENTIA FUNDATA IN FALSA PRÆSUMPTIONE? 1°

1° Tytirus, pastor ovium, dum caute in gregem invigilaret, inadvertenter consopitur et gravi somno corripitur. Extemplo in vicina prædia grex totus dilabitur. Haud mora ecce custos publicus repente apparet. Ab eo Tytirus judicibus traductus, ad mulctam simul et ad damnorum reparationem juridica sententia cogitur. Pastor autem infelix judicans iniquam esse hanc sententiam, partim ex bonis privatorum, partimque ex fisco se compensare non dubitat.

2° Ejusdem asellus, nocte quadam, cum a fure e stabulo solutus et abductus fuisset, e manibus hujus evadens in alienos agros aufugit, eosque nonnihil damnificavit. Quapropter novam sententiam subire cogitur Tytirus, sed ideo et ipse etiam ad novam compensationem indignabundus recurrit.

3° Alias, infelix homo a judice damnatus ad solvendum debitum, cui jam satisfecerat, cum nullum modum haberet juridice probandi factam esse jam solutionem, maxime contristatus et afflictus, in occulta compensatione dolorem delinire ac sedare festinavit.

Hinc :

Quær. 1° *An obtemperandum sit legi seu sententiæ judicis, si in falsa præsumptione fundetur ?*

2° *An* Tytirus *sententiam acceptare debuerit, vel e contrario se compensare potuerit in hoc triplici casu?*

Solutio :

105. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Nego, si sententia judicis seu applicatio legis fundetur tantum in præsumptione facti particularis culpæ, fraudis, damnificationis, quia, veritate facti non subsistente, corruit eo ipso obligationis fundamentum.

2° Affirmo vero, si fundetur in præsumptione periculi generalis culpæ, fraudum, etc... ; quia bonum commune requirit ut omnes stabiliter obligentur, propter hallucinationis periculum, et quia judex ad solum factum externum attendere potest. — *S. Lig. n.* 100 *et* 150. — *Suarez, etc.*

106. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Injuste egit Tytirus, occulte se compensando in primo casu, quia juste damnatus est; factum enim damnificationis est verum, et insuper adfuit in pastore culpa saltem juridica, quæ ad justam sententiam sufficit : lex enim reddere intendit homines cautiores et vigilantiores, ut damna efficaciter impediantur; ergo Tytirus ad restitutionem tenetur.

2° In aselli casu, falsa est omnimodo præsumptio, cum ipse pastor omni culpa etiam juridica careat. Non potuit enim puniri ob diligentiæ defectum, siquidem nullatenus factum impedire potuit; ergo nullo modo, ne juridice quidem, ipsi est imputandum. Si igitur damnatus fuit, ob præsumptionem negligentiæ, quam non admisit neque admittere potuit, erronea est et materialiter injusta judicis sententia. Ergo, quod ad Tytirum, casus est meræ necessitatis (*cas de force majeure*), a quo omnino est absolvendus; ergo de injustitia non est damnandus, et jure compensatione usus est.

3° In casu solutionis jam factæ, non potuit damnari ad denuo solvendum, causa enim sententiæ falsa est : ergo sententia innititur in fundamento omnino erroneo; ergo sententia hæc est materialiter injusta; ergo Tytirus de injustitia argui nequit, eo quod se compensaverit, si alio modo quod suum est nullatenus recuperare potuerit. — *Voit, n.* 195. — *S. Lig., l.* 1, *n.* 100; *et l.* 4, *n.* 521. — *V. Comp. n.* 102.

CASUS XIII

AN OBLIGET LEX VEL SENTENTIA FUNDATA IN FALSA PRÆSUMPTIONE? 2°

1° Nazarius, Sacerdos, absque facultate legit librum impium et hæreticum; et bono fine ducitur, scilicet ad eum confutandum. Insuper moraliter certus est nullum perversionis periculum ex hujusmodi lectione sibi imminere. Itaque non putat se peccare, quia, cessante pro eo fine legis, lex ipsa etiam cessare debet.

2° Cleophas, facultate legendi libros prohibitos pariter carens, ratus quoque nullum animæ periculum ex alicujus libri prohibiti doctrina sibi proventurum esse, ut certius prohibitionem declinet, ad industriam recurrit : non legit quidem, sed alium legentem arrectis auribus audit, nec putat legentis peccato cooperari, sive quia legens vir admodum prudens est, sive quia ille facultatem legendi habet.

Hinc :

Quær. 1° *An revera lex cessaverit in primo casu, tum propter bonum finem, tum propter cessationem finis legis?*

2° *An* Cleophas *in secundo casu censuram incurrerit, et graviter peccaverit, audiens tantum legentem, et non legens ipse ?*

Solutio :

107. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego* prorsus. Ratio est, quia finis legis adæquatus cessare non potest in particulari, cum ea respiciat quæ communiter

contingunt, non vero casus particulares. Prohibitio enim est ut non solum damnum spirituale vitetur, sed etiam ne ansa detur hæreticis et aliis improbis scriptoribus perniciosas doctrinas evulgandi, et sic illi puniantur. Insuper finis legis est removere hallucinationis periculum, quod immineret, si cuique privato fas esset judicandi nullum damnum sibi reformidandum esse. Ergo NAZARIUS graviter erravit existimando se in eo casu a lege exemptum esse. Unicus excipiendus est casus in quo necessitas aliqua, derepente orta, ad id faciendum urgeret, nec facile ad Pontificem recursus pateret. Tunc enim, cum periculum in mora esset, et bonum ipsum Fidei, cui lex providere intendit, ad lectionem impelleret, epikeiæ locus daretur. *V. Comp. n.* 121; *et t.* 2, *n.* 982. — *S. Lig. n.* 199. — *Ituriaga, t.* 4, *c.* 39.

108. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° *Probabilius*, CLEOPHAS censuram non incurrit, quia in legentes, non in audientes lectionem fertur : porro in pœnis *odia sunt restringenda*, nec censura extendenda est unquam ad casum in lege non expressum. — *S. Lig., de Censuris, n.* 292. — *Ituriaga, ibid.* — *V. dicenda de Censuris in fine operis.*

2° CLEOPHAS, audiendo legentem peccavit saltem contra legem naturalem, si periculo seductionis se exposuerit, quod hac in re facillimum est. Peccavit etiam contra legem Ecclesiæ, peccato cooperationis, si alium licentia carentem ad legendum induxerit. Quid vero si legens licentia polleat, et audiens nullum omnino periculum incurrat? *Controvertitur.* Non pauci et gravissimi theologi, inter quos eminet *Suarez*, dicunt audientem peccare graviter, quia lex prohibens lectionem implicite, etiam lectionis auditionem vetat. Alii ab omni peccato excusant, quia audiens reapse non legit, nec proinde violat legem quæ lectionem prohibet; neque verum est, aiunt, prohibitionem legendi involvere etiam prohibitionem audiendi legentem; lex enim non expressit audientes, quia legislator attendit tantum ad ea quæ frequenter fiunt; lectio vero libri prohibiti frequenter, ast auditio raro contingit. Ecclesia igitur satis bono publico providit lectionem prohibendo. Ita *Ituriaga, ibid.*

CASUS XIV

DISPENSATIO LEGIS 1°

NICONIUS, mercator, a POLIDORO Confessario requirit, utrum sibi liceat vesci carnibus in itineribus multoties repetitis, tum propter nimiam defatigationem et stomachi debilitatem, tum etiam propter provectam jam ætatem, sexaginta scilicet annorum. Negat licere Confessarius. — Velis igitur, quæso, licentiam hanc mihi impertire, reponit bonus senex. — Ad me non spectat in legibus Ecclesiæ dispensare, ait POLIDORUS, sed ad Episcopum tibi omnino recurrendum est. Mercator igitur ad Præsulem recurrit, et in libello supplici allegat provectam ætatem et infirmitatem, intelligendo per hanc stomachi debilitatem, aut nauseam aliorum ciborum, necnon defectum somni abstinentiam a carnibus non raro subsequentem. Quamobrem illico fuit dispensatus, et quidem in perpetuum. Sed paulo post, confortato stomacho, jam potest absque incommodo esuriali-

bus cibis vesci. Hinc evadit anxius valde Niconius circa dispensationis validitatem.

Hinc :

Quær. 1° *A quo, et qua de causa possit dispensari a legibus?*

2° *An* Niconius, *dispensatione indiguerit, et quidem episcopali, vel papali?*

3° *An saltem valida esse pergat dispensatio, postquam valetudo firmior evaserit?*

4° *Quid, si Episcopus apposuisset clausulam, nempe de consilio utriusque medici spiritualis et corporalis?*

Solutio :

109. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Dispensatio pertinet ad solum Superiorem, siquidem potestatem jurisdictionis in foro externo requirit, sicut facultas leges condendi. Hinc legislator dispensare potest in legibus suis et in legibus prædecessorum et inferiorum; inferior vero dispensare nequit in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata. Causa autem proportionate gravis ad dispensandum requiritur, et quidem ad validitatem in delegato, ad liceitatem vero in Superiore jurisdictione ordinaria gaudente. *V. Comp. n.* 114, 117.

110. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Niconius dispensatione indiguit ad carnes diebus prohibitis edendas; difficultas enim legem servandi non videtur esse tanta, ut obligatio pro eo cesset. Non potuit vero a Confessario dispensari, quia nullus inferior dispensare potest in lege Superioris. 2° Quod si manifeste gravis infirmitas, vel aliud detrimentum grave secuturum sit, Confessarius declarare poterit mentem Ecclesiæ, ceu piæ matris, non esse ut pœnitens lege obstringatur. 3° Si infirmitas ex natura sua perpetua non sit, satis erit si Niconius a proprio Parocho dispensationem requirat; usus enim invaluit ut Parochi, in casibus istis, qui frequenter occurrunt, dispensare valeant, etiamsi recursus ad Episcopum esset facilis. *S. Lig., Hom. apost., tract.* 2, *n.* 59. — *Gousset, n.* 197. — 4° Si Niconius dispensationem perpetuam obtinere voluerit, debuit ad Episcopum recurrere, vel ad Summum Pontificem.

111. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Si Niconius non perfecte convaluit, licet multo facilius cibis esurialibus vesci queat, vel si ex eorum usu relapsum timeat, perdurat dispensatio, quia non cessavit totaliter causa finalis dispensationis, et revera casus ille supponi potest in viro grandævo, ut Niconius perhibetur. 2° Imo, videtur etiam perdurare dispensatio, licet firmiter convaluerit senex; perdurat enim, aiunt graves theologi cum *S. Lig. n.* 196, si dispensatio fuerit concessa absolute, et non conditionate tantum, nempe, si causa duret : porro, in nostro casu, videtur absolute concessa, cum Niconius, inter alias causas, provectam ætatem attulerit. Dicit tamen *S. Lig., ibid.*, non habendam esse ut absolutam dispensationem ab Officio divino, vel ab abstinentia a carnibus, licet concessa fuerit pro infirmitate quæ perpetua censetur, si valetudo superveniat. Verum; sed hic cum agatur de homine grandævo, præsumi potest Pontificem modo absoluto dispensasse. Hoc sequitur ex regula quam tradit *S. Lig.* ad distinguen-

dam absolutam dispensationem a conditionata; dicit enim : *Quando causa judicatur perpetua, tunc dispensatio data censetur absoluta, etsi postea per accidens causa cesset.*

112. — *Resp. ad 4^um Quæs.* Si Superior apposuerit clausulam hanc, *de consilio utriusque medici,* evanescit omnis difficultas; tunc enim evidenter dispensatio est conditionata; et cessante totaliter causa finali, cessat quoque dispensatio. Etenim neque medicus corporalis, neque medicus spiritualis dispensare potest, sed tantum statum infirmitatis declarare; sed supponitur infirmum valetudinem recuperasse : ergo, etc. *Elbel, n.* 450.

CASUS XV

DISPENSATIO LEGIS 2°

Renaldus, dum esset domo profecturus ad Missam die Dominica audiendam, ecce subitaneam experitur infirmitatem. An vero tanta sit ut a præcepto Ecclesiæ eximatur, non satis ei apertum est. Attamen se resolvit ad remanendum domi, ratus se in hujusmodi casu, instante magni incommodi periculo, lege non urgeri. Postea tamen magna anxietate laborat, ex eo quod non curaverit ut dispensatio a Parocho postularetur, cum id facile præstare potuisset.

Idem, incunte quadragesimali tempore, cum infirmus foret et magnum incommodum ex jejunio pertimesceret, dispensationem a lege Ecclesiæ pro tota Quadragesima postulavit et obtinuit. Sed ecce, elapsis circiter diebus quindecim, ab infirmitate ex integro convaluit. Nihilominus dispensatione prius obtenta uti perrexit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Renaldus *peccaverit abstinendo a Sacro audiendo in exposito casu? Et quid in genere, in dubio utrum quis indigeat dispensatione?*

2° *An dispensationem petere debuerit, saltem cum id facile præstare posset?*

3° *An potuerit adhuc obtenta uti dispensatione, postquam sanitatem recuperavit; vel quid, si causa finalis non totaliter cessaverit?*

Solutio :

113. — *Resp.* ad 1^um *Quæs.* 1° Generatim, in dubio an casus dispensatione indigeat, probabiliter non requiritur dispensatio in dubio positivo, seu quando, perpenso dubio, conscientia efformatur, nitendo gravi ratione in favorem exemptionis a lege. Secus in alio casu. Consultius tamen est adire Superiorem, etiam delegatum, si ad eum recursus pateat, ut dispenset, vel declaret legem non urgere; vel saltem viri prudentis et docti sententiam requirere. — *V. Comp. n.* 118. — *S. Lig. n.* 193; *et t.* III, *n.* 325. — 2° Renaldus non peccavit, si conscientiam efformaverit, gravi causa innixus : quia in tali dubio prævalet contra legem positivam Ecclesiæ jus naturale conservandi salutem; secus a peccato non est excusandus. At ipsi enixe commendandum est, si casus occurrat, ut a Parocho per nuntium dispensationem petat, vel saltem alium virum prudentem interroget.

21,897

114. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Non debuit RENALDUS dispensationem necessario petere, licet id facile potuisset præstare, cum, ex dictis, probabiliter lege non urgeatur. Sed inducendus est ut ad Parochum alias recurrat, si possit. — *S. Lig., l.* III, *n.* 325.

Resp. ad 3^um *Quæs.* Si causa finalis non cessavit totaliter, perdurat dispensatio; secus non censetur perseverare. — *Recole dicta in responsione ad casum* XIV^um, *n.* 108 *et seq.*

CASUS XVI

DISPENSATIO LEGIS 3o

1° GERBERTUS, Canonicus, ab Ordinario loci facultatem obtinuit ut in votis simplicibus, positis conditionibus debitis, pro foro interno dispensaret. Ecce inter alios pœnitentes vir peregrinus occurrit, voti alicujus dispensationem seu commutationem requirens. Hæret anceps GERBERTUS, nesciens utrum huic petitioni acquiescere debeat. Acquiescit tandem, quia, ait, in dubiis *favores sunt ampliandi.*

2° Idem, ex Episcopi delegatione, a lege abstinentiæ in usu carnium varios pœnitentes dispensavit. Sed ei occurrunt peregrini per notabilem anni partem ibidem permansuri, imo et alii transeuntes tantum; utitur autem hac accepta facultate erga omnes indiscriminatim, sive sint loci incolæ, sive sint peregrini. Imo illis omnibus facultatem tribuit, etiam in itinere et extra diœcesim, carnes edendi.

3° Ipsemet iter agens cum socio, pœnitente suo ordinario, extra diœcesis confines, non dubitat ipsi esum carnis die sabbati permittere; imo sibimetipsi indulget, ut cum eo carnes edere possit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* GERBERTUS *potuerit dispensare in votis cum peregrinis? An id Episcopus valeat?*

2° *An potuerit concedere incolis loci, ut carnes extra diœcesim edere possent?*

3° *An etiam dare potuerit licentiam peregrinis, ut carnibus reficerentur non solum ibidem, sed etiam in alio loco quocumque?*

4° *Utrum socium in itinere, et seipsum dispensare potuerit?*

Solutio :

115. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Episcopus probabiliter dispensare potest cum peregrinis, etiam ad modicum tempus in diœcesi existentibus, quia, per accessum ad Superiorem localem, fiunt sufficienter subditi ratione privilegiorum. Ita multi contra alios non paucos. — *V. Comp., n.* 115, *Quær.* 3°. — *S. Lig. n.* 158. — 2° Delegatus ab Episcopo eadem gaudet facultate, siquidem Episcopus quas habebat facultates ipsi commisit. Ergo valida censenda est dispensatio a GERBERTO concessa. Quoad axioma allegatum, minime ad solvendam difficultatem requiritur, cum aliunde seu ex principio probabilismi solvatur. Cæterum dispensatio, utpote odiosa, est quidem stri-

ctæ interpretationis; potestas vero dispensandi, cum favorabilis sit, late accipitur. — *S. Lig. n.* 187.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirm.* Facultas enim a Gerberto concessa in foro interno est omnino *personalis*, ergo personæ adhæret, eamque peregrinantem subsequitur; ergo ad locum minime restringenda est.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* 1° Gerbertus dare potuit peregrinis, etiam ad breve tempus in loco commorantibus, facultatem ibidem carnes, die prohibita, justa de causa edendi; sunt enim sufficienter subditi, ut supra de votis dictum est. 2° Imo prædictis peregrinis facultatem tribuere potuit ut in alio loco quocumque dispensatione uterentur, si ratio dispensationis erat duratura, ob eamdem rationem, scilicet, quia tunc erant sufficienter subditi, et dispensatio erat personalis.

116. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Non potuit dispensare socium, etsi pœnitentem suum ordinarium; acceptam enim facultatem exercere nequibat, nisi in foro interno, sed extra locum suum carebat approbatione ad confessiones audiendas, ut supponitur. Ergo socium dispensare non potuit. Secus vero, si approbatus sit, quia pœnitens fuisset sufficienter subditus. Si autem delegatus sit ad dispensandum etiam extra forum internum, extra diœcesim suum socium dispensare nequivisset, cum jurisdictione personali seu ordinaria in illum careret. — 2° Neque potuit seipsum dispensare, quia ille solus dicitur posse secum dispensare, qui est Superior, vel generalem habet facultatem dispensandi in legibus, v. gr., delegatus ad dispensandum *in universitate causarum.* — *V. S. Lig. n.* 183.

CASUS XVII

DISPENSATIO PRIUS NEGATA, ET POSTEA AB EODEM SUPERIORE, REI IMMEMORE, CONCESSA

Leopoldus, voto perpetuæ castitatis ligatus, inhiat nuptiis cum Sylvia ineundis. Igitur, dispensationem obtinendi gratia, scribit ad S. Pœnitentiariam, sub nomine ficto, *Titii* v. gr., ut mos est in rebus secretis. Pro causa autem allegat tentationes sat graves, quibus contra castitatem subjicitur; sed infelix orator repulsam patitur. Minime tamen animo dejectus : Scio quid faciam, inquit..., rem iterum experiar. Transacto igitur mense uno aut altero, scribit denuo ad eamdem Congregationem, pro eadem dispensatione postulanda, sed, mutato ficto nomine, v. gr., sub nomine *Sempronii*, tacitaque repulsa prius sibi facta, causa tamen eadem allata. Successit ipsi sua industria; hac enim vice gratiam exoptatam consecutus est.

Hinc :

Quær. 1° *Quid sit dispensatio obreptitia vel subreptitia? et quando invalida sit ?*

2° *An dispensatio* Leopoldi *subreptitia sit et invalida?*

Solutio :

117. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Dispensatio dicitur *obreptitia*, quando in petitione falsa causa tanquam ratio principalis exprimitur, cujus falsitate

cognita non fuisset data dispensatio. *Subreptitia* vero, quando tacetur veritas alioquin necessario exprimenda de jure vel stylo curiæ, præsertim si id ex fraude et dolo contingat. Inde patet hujusmodi dispensationem invalidam esse. Quod si ratio falsa se habeat ut causam tantum impellentem, sine qua nihilominus data fuisset dispensatio, quamvis difficilius, vel si tacetur aliquid non pertinens *directe* et *intrinsece* ad materiam concessionis, neque de jure aut stylo curiæ exprimendum, adhuc valet dispensatio, quia tunc censetur Superior adhuc velle dispensare, dummodo causa principalis subsistat.

118. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Etenim hujusmodi dispensatio minime est subreptitia, licet forte Superior eam negavisset, si denegationis prius factæ recordatus fuisset. Ratio est, quia præsumptio quod Superior negasset nullo jure fundatur. Nam, si concedat, allatis iisdem rationibus quæ prius allegatæ jam fuerant, inde arguitur dari causas sufficientes ad dispensandum. Nec obstat prior negatio; nihil enim ad causam refert, et negare dispensationem ob illam solam causam non videtur rationi consentaneum. Ratio perspicua est; nam, si justa causa subest, potius decet priorem rigorem temperare, quam illum firmare : ergo circumstantia negationis prius factæ impertinens est ad valorem dispensationis subsequentis. Ergo Leopoldus non tenebatur eam in mentem Superioris revocare. Ergo dispensatio hæc non est *subreptitia;* ergo valida est. Nec obstat etiam quod Leopoldus secunda vice nomen fictum mutaverit, quia nunquam ad nomen attenditur in dispensationibus S. Pœnitentiariæ, cum sit consuetudo ut semper nomen fictum adhibeatur. Parvi autem refert quod sit *Titius* vel *Sempronius*. Nec dicas Leopoldum sic argui posse de mala voluntate Superiorem decipiendi. Ille enim non dicitur decipere, qui suo jure utitur. — Ita *Suarez, de leg., l.* VI, *c.* XXII, *cum aliis* contra *plures.*

CASUS XVIII

DISPENSATIO AB UNO SUPERIORE NEGATA, ET POSTEA AB ALIO, NEGATIONIS IGNARO, CONCESSA

1° Maxentius dispensationem voti non reservati ab Episcopo postulavit, nec obtinuit. Paulo post, cum obiisset Episcopus, eamdem gratiam ab ejus successore, prioris petitionis ignaro, eadem proposita causa, consecutus est.

2° Laurentius, infirma utens valetudine, et difficulter abstinentiam a carnibus sustinere valens, dispensationem ab Episcopo, exposito infirmitatis statu, petiit; sed cum non obtinuisset, ad S. Sedem recursum habuit, eadem exposita causa, sed tacita Episcopi repulsa, et gratiam impetravit.

3° Aurelius a Pontifice postulavit dispensationem de impedimento consanguinitatis in quarto gradu ad matrimonium cum Berta ineundum; verum eam non obtinuit. Quid ille? Resciens Episcopum ab illo impedimento posse dispensare ex Pontificis concessione, eum adit, et, tacita romana denegatione, eadem tamen causa allata, ab illo consecutus est id quod a Papa negatum fuerat.

Hinc :

Quær. 1° *An sit valida dispensatio ab uno Superiore negata, et ab ejus successore, negationis ignaro, data? Et quid de* Maxentio?

2° *An sit valida dispensatio negata a Superiore secundario, et concessa a Superiore primario, rei inscio? Et quid de* Laurentio?

3° *An, vice versa, valida sit dispensatio negata a Superiore primario, et a secundario, repulsæ inscio, erogata? Et quid de* Aurelio?

Solutio :

119. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Etenim ex dictis in casu præcedenti valet dispensatio negata, et postea concessa ab eodem Superiore negationis immemore; ergo ex paritate rationis valet etiam dispensatio ab uno Superiore negata, et ab ejus successore, negationis inscio, data. Ratio est, quia successor eamdem habet potestatem ac prædecessor, nec regitur per judicium et voluntatem illius. Imo in illo multo minus est probabilis præsumptio involuntarii; et insuper prædecessoris voluntas nullatenus ad causam refert. Ergo in primo casu minime inquietandus Maxentius.

120. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Quare enim dispensatio invalida foret? Ubi est *subreptio?* Quonam jure negatio facta a Superiore secundario exprimenda est in recursu ad Superiorem majorem? Numquid primarius Superior judicio inferioris regitur? Nequaquam. Ergo illa circumstantia negationis ab inferiore facta, omnino impertinens est respectu Superioris, et hoc ad causam nihil prorsus refert. Ergo nulla est præsumptio involuntarii in superiore. Proinde in secundo casu valide dispensatus est Laurentius, quia voluntas Pontificis absoluta censeri debet. Pontifex enim non decipitur, atque ex causis allegatis dispensationem concedit; nulla igitur intervenit *subreptio* quæ dispensationem invalidet. Ergo Laurentius non est inquietandus. — *Suarez, de leg., l.* VI, *c.* XXII. — *Elbel, n.* 15. — *Lacroix, n.* 811, etc., contra *nonnullos.*

121. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Adhuc valida est probabiliter dispensatio in hoc casu; ratio est, quia potestas inferioris non fuit restricta per negationem Superioris; ergo, si gaudet facultate, stante causa sufficienti, censetur valida dispensatio. Ergo neque Aurelius *subreptitie* egit : jure enim suo usus est; nec proinde est inquietandus. — *Suarez, ibid.,* et *alii* contra *alios.*

Objiciunt plures cum *Comitolo, l.* I, *Quæs.* 106, *Sanchez*, etc., sic : Hæc dispensatio est *subreptitia :* 1° quia potestas inferioris restricta fuit implicite per negationem Superioris; 2° quia inferior, si repulsam Superioris novisset, noluisset dispensare, siquidem præsumere debuisset Superiorem juste gratiam negasse.

Resp. ad 1^am^ *rationem.* Potestas inferioris non fuit restricta. Hæc enim ablatio potestatis, præsertim ordinariæ, non videtur sufficienter probari, quia hæc præsumptio nullo jure fundatur. Neque ex illo facto sufficienter colligitur, considerata natura dispensationis, quæ est quædam gratia. Deinde denegatio dispensationis provenire potest ex sola voluntate Superioris, vel ex particulari judicio quod talis causa non sufficiat ad justam dispensationem. Sed inferior non tenetur conformari judicio Superioris; ergo non teneretur præsumere Superiorem in illo casu, si rem novisset, ei auferre potes-

tatem dispensandi voluisse. Insuper inferior, dum non prohibetur, utitur sua potestate in proprio foro ut judicat expedire. Hic autem nulla prohibitio facta est. Ergo...

Resp. ad 2^am rationem. Nec refert quod si inferior scivisset, forte non concessisset; potuisset enim concedere, ut patet ex dictis. Ergo non est certum quod non concessisset. Etenim, si inferior concedat non ignorans priorem negationem, et judicans causam esse legitimam, dispensatio erit valida, quia utitur sua potestate; ergo, si dispenset ignorans hanc denegationem, illa circumstantia per accidens haberi videtur. — *Suarez, ibid.*

CASUS XIX

DE LEGE IRRITANTE

1° Eligius et Elodia matrimonium contrahunt optima fide, cum impedimento Ecclesiæ ignorato. Re autem cognita, Elodia a Confessario petit an in conjugio permanere possit, cum impedimentum a se et conjuge penitus ignoratum fuerit.

2° Nicasius et Honorina, consanguinei, tempore teterrimæ et diuturnæ persecutionis in catholicam religionem, dum recursus nullus haberi posset neque ad Parochum neque ad Episcopum, imo neque ad romanum Pontificem, matrimonium clandestine contrahunt, rati duplex Ecclesiæ impedimentum, seu cognationis et clandestinitatis, tunc cessare ob temporum difficultatem vel etiam necessitatem.

3° Thirsus, hæres factus, deprehendit testamentum in suum favorem conditum aliqua conditione legali, essentialiter requisita, carere. Nihilominus, re tacita, hæreditatem adit, eaque pacifice fruitur.

Hinc :

Quær. 1° *An ignorantia excuset a lege irritante?*
2° *An excuset magna difficultas, vel necessitas?*
3° *An lex irritans semper ipso facto actum reddat invalidum?*
4° *Quid ad singulos casus?*

Solutio :

122. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Ignorantia excusat quidem a peccato, minime vero ab effectu irritationis, quia ignorantia non supplet defectum conditionis essentialiter requisitæ. Excipe, si lux unice irritet in odium et pœnam delicti. — *V. Comp. n.* 136. — *Suarez.* — *Lacroix,* etc.

Resp. ad 2^am Quæs. Neque incommodum vel necessitas impedit effectum irritationis, quia lex irritans, actum potius quam personam afficit, neque agitur primario de obligatione conscientiæ, sed de conditione ad bonum commune requisita. Excipe, si inde damnum grave sequeretur pro tota societate, seu pro aliqua provincia : tum enim lex cessaret, quia jam esset inutilis bono communi; et proinde non esset in ædificationem, sed potius in destructionem. — *Lacroix et alii communiter.*

123. — *Resp. ad 3^um Quæs. Neg.* Nam sunt leges quæ non statim ipso

facto irritant, sed declarant actum sententia judicis irritandum. Quænam autem sint hujusmodi leges, ex terminis legis vel ex interpretatione communi Doctorum judicandum est.

124. — *Resp. ad 4um Quæs.* — *In 1° casu :* invalidum est matrimonium, et ad dispensationem pontificiam recurrendum est, ut patet ex dictis, siquidem effectus irritationis ignorantia non impeditur.

In 2° casu : invalidum quoque est matrimonium propter impedimentum cognationis. Cessat quidem in iis rerum adjunctis lex Ecclesiæ, quæ præsentiam Parochi requirit, quia difficultas Parochum requirendi est communis, et proinde lex Ecclesiæ cessare debet, ne sit nociva communitati ; sed minime cessat impedimentum consanguinitatis, quia hæc difficultas est particularis, non vero generalis ; possunt enim sponsi illi singuli cum aliis contrahere.

In 3° casu : probabilius Thirsus non est inquietandus, si judicis sententia non interveniat, quia juxta multos irritatio hujusmodi non est ipso facto, sed juridice tantum declaranda. — *V. Comp., de testamentis, n.* 817.

CASUS XX

DE LEGE PŒNALI

Sapricius vehere seu transferre solet curru, jumento, aut alio modo, frumenta, vina, victualia, et merces quibus tributa imponuntur. Satagit autem ut solutionem tributi prætereat, quoties sine periculo mulctæ id facere potest, v. gr., de nocte transeundo, viam absconditam arripiendo, præpositos fisci devitando, aut variis industriis decipiendo. Neque existimat se male agere, tum quia vectigalia sunt valde gravia et frequentia, ac sæpe ad res bono communi prorsus inutiles impenduntur, tum quia lex qua statuuntur mere pœnalis videtur. Attamen accedens ad confitendum, tempore paschali, scrupulo inductus, interrogat an male fecerit ?

Hinc :

Quær. 1° *An dentur leges mere pœnales ?*
2° *An peccaverit* Sapricius, *et ad restitutionem teneatur ?*

Solutio :

125. — *Resp. ad 1um Quæs.* 1° Possunt dari leges hujusmodi, seu obligantes disjunctive vel ad legem adimplendam, vel ad pœnam subeundam, si lex violata sit et delinquens in culpa deprehensus fuerit. Etenim lex vim obligandi non habet nisi ex voluntate legislatoris ; legislator autem ad solam pœnam obligare potest, si hoc communi bono procurando sufficiat. Porro id sufficere potest in quibusdam legibus, quæ non sunt tanti momenti ad ordinem societatis. Ita *communissime* theologi cum *S. Lig., n.* 145. — *Suarez,* etc.

2° Videntur dari, saltem in quibusdam locis, nonnullæ leges mere pœnales. Sic judicant theologi non pauci. — *S. Lig.* loco citato ait : *Leges oppidorum prohibentes cæsionem lignorum, sive herbarum, piscationem, vena-*

tionem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo. — An autem, vel quænam leges sint mere pœnales in singulis locis, soli judicare possunt in iis locis docti et periti. — *V. Comp. n.* 133.

126. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur* inter theologos. Alii affirmant, alii vero negant. Sic doctrinam *Sanchez* et aliorum refert *S. Lig., l.* 3, *n.* 616, quin propriam sententiam tradat : « Sentit *Sanchez* neminem qui palam « recta via transit, teneri solvere vectigalia, ratione transitus per portam, « vel pontem, quæ imponuntur pro assecuratione viarum; durissimum « enim esset obligare advenas ad scienda hæc statuta, in portis vel ponti- « bus. Et hoc probabile putat *Sanchez* cum aliis, etiamsi quis merces aut « se occultet; quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur « nisi petita. Generaliter vero loquendo de omnibus vectigalibus, putat « *Lugo* monendos esse populos ad tributa solvenda, sed post factum non « esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi « persuadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquod injustum sol- « visse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates. » Ex his igi- tur auctoritatibus minime inquietandus videtur Sapricius.— *V. Comp., de justitia, n.* 738 *et seq.*

CASUS XXI

DE LEGE CIVILI ET EJUS OBLIGATIONE

Pamphilius, Sacerdos, cum sociis quibusdam de legis civilis *efficacia* conferens, contra alios contendit eam obligare tantum in foro externo. Rationes autem in quibus innititur sunt sequentes, scilicet : 1° Quia lex civilis est a potestate temporali, et vinculum spirituale a potestate temporali procedere non potest. 2° Quia leges civiles ordinantur ad politiam externam, et proinde satis est quod in foro externo obligent. 3° Quia nemo potest obligare in foro, in quo non potest cognoscere; sed homo non potest cognoscere conscientiam alterius; ergo non potest de ea judicare. 4° Quia homo non potest obligare ad pœnam quam infligere nequit, sicut judex sæcularis non potest præcipere sub pœna excommunicationis; ergo legislator humanus non potest præcipere sub pœna inferni vel purgatorii, quia non potest eam infligere : sed obligare in conscientia, est obligare sub tali pœna; ergo excedit efficaciam legis humanæ.

Cæteri Sacerdotes his rationibus minime moventur, quia, aiunt, *non est potestas nisi a Deo,* et Deus ipse per Principes sæculares mediate præcipit et imperat.

Hinc :

Quær. 1° *An lex civilis obliget in conscientia?*
2° *An per se obliget sub gravi?*
3° *An leges irritantes in conscientia urgeant?*

Solutio :

127. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm., per se,* cum sententia communi, teste *Suarez, de legibus, l.* 3, *c.* 21, post *S. Thomam,* 1ª 2æ *q.* 96, *art.* 4.

Prima ratio est, quia aperte colligitur ex Scriptura sacra. Sic enim Paulus *ad Rom.* 13 : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et ibi additur ratio his verbis : *Dei enim minister est, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam :* id est, non tantum propter timorem pœnæ, sed etiam propter vitandam culpam. Constat iterum ex verbis Petri, 1ª *epist. : Subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive regi,* etc... ; *quia sic est voluntas Dei.* Constat etiam ex illo *Prov.* 8 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Hinc concludit *Suarezius* ibidem, doctrinam hanc esse vel *de Fide*, vel *proximam Fidei.*

Secunda ratio est, quia jus divinum et naturale dictat servandas esse justas leges a legitimis Principibus latas; ergo qui illas non servat agit contra divinam voluntatem, juxta citatum verbum Petri : *Sic est voluntas Dei.* Ergo illa transgressio est vera culpa et peccatum, adeoque contra obligationem in conscientia.

Tertia ratio est, quia hæc potestas est necessaria ad convenientem gubernationem reipublicæ humanæ. Etenim in communitatibus est necessaria vis præcipiendi et obligandi in conscientia. Hac enim ratione pater obligare potest filium, et similiter uxor tenetur obedire marito, juxta illud Pauli *ad Col.* 3 : *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino;* et *ad Ephes.* 5 : *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Et reddit rationem : *quoniam vir est caput mulieris.* Multo autem magis rex, ut caput reipublicæ temporalis. Ratio a priori est, quia gubernatio sine potestate obligandi in conscientia est moraliter impossibilis, siquidem coactio justa supponit culpam; vel saltem est valde insufficiens, cum per eam solam Princeps non posset in multis casibus necessariis sufficienter reipublicæ subvenire. — *Suarez, de legibus, l.* 3, *cap.* 21.

128. — Nunc autem rationibus Pamphilii est respondendum.

Ad 1^um^. Potestas civilis dici quidem potest temporalis, ratione materiæ, et hoc modo verum est non posse ponere vinculum spirituale, scilicet in materia spirituali. Attamen, quatenus in materia temporali reperiri potest honestas, et obligatio ad illam servandam, ita potest lex civilis ex parte materiæ hoc vinculum ponere, scilicet, quia conscientia quid spirituale est. Insuper illa potestas est participatio divinæ potestatis, et sub illa ratione est vere spiritualis, et includere potest vim quæ spiritum ipsum et rationem liget.

Ad 2^um^. Leges civiles etiam intendunt honestatem morum in sua materia et in ordine ad finem suum, et hac ratione possunt in conscientia obligare. Deinde obligatio in conscientia est necessaria, ut potestas civilis per suas leges possit efficaciter consequi finem suum; quia, nisi cives in conscientia teneantur legi obtemperare, non poterunt pax et justitia in republica conservari : homines enim proxime per conscientiam diriguntur in actionibus suis; et ideo necesse est, ut ex lege civili redundet obligatio ad conscientiam.

Ad 3^um^; seu *lex non potest obligare ubi non potest cognoscere.* Aliud est quod actus de quo fertur lex debeat subjici cognitioni humanæ; aliud vero quod obligatio ad talem actum debeat esse eodem modo cognoscibilis. Primum est verum *per se* ac necessarium. Secundum autem non est *per se* ne-

cessarium; quia, ut lex humana imponat obligationem in conscientia, non oportet ut *per se* et *directe* de ea judicet, seu de transgressione in illo foro, sed de sola externa actione vel omissione.

129. — *Ad 4^um^*. Aliquis dupliciter fieri potest reus pœnæ ex transgressione legis, scilicet: 1° quia lex directe imponit talem pœnam; 2° ex quadam consecutione reatus. Priori modo legislator non potest obligare ad pœnam quam nullo modo infligere potest; posteriori modo falsum est. Lex autem civilis non obligat sub pœna inferni vel purgatorii priori modo, sed tantum posteriori. Etenim Deus vult observari leges a ministris suis latas, etiam sub pœna in altera vita subeunda, quia earum transgressio continet veram culpam, et supremum legislatorem ipsum offendit. — *Suarez, de leg., l.* 3, *c.* 21.

Dixi supra, legem civilem obligare *per se* in conscientia, quia dari possunt leges mere pœnales, ut dictum est in casu præcedenti; præter quod esse possunt etiam leges civiles irritantes, quæ efficaciam suam ad forum externum terminent, ut in responsione ad 3^um^ quæsitum dicemus.

130. — *Resp. ad 2^um^ Quæs.* Lex civilis obligat sub gravi, *per se*, licet hoc non semper in individuo contingat. Hæc assertio ostendi potest omnibus testimoniis et rationibus supra in responsione ad primum quæsitum adductis. Etenim obligatio in conscientia extenditur *ex genere suo* ad obligationem *sub mortali*. Quare? Quia lex humana ex se obligat in conscientia, ergo inducit obligationem materiæ proportionatam, si circa illam absolute feratur. Ergo ex se inducere valet obligationem sub mortali. Confirmatur, quia ratio naturalis dictat talibus legibus esse obediendum, sicut dictat esse obediendum parentibus. Ergo, sicut peccatum mortale est *ex genere suo* non obedire parentibus, ita etiam non servare leges civiles, seu non obedire Principi sæculari *ex genere suo* est peccatum mortale. Ergo leges civiles *ex genere suo* obligare possunt sub peccato gravi. — *Suarez, t.* 5, *l.* 3, *c.* 24.

Dixi *ex genere suo*, quia certum est *in individuo*, seu in singulis legibus, non semper esse obligationem tam gravem, ut transgressio legis civilis pœnam æternæ damnationis inducat.

131. — *Resp. ad 3^um^ Quæs.* Leges irritantes possunt quidem obligare in conscientia, sed non semper taliter obligant. Igitur distinguendum est. Lex irritans obligat in conscientia, si sit simul irritans et præcipiens, seu prohibens, ne actus absque tali forma fiat. Secus vero, si sit tantum irritans, seu declarans actum absque tali forma non valere, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur. Etenim aliquando lex præscribens formam actus vel contractus præcipit ut ita fiat, seu ut non fiat aliter; vel prohibet, ne fiat absque tali conditione. Sic Ecclesia in impedimentis matrimonii, speciatim in impedimento clandestinitatis, et in variis decretis, v. gr., de collatione simoniaca beneficiorum, etc. Aliquando contra, lex nihil præcipit, vel nihil prohibet, sed tantum determinat formam ad valorem actus requisitam, ut patet in lege de testamentorum solemnitate, et similibus. Sæpe leges civiles attendunt tantum ad formæ defectum, atque declarant actum sine tali forma positum invalidum esse, et nihil aliud præcipiunt vel prohibent, et tunc non censentur urgere in conscientia. — *Suarez, de leg., l.* 5, *c.* 20.

CASUS XXII

DE CONSUETUDINE

Controversia ingens diu et acriter agitatur in cœtu Sacerdotum de rebus theologicis disputantium, circa vim consuetudinis in ordine ad legem abrogandam. Etenim :

1° Florentius contendit requiri, præter honestatem consuetudinis et diuturnitatem sufficientem, consensum Principis, sive verbis, sive gestis expressum ; quia inde tantum vis legis consuetudini accedere potest.

2° Eligius autem non exigit quidem consensum hunc expressum in Superiore ut consuetudo vim legis habere possit, sed ejus defectu omnino postulat ut declaratio tribunalis competentis interveniat.

3° Sylvester vero negat mordicus consensum Principis expressum requirendum esse, neque judicium juridicum alicujus tribunalis, sed sufficere consensum ejus *implicitum*, seu *legalem*, qui haberi censetur per approbationem legum, consuetudinis efficaciam statuentium.

Verum singuli præliantes adeo fixi et immobiles in sua sententia inhærent, ut ne ab uno quidem passu dimoveri queant. Tu autem certaminis spectator quid dicis ? Edissere.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam conditiones requirantur, ut consuetudo vim legis habeat?*

2° *An consensus Superioris debeat esse expressus; vel an implicitus sufficiat? seu an Superior debeat scire consuetudinem, et eam approbare, necne?*

3° *Quid de casu proposito ?*

Solutio :

132. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Sequentes requiruntur conditiones :

1° Ut consuetudo *servetur a communitate* saltem generatim, seu ab ejus majore et saniore parte, secus enim non posset proprie dici consuetudo.

2° Ut sit *rationabilis*, seu ut nihil habeat inhonestum, id est legi divinæ aut naturali repugnans. Non tamen requiritur bona fides a principio, nam etiam peccando fieri potest consuetudo, quæ postea honesta evadat. Consuetudo enim triplicem statum habet : in principio omnes consuetudinem introducentes contra legem peccant ; in progressu jam non peccant illa a majoribus introducta utentes, sed possunt puniri ; in fine nec peccant, nec puniri possunt illa jam præscripta utentes. — *S. Lig. n.* 107.

133. — 3° Ut sit *diuturna*, seu ut duret tempore requisito, et cum actibus repetitis. Quodnam autem tempus sufficiat ad consuetudinem præscribendam, non satis constat. Dicunt enim non pauci satis esse decennium, nisi aliud sit alicubi sancitum. Alii tamen dicunt relinquendum esse arbitrio prudentium, juxta repetitionem actuum, et negotiorum qualitatem. — *S. Lig., ibid.*

Nota. Consuetudo, ut sit legitima, perseverare debet per tempus *continuatum ;*

nam, si interrumpatur etiam per unum actum a majori parte communitatis vel si interim Princeps reclamet, aut puniat violantes legem, consuetudo non præscribitur.

134. — Præterea ad inducendam consuetudinem obligatoriam requiritur intentio se obligandi, vel consuetudinem introducendi; quare nulla fit consuetudo proprie dicta seu vim legis habens, si populus aut major pars ejus agit ex devotione, gratitudine, etc. In dubio autem utrum consuetudo sit ex devotione, vel obligatione, sub gravi aut levi, an obliget ad culpam, vel ad pœnam tantum, benignior pars tenenda est; nam nulla lex obligat, nisi de ea certo constet. *S. Lig. n.* 107. Sic obligatio consuetudine primum inducta est ad Horas canonicas, et ad abstinentiam a carnibus diebus Rogationum in variis locis. *Reuter, n.* 236.

135. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Sufficit consensus non solum tacitus, sed etiam implicitus, qui a Principe etiam consuetudinem ignorante haberi potest; quia censetur approbare conditiones ex quibus consuetudo constituitur. Consensus ille dicitur etiam legalis; quia Princeps approbando leges, ex quibus inducitur consuetudo, eo ipso implicite consuetudinem approbat. *S. Lig., ibid.*, et alii multi cum *Suarez, de leg., l.* 7, *c.* 13, ubi dicit: *Ex his infero: primo, quando consuetudo præscripta jus inducit, tunc non postulari consensum personalem Principis, ac proinde nec specialem ejus scientiam de tali consuetudine, sed ipso nihil de novo sciente, aut volente, tacite vel expresse consuetudinem efficaciter induci. Hæc est communis sententia jurisperitorum, teste Panormitano.*

Sic etiam *Schmalzgrueber, part.* 1, *tit.* 3, § 4, ubi, relata opposita sententia, ait: *Sed melius, cum communi et receptissima sententia, nullus alius ad introducendum consuetudinem consensus requiritur, quam legalis, sive, ut etiam vocant, juridicus, qui habetur per leges et canones, consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique tribuentes vim juris, si illa rationabilis et legitime præscripta sit.*

136. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Ex dictis luculenter patet causam esse tribuendam ultimo opinanti, seu Sylvestro. Etenim tum ex Jure canonico, tum ex sententia communi Doctorum videntur tantum requiri duæ conditiones essentiales ad consuetudinem inducendam, id est, ut sit *rationabilis* et *præscripta*. Ita expresse *Suarez, c. ultimo de Consuetud.*, ubi ait: *Duæ tantum conditiones requiruntur, scilicet, ut consuetudo sit rationabilis et præscripta.* Ergo sine fundamento juris, imo contra illud jus est, novam conditionem exigere quæ in illis non contineatur. Nec obstat quod plures conditiones supra retulerimus ex *S. Ligorio:* quia prima nempe, ut sit *introducta a communitate*, in facto supponitur, secus non esset consuetudo; et ultima, seu *consensus legalis*, non est conditio proprie dicta cum semper ex rei natura adsit: consensus enim *legalis* non est verus consensus.

137. — Hinc non requiritur neque *consensus expressus* Superioris, neque *decisio juridica* tribunalis; etenim:

1° Non requiritur *consensus expressus*, specialis, exterius manifestatus: quia secus numquam consuetudo *via præscriptionis* induceretur, sed tantum *via conniventiæ;* atqui ex Jure canonico, priori, non posteriori modo stabilitur consuetudo. Ergo...

2° Neque requiritur *sententia juridica*. Nam, si consuetudo approbari debet *sententia juridica*, iterum inutilis, imo impossibilis erit *via præscriptionis*. Etenim, ut ait *Leuren :* « Hac ratione nunquam consuetudo « posset introduci; si enim ante judicium consuetudo non habuit vim, « judex in judicio non potest decernere, et declarare vim habuisse. Si vero « ante judicium et sententiam judicis vim habuit, adeoque fuit perfecta, « ad hoc ut vim habeat non est necessaria sententia judicis. » (*Forum ecclesiast., l.* 1, *tit.* IV, *q.* 380).

138. — *Objiciunt adversarii :* Silentium Superioris, v. gr., Papæ, pro legibus canonicis, non est signum approbationis, siquidem exstant nonnunquam abusus quos reprobat, licet taceat. Ergo omissio reclamationis nihil aliud probat, nisi ipsum tolerare quod impedire nequit, et hoc ad majus malum vitandum. Deficiente autem, imo repugnante consensu Superioris, quomodo consuetudo vim legis habebit?

Resp. Distinguendus est duplex rerum status juxta canonistas. Etenim vel Pontifex facile reclamare potest, vel non. Si prius, recte præsumitur ejus consensus; si posterius, est casus excipiendus. Tunc ex ipsis rerum adjunctis satis patet consuetudinem legitimam introduci non posse.

CASUS XXIII

DE PRIVILEGIIS

1° Gervasius, molestissima podagra laborans, Ecclesiam ad Missam diebus festis audiendam minime petere valet. Posset quidem Sacro interesse in propriis ædibus, quippe qui privilegio oratorii privati potitur. Sed Sacerdotem ad Missam in domo sua celebrandam conducere non vult; quia ait, *nemo privilegio uti tenetur*.

2° Zoilus privilegium carnes edendi die sabbati ab Episcopo obtinet. Cum autem frequenter peregrinetur, privilegio etiam extra diœcesim uti non dubitat. Attamen, exorto sibi quondam hac de re scrupulo, anxius interrogat Confessarium. Hic autem absolute declarat id Zoilo nullatenus permissum esse, et sub pœna denegandæ absolutionis ab eo promissionem requirit, ut in posterum extra diœcesim a carnibus die sabbati omnino abstineat.

Hinc :

Quær. 1° *An privilegiatus teneatur uti privilegio ?*

2° *An* Gervasius *fuerit obligatus ad Sacerdotem conducendum, ut missam in oratorio suo audiret? Et quid, si inveniat Sacerdotem gratuito celebraturum ?*

3° *An* Zoilus *potuerit vi privilegii carnes edere etiam extra diœcesim ?*

Solutio :

139. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque juri suo renuntiare potest. Non obstat tamen quin aliquando, *per accidens*, privilegiatus privilegio uti debeat, sive ratione caritatis erga

proximum, si, utendo privilegio, ipsi in necessitate versanti subvenire possit, sive ratione alicujus obligationis adimplendæ. — *V. Compend. n.* **141.** — *S. Lig., Append. de privileg., n.* **3.**

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° Gervasius tenetur uti privilegio, si facile possit habere Sacerdotem gratuito in oratorio celebraturum. Ratio est, quia, licet privilegio uti non teneatur, tenetur satisfacere præcepto, quoties id sine incommodo facere potest. Imo, idem dicendum est, si modico stipendio Sacerdotem conducere potest, quia quisque tenetur leve pati incommodum, ut præcepto satisfaciat. *S. Lig., ibid., et l.* 3, *n.* 324. — *Suarez, et alii communiter.* — 2° Si autem Gervasius non possit Sacerdotem conducere absque notabili stipendio, probabilius ab obligatione Missæ excusandus est. — *S. Lig., ibid.*

140. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si privilegium sit *personale*, minime dubitandum est quin Zoilus eo uti possit in quocumque loco : porro, in casu, evidenter, personale est, siquidem personæ specialiter concessum est; ergo peregrinantem semper sequitur et personæ adhæret; ergo erravit Confessarius. Si autem privilegium sit *locale*, ut in Hispania habetur, ad carnes die sabbati edendas, extra locum privilegiatum eo uti minime licet, ut liquido constat.

Quid vero si privilegium, seu potius dispensatio, sit tum *localis*, tum *personalis*, qualis est concessio recens facta a Pontifice aliquibus Galliæ diœcesibus, carnes die sabbati edendi, ea conditione ut quisquis a Parocho facultatem petat? An concessa licentia extra territorium uti liceat? — Negandum est, quia dispensatio est primario *localis*. Constat ex responsione *S. Cong. Inquis.* ad Episcopos Belgicos qui pro casu simili S. Sedem interrogaverunt. Videtur excipiendus casus in quo Zoilus transiret per alia loca, in quibus eadem gratia concessa esset. — *Vide dicenda de præceptis Ecclesiæ, n.* **495** *et* **496.**

CASUS
DE PECCATIS

De peccatorum gravitate, de distinctione specifica et numerica; de peccatis internis; de peccatis capitalibus, præsertim de ebrietate.

CASUS I

DE GRAVITATE PECCATI

1° Mævius, vir bonæ voluntatis, et satis pius, variis tentationibus diu noctuque exagitatus obrutusque, frequenter dubitat utrum consensum præstiterit. Anxietate speciali laborat ob phantasmata quædam, vel etiam actus minus decentes, quos in levi somno expertus est, ut sibi videtur.

2° Cyrinus vero, parum pius, attamen de salute sane non omnino incuriosus : 1° Scrupulos omnes circa pravas cogitationes facile contemnit, licet curiosius liberiusque quidquid occurrit aspiciat, vel audiat, imo licet motus deordinatos experiatur, sic statuens : *Deliberate non consensi, quia argumenta pro et contra non perpendi.* 2° Licet omnia peccata mortalia vitare velit, ne gehennæ pœnam incurrat : nullatenus tamen de venialibus curare satagit, imo nullum omnino vitare proponit. 3° Advertens ad motus turpes in corpore exsurgentes, mere passive se habet.

Hinc :

Quær. 1° *Quid requiratur ad peccatum mortale?*
2° *An graviter peccasse censeatur* Mævius *in primo casu?*
3° *Quid de* Cyrino *in secundo casu?*

Solutio :

141. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Tria ad peccatum mortale requiruntur : 1° materia gravis, vel in se, vel in fine, vel in circumstantiis; 2° advertentia plena ad malitiam gravem actus; 3° consensus plenus voluntatis. —*V. Comp. n.* 150.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Jubendus est Mævius, ut bono sit animo. Minime censendus est consensum, saltem perfectum, tentationibus præstitisse. In dubio enim de perfecto consensu, in favorem pœnitentis judicandum est, si timoratæ sit conscientiæ, et ordinarie a peccato mortali abhorreat : atqui talis sane perhibetur Mævius, ut ex casu patet : ergo abjiciat quoque anxietatem qua torquetur ob nocturna phantasmata, actusque minus castos, quorum aliquam habuit conscientiam. Etenim, si nesciat an vigilans aut dormiens, ac sui compos vel impos aliquid mali fecerit, ex hoc ipso pro-

batur in illo plenam defuisse advertentiam. Præterea, sequentem accipe regulam : *Si nunquam aut fere nunquam, decurrente die, similes actus admittas, et ab eis abhorreas, argumentum est te, neque noctu, peccati, saltem mortalis, arguendum esse.* — *V. Comp. n.* 156.

142. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Quid vero de Cyrino? Non est ei indulgendum : laxæ enim conscientiæ omnino videtur; ergo in dubiis severe judicandus est, siquidem contra ipsum stat præsumptio. Hinc :

1° Graviter peccare censendus est Cyrinus tantam incuriam et temeritatem, in rebus adeo periculosis, admittendo : etenim cum a peccato mortali non abhorreat, neque ab occasionibus in illud incidendi præcaveat, facillime illo inquinari potest, etiam quin clare id percipiat. Insuper, nonne peccati mortalis reus evadit eo ipso quod ejus periculo ita facile absque ratione se exponat? Nec valet Cyrini excusatio ex hoc deducta, quod in perpendendo periculo non immoratus fuerit; sufficienter enim illud, *in confuso* saltem, apprehendit.

2° Non peccat mortaliter, *per se*, seu *speculative loquendo* in secundo casu, sola mortalia vitare intendens; quia, si reapse omnia mortalia effugiat, periculum gehennæ non incurret. Ast in praxi res est periculo plena; cum facilitas peccandi venialiter causa sit cur anima debilitetur, et facile gravi tentationi succumbere valeat. Et revera qui dicunt se velle omnia, et sola mortalia vitare, numquid reapse omnia mortalia effugere satagunt? Quid ipse Cyrinus? Ex modo dictis satis liquet illum a lethali peccato immunem non fuisse.

143. — 3° Graviter peccat in tertio casu, se passive habendo circa motus concupiscentiæ, saltem si graves sint; quia, seclusa resistentia positiva, facile hujusmodi motus voluntatis consensum trahunt : si autem motus essent leves, vel si alteri virtuti præter castitatem opponerentur, omissio resistentiæ positivæ veniale peccatum non excederet, modo absit consensus periculum. Imo omni culpa vacabit, accedente justa causa, v. gr., si resistentia positiva tentationem augeat, etc. *S. Lig., l.* 5, *n.* 6 *et* 9.

CASUS II

DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM 1°

Alexander, parum scrupulosus, sat celeriter et compendiose confitetur, et minus attendit ad species quam ad numerum peccatorum. Quare :

1° Accusat quidem prava desideria, sed prætermittit eorum objectum, necnon personarum specialem qualitatem.

2° Accusat etiam furta, gestus et aspectus pravos; sed tacet se singula hæc in loco sacro, vel erga personas sacras, aut propinquas perpetrasse.

3° Detraxit in Ecclesia, dum fieret Sacrum, de *Sempronio* Sacerdote, necnon de *Caio*, Religioso, imo de Sacerdotibus et Religiosis in genere, et sic confitetur : « Pluries detraxi in materia gravi. »

Hinc :

Quær. 1° *Quid sint species peccatorum; quomodo distinguendæ sint et accusandæ?*

2° *An omnes circumstantiæ in præfatis casibus sint declarandæ in confessione?*

Solutio :

144. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Species peccatorum sunt diversæ juxta eorum classes, omnino vel saltem notabiliter dissimiles, quæ mutantur pro varietate morali creaturarum ad quas peccator illicite se convertit : species igitur peccatorum consistit in particulari malitia, qua unum peccatum ab alio essentialiter distinguitur, et in suo individuo morali constituitur. Aliquid enim dicitur specificari, cum ab omni alio in suis essentialibus attributis differt : sic homicidium, furtum, fornicatio specie differunt.

2° Species peccatorum generatim desumuntur ex oppositione ad diversa præcepta, et ad diversas virtutes, necnon ex deformitate notabiliter diversa contra eamdem virtutem, ut desperatio et præsumptio virtuti Spei opponuntur; utque delectatio morosa, fornicatio, adulterium, pollutio, etc., virtuti castitatis opponuntur. Quare distinguuntur species genericæ peccatorum, ut est luxuria, injustitia, et species subordinatæ, vel infimæ quæ diversa ejusdem virtutis attributa lædunt, ut modo de castitate diximus. — *V. Comp. n.* 157 *et seq.*

145. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° *In primo casu :* Alexander non satisfecit integritati confessionis, omittendo objectum specificum pravorum desideriorum : sicut enim objecta specie inter se differunt, ita etiam desideria; siquidem ex objecto specificantur. Idem dicendum de personarum qualitate si ex ea nova peccati species inducatur. Hinc, si Alexander mulierem conjugatam, vel consanguineam, aut voto castitatis ligatam concupiverit, has species in confessione declarare debuit. — *V. Comp. n.* 157 *et seq.*

146. — *In secundo casu :* plura sunt distinguenda : 1° Quoad furta, sola circumstantia loci sacri est aperienda, si res ad Ecclesiam pertinens, vel in ea deposita, subrepta fuerit. 2° Quoad gestus seu tactus graviter indecentes, circumstantia loci sacri probabiliter non est declaranda, nisi de peccato consummato agatur, quo solo Ecclesia polluitur. Sed circumstantia personæ sacræ et propinquæ reticeri minime potuit. 3° Quoad aspectus, omitti potest probabilius circumstantia loci sacri; quia turpi aspectu Ecclesia non violatur. Idem de circumstantia personæ sacræ et propinquæ; quia aspectus non inducunt, sicut tactus, malitiam specificam pro variis personarum circumstantiis, secluso tamen pravo desiderio, et complicitatis peccato, ratione cooperationis. — *S. Lig., l.* 3, *n.* 421. — *V. Comp. n:* 284 *et seq.*, 424 *et seq.*

147. — 3° *In tertio casu :* circumstantia detractionis in loco sacro non est necessario declaranda, quia locus sacer peccato detractionis non violatur. Idem dicito, *per se,* de persona sacra vel religiosa, quia eorum fama sacra non est. Excipe casum in quo Religionis detrimentum sequeretur, vel bonum fidelium damnum pateretur, vel si detractio in Sacerdotes et Religiosos omnes, aut saltem in aliquod cœnobium redundaret.

CASUS III

DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM 2o

1° Nicolinus peccavit die Dominica, imo ipso die Communionis, cum Berta famula sua, et in tertio gradu consanguinea; confitendo autem dicit se rem cum aliqua muliere habuisse.

2° Alias, cum in quadam vigilia ad jejunium teneretur, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam ex voto, imo ex pœnitentia sacramentali, se accusat tantum quod jejunium in vigilia omiserit; neque dicit se hac eadem die carnes comedisse.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo vitiosa sit confessio* Nicolini *in primo casu?* 2° *An, vel quomodo peccaverit* Nicolinus *contra integritatem in secundo casu?*

Solutio :

148. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Vitiosa est confessio Nicolini in hoc, quod omiserit circumstantiam specificam peccati cum consanguinea commissi; quia incestum non patefecit. Proinde hunc defectum supplere debet. Non autem vitiosa est in cæteris, in rigore loquendo; quia circumstantiæ omissæ speciem peccati non mutabant. Hinc : 1° circumstantia diei Dominicæ non fuit necessario declaranda. — *S. Lig., l.* III, *n.* 273. — 2° Neque probabiliter circumstantia diei Communionis, *per se;* secus enim Sacerdos qui grave peccatum accusaret, dicere deberet utrum hac die, priusquam peccaret, Missam celebrasset, necne, quod a praxi communi alienum est. Dixi tamen *per se;* quia, si quis statim a Communione peccatum turpe patraret, ultra peccatum contra castitatem, sacrilegii reus fieret. — *Tamb., tr.* III, *de* 3 *præc., n.* 8. — 3° Nec fuit necessario declaranda circumstantia famulatus; quia peccatum heri cum ancilla sua speciem novam non inducit, nisi sit adolescentula a parentibus speciali custodiæ domini commissa, ita ut *quasi contractus* de hoc intervenerit.

149. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Nicolinus peccavit contra integritatem sub omni respectu in secundo casu. Etenim declaravit tantum jejunii violationem, perinde ac si legem Ecclesiæ tantum violasset, et tacuit violationem voti et omissionem pœnitentiæ sacramentalis, ex quibus duplex peccati species inducta fuit, cum obligationes illæ ex principio et causa diversa injunctæ fuerint. Insuper Nicolinus etiam deliquit contra integritatem confessionis, esum carnis omittendo; quia in jejunio est præceptum virtualiter duplex, scilicet, quatenus abstinentia a duplici refectione et a carnibus præcipitur. — *V. Comp. n.* 159.

CASUS IV

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 1o

1° Basilius, gravi tentatione contra castitatem impulsus, pravo desiderio interne consentit, efficaciter peccare proponit, occasionem tota die quærit,

pravum propositum interea millies iterat, nec unquam revocat. Tandem, inventa occasione, præmissisque turpiloquiis gestibusque indecentibus, actum externum peccati perficit. Pœnitentia autem ductus, sic confitetur : « Semel fornicationis peccatum commisi. »

2° Paulus, cum furari vellet centum nummos, quibus indigebat ad debitum quoddam persolvendum, ne detegeretur, viginti vicibus prædictam summam ex arca *Caii* abstulit : confitendo autem dicit tantum, nummos centum fuisse furatum.

3° Flavius, confessionem instituens, se accusat quod per totum annum fratrem suum odio habuerit; quod per plures dies fornicandi desiderium foverit, sed postea ei renuntiaverit; quod per diem morosis cogitationibus delectatus fuerit.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo peccata numero distinguantur?*
2° *An prædicti pœnitentes rite confessi fuerint?*

Solutio :

150. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Desumitur distinctio numerica, tum ex diversitate objectorum moraliter diversorum, ut sunt furtum, mendacium, detractio; tum ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum, v. gr., si quis, patrato aliquo peccato et posito intervallo, illud iteret : tunc enim novus actus a præcedente omnino diversus ponitur; et proinde novum peccatum constituitur. Actus mere interni facilius per interruptionem multiplicantur, quam actus qui adnexum habent propositum actionem externam ponendi : quia priores, posito intervallo, aut actus cessatione, eo ipso cessant; et, si renoventur, novum actum efficiunt, cum unio moralis inter eos existere nequeat : posteriores vero in ipso proposito perseverare possunt, etiam ad plures dies. Imo, si peccator paret media ad peccati consummationem, omnes actus prævii quid unum morale cum actu intento efficient, nisi *per se* novam inducant speciem, quæ ex se ad peccati complementum non tendat. — *V. Comp., n.* 160 *et seq.* — *S. Lig., n.* 36 *et seq.*

151. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Basilius, *in primo casu,* integritati confessionis satisfecit, quia unicum peccatum commisit; siquidem actus prævii, quos posuit antequam fornicationem patraret, ad eam in pravo proposito referuntur, et cum ea unicum objectum totale constituunt.

2° Paulus pariter obligationi confessionis satisfecit, quia, licet varios actus malos physice posuerit, unicum tamen voluntatis actum moraliter admisit, cum varia hæc furta per modum unius apprehenderit.

3° Flavius, *in tertio casu,* non satisfecit. Etenim, cum agatur de peccatis mere internis, necessario multiplicari pluries et forte sæpius debuerunt, siquidem multiplex interruptio fieri debuit. Sed cum numerus peccatorum, his in rebus, plerumque obtineri nequeat, satis erit dicere an frequenter actus peccaminosos renovaverit, an pluries in die, etc. — *V. Comp., ibid.* — *S. Lig., n.* 36 *et seq.*

CASUS V

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 2o

Rochus sequentia patravit peccata :

1° Unico actu detraxit de familia quæ decem membris constabat, necnon de integra communitate religiosa, coram pluribus audientibus.

2° Rem ad plures hæredes, non divisa adhuc hæreditate, pertinentem, furto subduxit.

3° Equitem uno ictu cum ipso equo occidit.

4° Proposuit omittere totum jejunium quadragesimale; et ex media parte omisit. Sic autem postea de his omnibus confitetur : « Semel detraxi de proximo. — Semel in re gravi sum furatus. — Hominem occidi. — Jejunium per mediam Quadragesimæ partem omisi. »

Hinc :

Quær. 1° *An sufficiat* Rochi *confessio ?*
2° *Qualis sit numerus peccatorum in singulis ?*

Solutio :

152. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Rochus minime integritati confessionis satisfecit, quia plura peccata in singulis casibus omisit, ut ex dicendis patebit.

153. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu,* juxta *S. Lig.* et alios, tot peccata commisit, quot sunt personæ in familia vel in communitate cui detraxit; quia tot sunt jura violata. Etenim, præter jus ad famam, quod habet familia vel communitas, tanquam persona moralis, datur etiam jus idem in singulis ejus membris seorsim sumptis. Numerum igitur membrorum familiæ vel communitatis declarare debet, saltem approximative, si expresse nesciat. An numerum quoque audientium declarare debuerit, affirmant quidam. Alii vero multi, et maximæ notæ Theologi, probabiliter contrarium tenent. — Sic *Lugo, de Pœnit., D.* 16, *n.* 135. Detrahere enim coram pluribus videtur esse tantum circumstantia aggravans; cum jus ad famam sit unicum apud omnes, non multiplex. — *V. Comp. n.* 165. — *S. Lig. n.* 49. — *Lugo,* etc.

In secundo casu, juxta *S. Lig.* et alios, tot sunt peccata furti, licet actus fuerit unicus, quot sunt hæredes ad quos res sublata pertinebat; quia singuli injuria speciali affecti fuerunt. At, juxta alios, unicum est furti peccatum. — Sic *Lugo, D.* 16, *n.* 136, *Tambur.,* etc. — Utraque sententia æquali gaudet probabilitate : at praxis tum Confessariorum, tum pœnitentium posteriori opinioni favet, ait *Tambur., Meth. Conf., l.* II, *c.* 1, *n.* 65.

154. — *In tertio casu,* duplex peccatum commisit Rochus, quia duplicem injuriam specie diversam equiti intulit, scilicet violando ejus personam, et rem ad ipsum pertinentem. Si prius hominem occiderit, hæredum jura, jumentum perimendo, violavit.

In quarto casu, totidem peccata committit, quot dies in quadragesimali jejunio numerantur. Etenim, licet actus internus voluntatis sit unicus,

non unicum afficit opus, sed plura opera quæ minime sunt conjuncta inter se, veluti sane sunt dies jejunii in Quadragesima, quorum singuli inter se distinguuntur, nec quid unum morale efficiunt. Totidem etiam peccata patravit quot sunt dies quibus jejunium non servavit. — *Lugo, de Pœnit., D.* 16, *n.* 539 *et* 546, *cum aliis* contra *alios* qui dicunt unicum patrari peccatum in præfato proposito. — *V. Comp., n.* 163, 7°.

CASUS VI

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM 3°

1° Delphinus inimicum occidere statuit. Quapropter emit gladium, struit insidias, hominem pluribus diebus exspectat juxta locum qua transiturus est, accedentem percutit pluries, et tandem eum occidit.

2° Alias, puellam seducere volens, varia media ad hunc finem adhibuit, nempe verba parum casta vel adulatoria, epistolas amatorias, aspectus turpes, tactus inhonestos; sed peccatum peracturus, ex casu fortuito superveniente, illud consummare non potuit.

Hinc :

Quær. 1° *An plura peccata commiserit* Delphinus *in primo casu?*

2° *An plura, vel quot patraverit in secundo casu?*

3° *An, peccato non patrato, media etiam indifferentia ad illud peragendum adhibita accusanda sint?*

Solutio :

155. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Delphinus, *in primo casu,* unicum peccatum commisit, quia actus prævii quos posuit ad homicidium referebantur, et cum eo unicum actum moralem, seu unicum objectum totale constituebant. Fur autem qui occidit hominem ad eum spoliandum duplex patrat peccatum, quia homicidium constituit speciem peccati diversam ex natura sua, nec *per se* ad furtum ordinatur. — *S. Lig., n.* 41 *et seq.*

156. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Delphinus, *in secundo casu,* tot peccata fecit quot sunt media specie diversa et mala ex natura sua, quibus usus est. Ergo debuit Delphinus accusare seorsim verba turpia, epistolas amatorias ad seducendam puellam scriptas, aspectus turpes et actus inhonestos. Ratio est, quia, peccato non consummato, illa varia media in se mala ad finem jam referri nequeunt, et quid unum in peccati consummatione constituere. Ergo illi actus singuli cum sua malitia propria spectandi sunt; ergo seorsim sunt accusandi in confessione. — *S. Lig. n.* 42.

157. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Controvertitur; sed probabiliter non sunt declaranda singillatim omnia media ex se indifferentia, quia in se mala non sunt, sed satis est dicere peccatum actibus externis attentatum esse. Si tamen media mala fuerint in se, declaranda sunt, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus turpes, verba obscena ad sollicitationem in peccatum adhibita. — *V. Comp. n.* 164.

CASUS VII

DE PECCATIS INTERNIS 1°

Didymus et Nicodemus, uterque theologus, acriter de integritate confessionis disputando, circa modum peccata mere interna accusandi graviter dissentiunt. — Satis est, ait Didymus, si pœnitens dicat : « Cogitationes pravas, v. gr., contra castitatem vel caritatem in mente volvi, » relictis speciebus infimis, necnon omnibus personarum rerumque circumstantiis, solo excepto efficaci desiderio.

« Minime, inquit Nicodemus, sed pœnitens sedulo explicare debet : 1° objectum singularum cogitationum ; 2° circumstantias objectivas desideriorum etiam inefficacium, v. gr., circa personarum conditionem, etc. ; 3° omnes objectivas circumstantias meræ delectationis morosæ. »

Tu autem, certaminis spectator, cuinam jungis manus? scilicet, quis sit audiendus? prior vel posterior? seu, quid in confessione declarandum sit?

Hinc :

Quær. *Quis e duobus contendentibus erret?*

Solutio :

158. — *Resp.* Quis errat? Uterque contendens; turpius vero Didymus.

I. Damnandus Didymus, et quidem ex triplici capite : 1° Quidem, quare eximit pœnitentem ab accusandis speciebus infimis? Nonne species cunctæ, ex Concilio Tridentino, accusandæ sunt in confessione? 2° Quare etiam a declarandis desideriis inefficacibus adeo large dispensat? Desideria, licet inefficacia, seu licet careant proposito media adhibendi ad eorum executionem, essentialiter tamen a simplici delectatione mala differunt, et diversam speciem inducunt. Imo, haud secus ac desideria efficacia, omnibus objecti speciebus vestiuntur. Sic, detentus in carcere, qui conjugatam vel consanguineam concupiscit, has circumstantias exprimere debet, quamvis ne cogitet quidem de mediis ad peccatum patrandum adhibendis, cum id minime possit. Ergo non satis est si dicat : *Fornicationem desideravi.* 3° Quare tam facile excusat ab explicandis circumstantiis indiscriminatim? Errat sane. Equidem, si agatur de sola repræsentatione, probabiliter malitia circumstantiarum objecti non contrahitur; secus vero de quocumque desiderio dicendum est, quia desiderium, cum in objectum, ut tale, feratur, malitiam circumstantiarum ejus specificarum induere debet. — *S. Lig. n.* 15. — *S. Thom.*, 1. 2., *quæst.* 74, *art.* 8.

159. — II. Damnandus quoque Nicodemus, quippe qui in nimiam severitatem propendit. 1° Quidem, male requirit ut omnes circumstantiæ meræ delectationis morosæ explicentur. O miseros pœnitentes et infelices Confessarios, si hæc obligatio adesset, ut is dicit! Quot incommoda hinc et inde, in fœda hac internorum peccatorum materia evolvenda! Saltem explicandæ non sunt circumstantiæ quæ speciem non mutant. Cum hoc probabilius sit in cæteris, a fortiori hac in re periculosissima. 2° Imo, nec sunt adigendi

pœnitentes ut circumstantias specificas objecti referant, quia probabiliter mera delectatio, quæ non transit in desiderium, has species non inducit. — *V. Comp., n.* 167 *et seq.* — *Lugo.* — *Laymann.* — *Reuter.*

160. — Nota. Objectum quidem specie diversum pravæ delectationis *per se* est declarandum, quia complacentia in repræsentatione, v. gr., aspectus turpis, differt specie a repræsentatione fornicationis, etc. Sed in praxi difficilius esset Confessario de his in particulari interrogare, idque gravissima induceret incommoda quæ omnino vitanda sunt. Insuper, qui facile consensum pravis cogitationibus præbent, facile etiam quibuslibet repræsentationibus adhæsisse censentur.

CASUS VIII

DE PECCATIS INTERNIS 2°

Blasius, in gaudium pronus, de rebus plurimis absque scrupulo delectatur, gaudet et gestit.

1° Gaudet de morte fratris, quia ipse solus hæres remanet.

2° Gaudet de morte filii quinquennis, ob ipsius felicitatem et familiæ sublevamen.

3° Gaudet ex eo quod die præcedenti ignoraverit urgere jejunium cum abstinentia, et sic absque peccato onus præcepti prætermiserit.

4° Gaudet et gestit cernendo mulieres plebeias inter se rixantes, convicia et verbera intorquentes et retorquentes. Gaudet pariter audiendo furtum ingenioso modo patratum.

Hinc :

Quær. *Quid de gaudio* Blasii *in singulis casibus?*

Solutio :

161. — *Resp.* Blasius in pluribus de gaudio tristari debet, modo tamen non de spontanea complacentia, sed de actibus plene deliberatis agatur; in cæteris fere cunctis excusandus.

1° Graviter peccat gaudendo de morte fratris, si de ea morte secundum se gaudeat, etiamsi id non faciat ex displicentia personæ, sed ex eo quod ipse solus paternam hæreditatem sit collecturus; quia non licet gaudere de damno alterius, et a fortiori fratris, ob emolumentum inde proveniens. Constat ex propositione 13ª nec non et 14ª damnata ab *Innoc. XI.* Non posset enim mortem fratris hac de causa desiderare; ergo neque potest de ea gaudere. Secus vero si non de morte fratris gaudeat, sed de effectu tantum secuto, scilicet de hæreditate sibi obveniente. — *S. Lig. n.* 21. — *V. Comp. n.* 173.

2° Excusandus Blasius in secundo casu, quia ratio qua ducitur non destruit caritatis ordinem, siquidem bonum filii ipsius et totius familiæ intendit. At non item excusandus de gaudio ex hac morte concepto ob familiæ sublevamen; id enim revera esset contra ordinem caritatis. — *V. Comp. n.* 173.

3° Blasius non peccavit *per se,* in tertio casu, seu gaudendo ex eo quod

propter ignorantiam a præcepti molestia liberatus fuerit. Ratio est, quia gaudium, seu delectatio, non est de violatione legis, siquidem is noluisset eam infringere si eam novisset, sed de bono ex ignorantia legis obtento, quod culpa vacare potest, ubi objectum legis non est intrinsece malum. — Peccaret autem, si de ipsa præcepti violatione gauderet. — *Lacroix, n.* 86.

162. — 4° Non peccat in quarto casu, quia non gaudet de re mala, sed de re admodum curiosa, etc.; seu potius gaudet de modo quo res peragitur aut peracta fuit. Attamen, si gaudium esset de materia lubrica, timendum esset ne delectatio a modo in rem ipsam transiret. — *V. Comp., n.* 172, *Nota* 1°. — *S. Lig. n.* 48.

CASUS IX

DE PECCATIS INTERNIS 3°

Marsilius peccare nollet, saltem graviter. Quapropter, desiderando quandoque res illicitas, sedulo apponit conditionem, nempe, si hoc vel illud malum non esset, v. gr. : 1° die Veneris ait : « Quam libentissime carnes hodie comederem, nisi lex Ecclesiæ obstaret! » 2° Alias auditur dicens : « Nisi peccatum foret, vellem ulcisci de inimico meo. » — Alias etiam dicit : « Si fornicatio prohibita non esset, eam admitterem. »

Hinc :

Quær. 1° *An* Marsilius *peccaverit in primo casu?*
2° *An in secundo et tertio casu?*

Solutio :

163. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Marsilius, *in primo casu,* excusandus est ab omni peccato; nulla enim culpa est desiderare esum carnis die prohibito, sub conditione si res prohibita non esset, quia, cum res non sit intrinsece mala, tota malitia conditione apposita aufertur. — *S. Lig. n.* 27.

164. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Marsilius peccavit, et quidem graviter, *in duobus aliis casibus.* Conditio enim apposita tollere nequit malitiam objecti, siquidem illud intrinsece malum est; insuper objectum intrinsece malum mutari nequit. Talia igitur optare, est desiderare ut lex et ordo naturæ mutetur, quod gravem induit deordinationem, et proinde grave peccatum. Attamen probabiliter excusandus est a peccato gravi ille qui nollet quidem ut id, quod intrinsece malum est, licitum fieret, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. Verum hoc ipsum etiam est periculis plenum, ut nemo non videt. — *S. Lig., Hom. apost., tr.* 3, *n.* 50. — *V. Comp. n.* 171.

CASUS X

DE SUPERBIA

1° Berthusa, vana mulier, 1° sæpe nutrit et fovet superbiæ cogitationes, et ambit hominum laudes; 2° centies in die imaginem suam in speculo contemplatur; 3° pluribus diei horis in exornando corpore magna diligentia et

cura vacat; 4° gloriatur quod cæteras totius viciniæ feminas ingenio, decore, ornatu, educatione et divitiis superet; quare eas ordinarie superbe et arroganter alloquitur.

2° Briandus se jactat coram aliis : 1° quod a nemine in peritia equitandi superetur; 2° quod a viginti annis confessus non fuerit, nec Missæ interfuerit; 3° quod mulieres quamplurimas seduxerit. Hæc et alia plura plerumque falsa, nec verisimilia, continuo et plenis quidem buccis decantare solet. Idem vehementer ambit dignitates, ex eo quod cæteros omnes dexteritate se excedere, aut saltem nulli secundum esse, firmiter sibi persuaserit.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam superbia sit peccatum mortale?*
2° *An* Berthusa *graviter deliquerit in primo casu?*
3° *Quid de* Briando *sentiendum?*

Solutio :

165. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* — Licet superbia inter cætera capitalia peccata primum sit, non est tamen semper mortale peccatum, et sæpissime veniale non excedit. Distinguendum est enim inter superbiam perfectam et imperfectam. Prior sola mortalis est, et consistit in hoc quod homo adeo sibi complaceat, ut versetur in dispositione legem potius violandi, quam mandatis Superiorum obtemperandi. Imperfecta vero *per se* tantum venialis est, nisi accedat gravis injuria proximi. — *S. Lig. n.* 66.

166. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Berthusa peccavit, sane venialiter saltem, in singulis. Non videtur tamen *per se* mortaliter delinquere, nisi forte non dubitet potius peccare mortaliter, quam corporis cultum moderari. Hujusmodi mulier saltem magno periculo in mortale delabendi exponitur, et enixe est a Confessario ad humilitatem christianam adhortanda. — *S. Lig., ibid.*

167. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Briandus non videtur peccare graviter, laudando et exaggerando peritiam ac dexteritatem suam; neque dignitates ambiendo, modo ad eas habilis fuerit. Sed graviter peccavit enarrando ea facta scandalosa et peccaminosa, tum ex eo quod glorietur de gravi malo, tum etiam quia audientibus scandalum præbet. — *V. Comp. n.* 168-174.

CASUS XI

DE INVIDIA 1°

Pascasius 1° sæpe tristatur de scientia et talentis aliorum, quia coram illis abjectior apparet. 2° Tristatur ex eo quod Fulgentius ad dignitatem fuerit promotus, quia novit ex communi fama quod ea indignus sit. 3° Tristatur quod Caius, ejus inimicus, adeptus fuerit quoddam officium, ex quo merito timet ne graviter sibi noceat. 4° Vehementer dolet dum videt emptores ad alias officinas divertentes, et suas merces negligentes. Imo aliquando præ tristitia exoptat ut mercatores alii cum emptoribus à mille diabolis rapiantur, et de medio auferantur.

Hinc :

Quær. *An graviter peccaverit* Pascasius, *eo quod de aliorum commodis in præfatis casibus tristatus sit?*

Solutio :

168. — *Resp. ad* 1^um^ *casum.* Difficile hic statui potest de gravitate culpæ, quin Pascasius sedulo examinetur. Si tristatur tantum de bono aliorum, ex eo quod inde abjectus apparet, non est proprie peccatum invidiæ; secus, si vere de commodis aliorum mœstitiam patiatur.

Resp. ad 2^um^ *casum.* Tristitia hæc non est inordinata, cum ex bono fine concipiatur, nec est invidiæ peccatum. Caveat tamen, ne odium inde in ipsam personam exoriatur.

Resp. ad 3^um^ *casum.* Non commisit peccatum invidiæ, quia hæc tristitia potius concipitur ex timore proprii damni, quam ex bono alterius. Cavendum tamen est a peccato invidiæ, quia facile subesse potest periculum ne inde etiam concipiatur tristitia de bono proximi, præsertim inimici.

169. — *Resp. ad* 4^um^ *casum.* 1° Graviter peccat Pascasius, gravia mala aliis mercatoribus et emptoribus imprecando. 2° Graviter etiam peccat peccato invidiæ, si tristetur de bono notabili aliorum, ut facile evenit. Non foret tamen invidiæ reus, si non tristaretur nisi ex eo quod ipse non tantum percipiat lucri ac cæteri, quia tunc non tristaretur de bono proximi, sed de damno proprio; hic autem gravis deordinatio non reperitur.

CASUS XII

DE INVIDIA 2°

1° Ernestus, videns Lœlium æstimari ob insignem suam pietatem, et extraordinaria Dei dona quæ in eo elucent, magnopere de hoc tristatur, ita ut magnam animi aversionem in eum experiatur.

2° Valesius, quando cernit transeundo aliorum dominia, vel arbores fructibus onustas, dicit intra se : « Vellem ut hæc omnia mea essent. »

Hinc :

Quær. 1° *An* Ernestus *graviter peccaverit in primo casu?*
2° *Quomodo judicandus sit* Valesius *in secundo casu?*

Solutio :

170. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Ernestus graviter peccat ex invidia, quæ quidem dicitur *diabolica,* quando quis tristatur de donis spiritualibus a Deo alicui concessis. Careret autem peccato, saltem gravi, si tristitiam conciperet, non quidem de donis spiritualibus aliorum, sed eorum occasione, quia nempe ipse iis destituitur. Potest talis contristatio non tantum culpa vacare, sed esse virtus æmulationis vel zeli, et proinde laudabilis.

171. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Valesius graviter non peccat, quia mera complacentia in ficta possessione boni alieni non est peccatum mortale, modo periculum aut hypothesim injustitiæ non contineat. Excusandus au-

tem foret ab omni invidiæ peccato, si non quidem hæc ipsa bona concupisceret, sed similia habere vellet, quia tunc nullum proximi detrimentum in sui favorem desideraret. Sed inutilia esse hujusmodi desideria nemo non videt, et subinde periculis non carent.

CASUS XIII

DE AVARITIA

Domitillus, vir dives, valde sollicitus de augendo peculio, nullam occasionem acquirendi lucri negligit; paulo post ita lucro inhiat, ut consuetas devotiones negligat, et quærat, ut aiunt, pilum supra ovum; denique etiam non dubitat spe lucri Sacrum omittere festis diebus, pauperes dure a se repellere, uxori et filiis quam maxima parcimonia et ægerrime alimenta concedere, et sibimet ipsa vix necessaria ad vitam sustinendam indulgere. Confitendo autem dicit tantum : « Aliquando fui avarus. »

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam avaritia constituat mortale peccatum?*
2° *An graviter peccaverit* Domitillus?

Solutio :

172. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Avaritia est peccatum mortale, quando adeo bonis temporalibus quis inhæret, ut, propter hæc, gravia præcepta omittat, aut injustitias graves patret; a fortiori, si finem suum ultimum in bonis hujus vitæ quasi reponere videatur. 2° Avaritia autem, quatenus liberalitati adversatur, peccatum veniale non excedit.

173. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Domitillus, ut ex casus expositione liquet, graviter certe peccavit. Ergo minime confessionis integritati satisfecit, dicendo tantum se aliquando avarum fuisse. Debet igitur exprimere tum an graviter et quoties contra misericordiam erga pauperes, vel contra justitiam in uxorem et filios deliquerit; tum quot Sacra diebus festis omiserit; necnon alia omissionis gravia peccata, quibus propter avaritiam se forte inquinavit. Attendat etiam ad contritionem, et propositi firmitatem, quæ in hujusmodi hominibus sæpe desunt; quare nil mirum, si tam raro hi vitam in melius mutant.

CASUS XIV

DE IRA

Hermanus, animi excandescentis, et iræ impotens, blasphemias et imprecationes in omnibus sermonibus et negotiis miscere solet, modo uxorem, modo filios, modo alios domesticos vel operarios increpando, objurgando, conviciis et nominibus probrosis lacessendo. Si solus sit, irascitur in seipsum, vel contra animalia, aut operum instrumenta, quæ cunctis devovet diabolis. Confitendo autem tempore paschali dicit tantum : « Aliquoties iracundus fui et signa impatientiæ dedi. »

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quando ira peccatum grave constituat?*
2° *An graviter in his peccaverit* Hermanus; *et an ejus confessio sufficiat?*

Solutio :

174. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictæ. Venialis tamen est *per se*, si sit tantum motus animi inordinatus. Gravis autem evadere potest propter violationem alterius virtutis, v. gr., pietatis, vel caritatis, etc., tum etiam si ejusmodi animi motus sit vere vehemens et deliberatus.

175. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Ambigendum non est quin Hermanus sæpius peccati mortalis reus evadat, non solum propter blasphemias in Deum, vel imprecationes in homines, sed etiam propter animi gravem excandescentiam et perturbationem, modo sufficiens adfuerit advertentia. Neque propter consuetudinem iracundiæ excusandus est, quippe qui consuetudinem voluntarie fovet, quin eam imminuere et eradicare conetur.

Hinc patet quantum Hermani confessio imperfecta sit. Præ oculis igitur ei semper habendum esset illud *Job* v. 2 : *Stultum interficit iracundia;* et illud Apostoli (*Rom.* xii, 21) : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Discat ab Ausonio poeta hanc eximiam praxim, his expressam versiculis :

Irasci promptus, properavi condere motum,
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.

CASUS XV

DE EBRIETATE 1°

Gaudiosus, vir in poculis exhauriendis admodum impiger, sæpius cum aliis bibulis pluribus horis continuis potitare solet. Diebus præsertim Dominicis sub vespere usque ad mediam noctem in cauponis compotationem protrahit, combibones ad æquales haustus provocando. Ipse, cæteris in vino sustinendo potentior, nunquam rationis usum abjicit, licet capitis gravamen experiatur, pedibusque aliquando titubantibus incedat. Cum sociis autem potitando in blasphemias erumpere, verba graviter turpia proferre, vel obscenas cantilenas decantare solet, uti bibulis mos est.

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccare soleat* Gaudiosus?
2° *An absolvi possit, quin cauponas derelinquat?*

Solutio :

176. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Communiter admittitur a theologis non committi peccatum mortale; ratione ebrietatis, nisi in privatione voluntaria et perfecta rationis. Unde *per se* de peccato mortali non est arguendus Gaudiosus, licet plus aliis biberit. Dixi *per se*, seu ratione ebrietatis; nam gra-

viter peccat, si alios ita ad bibendum provocat, ut eorum ebrietati graviter et efficaciter cooperetur.

177. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Distinguendum est. *Per se,* ratione ebrietatis, absolutio non esset bibulo deneganda, cum, ex dictis, non soleat penitus inebriari, adeoque sub illo respectu neque graviter peccet. Verum, inspectis aliis circumstantiis, sæpius peccat mortaliter Gaudiosus; et proinde in occasione proxima peccati versatur. Etenim non raro peccatorum sociorum fit particeps, prout in casu. Quapropter Gaudiosus absolvendus non est, nisi cauponas deserat, etiamsi minime inebrietur.

CASUS XVI

DE EBRIETATE 2°

Gaudentius modico vini poculo inebriatur. Cum autem occasio bibendi in cauponis frequenter recurrat, ipse non raro in statu ebrietatis versatur. Plerumque, cum vino caperetur, quieto somno se dare solebat; quadam tamen die, furore abreptus, vas crystallinum valde pretiosum Titii confregit. Ecce, dum exercitia spiritualia a Missionario traderentur, eum adit Gaudentius, confitendi causa. Renuit autem Missionarius Gaudentium absolvere, nisi restituat pro damno a se in statu ebrietatis illato, et per duos menses saltem nullam ingrediatur cauponam. Utrumque denegat Gaudentius, ideoque non absolutus discedit.

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccet* Gaudentius?
2° *An teneatur ad damni illati reparationem?*
3° *An recte egerit Confessarius?*

Solutio :

178. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Gaudentius a peccato gravi excusari nequit : novit enim, longa et lugenda experientia, se facile modico vino in ejusmodi consortiis inebriari; debuit igitur a vino omnino abstinere, vel saltem illud notabili aquæ copia temperare, vel consueta consortia effugere. Secus vero dicendum esset, si raro, et quasi casu fortuito, præter exspectationem et prævisionem inebriaretur.

Resp. ad 2^um *Quæs.* Gaudentius non est obligandus ad restitutionem; constat enim ex casu, damnum in ebrietate patratum eum non prævidisse. Ergo damnum illud non fuit voluntarium, neque in actu, neque in causa; ergo defuit culpa theologica; ergo in foro interno restitutio urgeri non debuit.

179. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Confessarius non debuit urgere restitutionem pro damno in ebrietate illato, ut sequitur ex modo dictis; sed recte egit absolutionem Gaudentio denegando, nisi media proposita ad ebrietatem vitandum adhibere vellet. Tantum abest ut severius egerit erga Gaudentium, quod mitius e contrario eum tractavit, jubendo ut tantum per duos menses ab ingrediendis vinariis tabernis abstineret. Prudenter quidem

egit, si pœnitens ante temporis præfixi finem ad ipsum esset rediturus, ne amariori medicina deterreretur. Sed quam difficillime hujusmodi bibuli emendationem consequuntur, quantumvis promittant! Ne desperet tamen Confessarius, et hujusmodi pœnitentes ad frequentiorem confessionem, in quantum fieri potest, adducere conetur.

CASUS XVII

DE EBRIETATE 3o

1° Romarinus, medicus, ægrotis instar remedii, seu ad humores pravos depellendos, vinum valde generosum aut certum liquorem potandum præbet, cum evidenti ebrietatis periculo, ut experientia ipsi constat.

2° Hyparcus, etiam medicus, quoties operationem aliquam artis suæ difficilem faciendam habet, v. gr., amputationem membri, ministrat patienti largum potum liquoris inebriantis, vel notabilem opii vel ætheris quantitatem, ita ut extra sensus omnino rapiatur, nullumque dolorem sentiat.

3° Albinus Blasium amentem, jocandi causa, largiori potu in ebrietatem inducit, nec putat se male agere, cum iste jam usu rationis careat.

Hinc :

Quær. 1° *An aliquando ebrietatem, ex causa gravi, aliis vel sibi procurare liceat, sive directe, sive indirecte?*

2° *Quid de* Romarino *in primo casu, et de* Hyparco *in secundo casu?*

3° *An peccet quis graviter, amentem inducens in ebrietatem?*

Solutio :

180. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Nunquam licet ebrietatem directe intendere et procurare, sive in se, sive in aliis, quia hoc est intrinsece malum, ut patet; at licet aliquando, ex gravissima ratione, illam procurare indirecte, vel potius permittere, ponendo causam indifferentem vel bonam, ex qua secuturus est effectus duplex, unus quidem malus, permissus, seu ebrietas, et alter bonus, unice intentus, v. gr., vita servanda. — *V. Comp., de Act. hum., n.* 9.

181. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Non peccat Romarinus, *in primo casu,* si remedium ab ipso adhibitum sit necessarium ad morbum depellendum. Sequitur ex dictis. Secus, si alia remedia efficacia habeat; quia jam deest ratio sufficiens ad causam effectus mali ponendam, nec proportio inter effectum bonum et effectum malum datur.

2° *In secundo casu,* quoad usum opii vel ætheris Hyparcus non est arguendus, quia hoc adhibet tantum ad sensus consopiendos; ideo, his mediis, non ebrietatem, sed somnum, seu gravem soporem inducit.

Peccat vero graviter Hyparcus juxta *S. Lig.* et alios communiter, liquorem inebriantem ægroto propinando, quia directe ebrietatem intendit ut medium ad operationem artis suæ peragendam, ita ut bonum non oriatur nisi ex malo : *non sunt autem unquam facienda mala ut eveniant bona.* — At, juxta quosdam, non peccat sic agendo Hyparcus, quia per hoc directe

non intenditur ebrietas : nam effectus *directe intentus* est sensuum sopor, et effectus *mere permissus* est privatio rationis; jam vero privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrinsece malum; et sicut adhibetur in tali casu opium et æther, ita etiam vinum adhiberi posset.

182. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Non peccat graviter, *per se,* ille qui amentem inducit ad excessivum potum, unde sequitur ebrietas, vel potius sequeretur, si amens non esset. Ratio est, quia fatuus, utpote jam usu rationis destitutus, nequit amplius se privare usu rationis, sicut cæcus non potest se privare potentia visiva : atqui, si fatuus non tenetur lege se non inebriandi, neque ille qui ei potum excessivum præbet contra hanc legem peccat. Dixi *per se,* quia si amens, post potum excessivum, soleat erumpere in blasphemias, et id sciat qui ad bibendum eum induxit, graviter hic peccabit contra legem naturalem; quia fatuus eam materialiter violat, cum ei in actu primo subjectus sit. — *V. Comp., de Leg., n.* 92. — *Elbel, n.* 769.

CASUS XVIII

DE EBRIETATE 4^o

Capientes bifariam capti.

Ugolinus, die quadam in domicilio aggressus a duobus latronibus armatis, tempore noctis, mortemque indeclinabilem prævidens, sponte offert invisis hospitibus non solum numerosam pecuniam, sed etiam largissimum vini maxime generosi potum, cum aliis eximiis et validissimis liquoribus. Bibunt impigri nebulones, et mox jacent penitus ebrii. Tunc Ugolinus, recuperata primum pecunia, advocatoque auxilio, latrones, ligatis manibus pedibusque, satellitibus tradit.

Hinc :

Quær. *An de gravi peccato damnandus sit* Ugolinus, *ex eo quod causam ebrietatis posuerit?*

Solutio :

183. — *Resp. Neg.* Etenim posuit causam indifferentem, vinum scilicet et liquores ante latrones apponendo, nec eos ad ebrietatem induxit, sed tantum eam permisit gravi de causa; et effectus bonus quem intendit, malum effectum bene compensat. Nec dicas Ugolinum non obtinere effectum bonum, seu vitam incolumem a latronibus servare, nisi per malum effectum, seu per ebrietatem : nam primum his intendit nebulones illos sedare et compescere, et eorum furorem in vino exstinguere. Præterea, ipse ponit occasionem ebrietatis, non vero causam necessario effectum producentem, siquidem latrones bibere possunt quin inebrientur; neque ad bibendum eos cogit, sed libere bibunt. Ergo Ugolinus homines non induxit ad ebrietatem, sed tantum ad bibendum. Ergo ebrietatem non excitavit, sed tantum permisit. — *S. Lig. n.* 77, ubi ostendit etiam esse licitum inducere alium ad minus malum ut a majori impediatur. — *V. Comp. n.* 183.

CASUS

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS OPPOSITIS

SEU

De Fide, Spe et Caritate erga Deum et proximum; de operibus misericordiæ, seu de eleemosyna et correctione fraterna; de scandalo, de choreis et spectaculis; de cooperatione.

CASUS I

DE SCIENDIS ET CREDENDIS

Simplicius, homo rudis, dum apud Macarium Parochum confitetur, de necessario sciendis et credendis interrogatus, valde ignarus reperitur: nescit enim Fidei Symbolum recitare, nec rationem reddere de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, etc. Confessarius autem indignabundus pœnitentem objurgat et increpat, velut hominem salutis suæ nimis incuriosum, et, denegata absolutione, eum dimittit, usquedum ea quæ ad salutem sunt scitu necessaria sciverit.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam ut scitu necessaria habeantur ?*

2° *An possint absolvi ignorantes Symbolum, mandata Decalogi, mysteria Trinitatis vel Incarnationis Domini, vel hæc quidem scientes, sed nihil intelligentes?*

3° *Quid de agendi ratione* Macarii?

Solutio :

184. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Quoad necessario credenda, scire oportet imprimis ea quorum cognitio et fides sunt de necessitate medii ad salutem, scilicet Deum unum et remuneratorem, seu finem ultimum; deinde mysterium SS. Trinitatis, mysterium Incarnationis D. N. J. C. Hæc duo mysteria sunt quidem scitu necessaria, saltem de *necessitate præcepti;* controvertitur autem utrum hæc scire oporteat absolute de *necessitate medii.* Difficultas hæc est fere speculativa, cum in praxi illa cognitio omnino requiratur, saltem ex præcepto gravissimo. Insuper scire quivis debet præcipua Fidei capita, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, saltem quoad substantiam, licet necesse non sit absolute ut memoriter eorum formula teneatur, neque ratio de singulis explicite reddatur. — *V. Comp., n.* 194 *et seq.*

2° Quoad regulam vitæ, scire opus est præcepta Decalogi et Ecclesiæ præcipua Sacramenta, seu Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ,

et cætera quando suscipienda sunt. Adde Orationem Dominicam, saltem quoad substantiam. — *V. Comp. n.* 201.

185. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Quoad mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, absolvi non possunt qui hæc ignorant : quare absolutio iis impertita, est certo illicita extra necessitatis casum, v. gr., periculum mortis ; quia Confessarius, talem absolvens, Sacramentum periculo nullitatis exponeret, ut patet ex controversia in Quæsito 1° exposita. An autem valida? controvertitur. Probabilius affirmandum videtur. — *V. Comp. n.* 193, 196.

2° Quod ad reliqua spectat, non est absolute necessarium ut pœnitens ea sciat hic et nunc, modo habeat voluntatem illa addiscendi, et doleat de sua negligentia, si fuit culpabilis. Si tamen dilatio absolutionis requiri videatur, ut pœnitens ad scitu necessaria addiscenda inducatur, medium illud adhibendum erit.

186. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Macarius, Confessarius, magis est increpandus et objurgandus, quippe qui Simplicium seu hominem rudem adeo dure a se repellit, et sic a Sacramentis deterret. Debebat enim vel illum instruere, si posset, vel procurare media ut per alium instrueretur, vel saltem blande ad paucos dies remittere, enixe rogando ut quamprimum reverteretur. Si vero timeat ne non redeat, vel ne cum eadem ignorantia iterum accedat, ut sæpius conjicere fas est, eum instruere et ad absolutionem disponere debet. Tunc autem non erit necesse ut pœnitens memoriter omnia credenda sciat, sed satis est ut illa sciat quoad substantiam. Proponat igitur illi Confessarius præcipuos Fidei articulos, et de singulis cum eo actum Fidei eliciat, et postea eum adhortetur ut deinceps eadem melius addiscere velit, et tandem ei absolutionem impertiat. Facilius quidem est pœnitentem absque absolutione dimittere, velut indispositum ; sed cave, o Macari, ne damnes facile salvandum ! Cave ne hæc ovicula Christi a lupo infernali tibi eripiatur !

CASUS II

ACTUS FIDEI, ET PRAXIS CONFESSARII

1° Blandina, pia mulier, audivit a concionatore eliciendos esse frequenter actus Fidei, sicut et cæterarum virtutum theologicarum, quapropter vehementer timet ne huic præcepto non satisfecerit, et ita graviter deliquerit. Quærit igitur quoties hujusmodi actus sint eliciendi?

2° Sylvinus, Confessarius, non solet interrogare pœnitentes an actus Fidei interdum eliciant, vel an necessario scienda et credenda sufficienter intelligant ac retineant, etiamsi occurrant pœnitentes a multis annis de salute et Sacramentis incuriosi. Sic agit præcipue erga matronas et viros conspicuos, quos interrogare non audet.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam actus Fidei sint eliciendi?*
2° *Quid de* Blandina *sentiendum?*
3° *Quid de ratione agendi* Sylvini *Confessarii?*

Solutio :

187. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Actus Fidei sunt in vita frequenter eliciendi, quia homo, ad finem supernaturalem elevatus, ad Deum tendere debet, tanquam finem suum ultimum, et media supernaturalia apprehendere, quatenus per Fidem sunt nobis manifestata. Quoties autem actus Fidei eliciendi sint, non conveniunt Theologi. Juxta plures, eliciendi sunt semel in mense, et idem dicunt de actibus Spei et Caritatis; sed multi ad duos, tres aut etiam sex menses, imo quidam ad annum tempus illud protrahunt. Cæterum, sufficienter huic præcepto satisfit, alios Religionis actus exercendo.

188. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Blandina, cum sit devota mulier, non debet esse anxia circa obligationem actus Fidei eliciendi, quippe quæ frequentissime Fide erigitur in vita devota sectanda. Pacem igitur habeat, et oret pro aliis bene multis qui, terrenis rebus irretiti, rarius ad superna per Fidem eriguntur.

189. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Confessarius non tenetur specialiter interrogare circa actus Fidei pœnitentes; præsumuntur enim sufficienter præcepto divino satisfacere, nisi gravis ratio specialis oppositum suadeat. Nec tenetur interrogare de scientia necessaria eos qui videntur sufficienter instructi, ut sunt plerumque ii qui non raro confitentur. Quoad cæteros vero, id optime monet *Lugo* : cum adeo hæc obligatio, quoad tempus quo urget, incerta sit, et cum hac ipsa de causa, partim non cognoscatur, et partim omissio, si unquam adesset, non advertatur, hinc fit ut neque in pœnitentibus de hoc confitendi, neque in Confessariis de hoc interrogandi mos habeatur.

CASUS III

MULIER HÆRETICA IN MORTE ABSOLUTA

Elpidia, mulier hæretica, incidit in morbum lethalem. Vir ejus catholicus tendit ocius ad Parochum, enixe ab eo petens ut dignetur uxorem suam invisere, eamque ad mortem christianam disponere, ita tamen ut de Purgatorio, de Indulgentiis et de confessione sacramentali, omnino præscindat, ex eo quod in his nulla spes successus detur. Obtemperat Parochus, et illico sponsum secutus, invenit Elpidiam cum morte luctantem; elicit cum ea actum Fidei in Deum unum et trinum, in Christum, et præcipua quæ vera Fides credenda proponit. Eamdem ad dolorem universalem de peccatis disponit, et tandem sub conditione absolvit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Elpidia *absolvi potuerit, saltem conditionate; seu, an Parochus recte egerit?*

2° *An hæc mulier, taliter absoluta, sepeliri potuerit in loco sacro?*

Solutio :

190. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Sic respondet *Elbel* ad hunc casum quem proponit : Omnino bene et laudabiliter egit Parochus, quia conatus fuit,

modo meliori quo in his circumstantiis fieri poterat, procurare animæ hujus salutem. Sed magna hic urget difficultas : ubinam est confessio? Quomodo potest etiam præsumi? Si Elpidia sensibus destituta reperiretur, utique posset præsumi quod, ratione gaudens, vellet ad veram Fidem converti et per suspiria confiteri. Attamen id videtur admittendum quod dicit *Lacroix* in tali casu : Potest Sacerdos, ait, propositis præcipuis Fidei articulis qui ab hæreticis admittuntur, moribundum interrogare an, si sciret se non esse in vera Fide, vellet veram amplecti, et facere omnia ad salutem necessaria; an vellet confiteri et absolvi, si hoc ad salutem esset necessarium. Si ad hæc annuat, absolvi poterit sub conditione. — *Lacroix*, *l.* VI, *p.* 2, *n.* 1866, post *Gobat* et alios.

191. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.*, modo scandalum abfuerit. Ratio est, quia supponitur Elpidia dedisse signa pœnitentiæ in articulo mortis, et probabiliter valide absoluta fuit, tum a peccatis, tum a censuris. Nec obstat quod dubium aliquod esse possit, utrum mulier etiam formaliter hæretica fuerit; quia, stante dubio, in benigniorem partem inclinandum est. — *Elbel*, *n.* 36. — *Lacroix*, *l.* VII, *n.* 263.

CASUS IV

DE PROFESSIONE FIDEI 1°

1° Mathurinus, Sacerdos et Religiosus, in locis hæreticorum Missionarius, fervente persecutione, deprehenditur, atque ad tribunal traductus interrogatur : an sit catholicus? an Sacerdos? an Religiosus? an Missam in hac regione celebraverit? an noverit constitutiones regionis, quibus professio Religionis catholicæ prohibetur? — Ad primum *affirmative* respondet Mathurinus; ad cætera vero, *negative*, et sic obtinet ut dimittatur.

2° Lucianus vero, in iisdem rerum adjunctis, interrogatus an sit papista, vel cujus sit religionis, aliis respondet æquivoce, aliis vero ait : *Non sum papista, mea religio est evangelica seu vera religio.* Interroganti vero alicui privato respondet : *Quid ad te?* vel alia similia.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam sit obligatio Fidem exterius profitendi?*

2° *An* Mathurinus *fuerit obligatus, sub gravi, ad fatendum se esse catholicum, et utrum potuerit cætera negare, vel dissimulare?*

3° *An* Lucianus *potuerit negare se esse papistam, et dicere se pertinere ad evangelicam religionem?*

4° *An liceat Fidem dissimulare, vel responsum denegare privatis interrogantibus?*

Solutio :

192. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Datur obligatio sub gravi, de jure naturali, Fidem confitendi, quando honor Deo debitus, vel utilitas proximi secus cessaret, aut detrimentum notabile pateretur : v. gr., si sequeretur Religionis contemptus, fidelium perversio aut scandalum, etc. — *V. Comp. n.* 189.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° Mathurinus non tantum laudabiliter egit, sed etiam, sub gravi, debuit fateri se esse catholicum, quia tenemur profiteri Fidem quoties id exigit gloria Dei et Christi; atqui, in his circumstantiis, ex negatione vel dissimulatione Mathurini, honor Dei et Christi periclitatus fuisset, quia utrique magnus honor fuisset ademptus, ut patet. Ergo... Constat insuper ex propositione 18ª damnata ab *Innoc. XI.*

2° Non peccavit contra Fidem Mathurinus, cætera negando, quia non spectant directe et essentialiter ad Fidem, cum sint multi boni catholici qui non sunt Sacerdotes, neque Religiosi, etc. Hæc igitur quæ negavit sunt quid accessorium, et per accidens tantum se habent ad veram Fidem. Præterea, jam Fidem confessus est, se fatendo catholicum; ergo, nisi hoc retractet, Fidem negare minime censetur. Insuper, mens interrogantium est, non amplius inquirendi de Fide catholica, cum ipsi ab eo veritatem noverint, sed tantum accidentales criminis qualitates dignoscendi. Ergo Mathurinus, cum licita restrictione mentali, cætera hæc negare potuit.

193. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Lucianus non potuit neque negare se esse papistam, neque æquivoce respondere, quia hæc interrogatio æquivalet huic : an sit catholicus? Quemadmodum igitur nunquam licet negare se esse catholicum, ita non licet negare se esse papistam. Neque magis licet effugium verbis æquivocis quærere, quia in his circumstantiis urget obligatio veram Fidem profitendi. — *Elbel, n.* 61. — *Tambur.*, etc. — Non est autem semper verum quod interrogatus, etiam a potestate publica, teneatur positive Fidem confiteri; nam id solum requiritur quando quis interrogatur in odium Fidei, vel quando necessarium est, ne præsentibus videatur Fidem negasse. — *S. Lig. referens Busemb., n.* 13.

194. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Distinguendum est : *Neg.* si interrogatio fiat in odium Fidei; secus vero in circumstantiis in quibus nullum præsentibus creatur scandalum, seu nulla apparet Fidei negatio, quia tunc nulla est obligatio Fidem confitendi, et verbis æquivocis uti aut tacere licet. — *S. Lig. n.* 13. — *V. Comp. n.* 190.

CASUS V

DE PROFESSIONE FIDEI 2°

Edmundus, apud infideles Missionarius, sæviente adversus christianos persecutione, fidelibus permittit, ad insidias persecutorum vitandas, ut nomina, quæ inter infideles communia habentur, usurpent, et etiam ut vestes nationis proprias adhibeant, licet, nova lege Principis, in signum falsæ religionis declarativum determinatæ sint. Ipse vero, ne detegatur, iisdem vestibus induitur, quibus ministri falsi cultus utuntur.

Hinc :

Quær. 1° *An liceat, ad persecutionem vitandam, uti signis aut vestibus hæreticorum?*

2° *An Missionarius, ad se occultandum, indui possit vestibus ministrorum falsæ religionis, ita ut unus ex ipsis appareat?*

Solutio :

195. — *Resp. ad 1um Quæs. Affirm.* si vestes et signa sint propria regionis, licet tota regio sit infidelis; imo, affirmo etiam, probabilius, licet hæc sint propria religionis, dummodo instituta non sint exclusive ad sectam profitendam, ut sunt ornementa quibus Sacerdotes utuntur in functionum suarum exercitio. — *V. Comp. n.* 191.

196. — *Resp. ad 2um Quæs. Affirm.* etiam in sensu distinctionis modo datæ. Vestes enim primario ad corpus tegendum inserviunt; et proinde non sunt tantum signa declarativa sectæ alicujus. — *S. Lig. n.* 15.

CASUS VI

DE PROFESSIONE FIDEI 3o

Paternus, minister protestans, dum extremo occumberet, ratus Religionem catholicam esse solam veram, postulavit ut ad se advocaretur secreto Sacerdos hujus religionis, qui tamen sub vestibus secularibus adveniret, ad declinandam omnem suspicionem abjurandæ hæreseos. Itaque Sacerdoti præsenti aperuit mentem suam, petens humiliter baptizari, sed cum duabus appositis conditionibus, scilicet : 1o ut si ex morbo decumberet, sibi liceret moriendo dissimulare Fidem catholicam et Baptismum susceptum; 2o ut si convalesceret, sibi permitteretur exspectare occasionem opportuniorem ad Fidem, sine periculo bonorum, exterius profitendam? Utrique conditioni libenter annuit Confessarius.

Hinc :

Quær. 1o *An* Paterno *permitti potuit prima conditio, seu ut moriendo Fidem dissimularet?*

2o *An concedi potuit secunda conditio, seu, ut, si convalesceret, occasionem opportuniorem exspectaret ad catholicam Fidem profitendam?*

Solutio :

197. — *Resp. ad 1um Quæs.* Minime concedi potuit Paterno prima conditio : ratio est, quia tenebatur ante mortem Fidem veram profiteri, erroresque quos docuerat revocare; secus, velut indispositus, ad Baptismi gratiam admitti non potuit : quivis enim fidelium tenetur Fidem profiteri, non obstante quacumque jactura, quando id exigit honor Dei et salus proximi; atqui, in iis circumstantiis, tum honor Dei, tum salus proximi externam Fidei professionem a Paterno exigebat, scilicet ad errores quos docuerat extirpandos : ergo... Si tamen, omnibus adhibitis experimentis, persuaderi nequeat, ultimi remedii loco, inducendus esset ut coram pluribus testibus protestetur se Religionem catholicam profiteri et in ea velle mori; vel asserat se magni momenti secretum Sacerdoti catholico commisisse, post obitum suum revelandum. Hoc enim modo, obligationi suæ forsan satisfaciet. A fortiori id peragi posset, si Paternus non minister, sed simplex hæreticus esset. — *Elbel, n.* 67. — Prudenter vero aget Confessa-

rius, si non statim totam obligationem manifestet, sed leviorem prius declaret, ut, ea admissa, pœnitens ad majorem deduci queat.

198. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Conditio altera Paterno concedi potuit, urgente gravi ratione, quia licet veram Fidem ad tempus dissimulare, ob maxima incommoda quæ ex professione publica sequerentur. Nullatenus tamen ei permittendum fuit ut exerceret actus hæresis declarativos, v. gr., exercendo officium pastoris hæretici, vel Sacramenta more hæreticorum ministrando, eosve sermonibus adhortando; quia in nullo casu fas est falsam sectam profiteri, et veram Religionem negare. *Elbel, n.* 67. — *Tamburinus, l.* 2, *Decalog., c.* 1, § 3.

CASUS VII

COMMUNICATIO CUM HÆRETICIS

1° Leonardus, in locis hæreticorum degens, aliquoties, curiositatis causa, funera acatholicorum comitatur; eorum nuptiis, baptismo et cœnæ, ut merus spectator, assistit. Iter agens, impios hæreticorum sermones sæpius audivit, ab iis quidem abhorrens, sed tamen tacens.

2° Leocadia, Monialis, addicta hospitio, in quo recipiuntur infirmi non solum catholici, sed etiam hæretici, rogatur a Quirino, protestante, graviter decumbente, ut suæ sectæ ministrum accersat, a quo religionis auxilia recipiat. Nescit autem Leocadia an ei obtemperare possit?

Hinc :

Quær. 1° *An liceat, vel quando liceat communicare cum hæreticis?*
2° *An liceat eorum templa invisere, et eorum cæremoniis interesse?*
3° *Quid de* Leonardo *dicendum?*
4° *An* Leocadia *in secundo casu ministrum protestantem accersere possit?*

Solutio :

199. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Hæretici non sunt necessario vitandi, neque in civilibus, neque in Sacris, seu in Ecclesia et cæremoniis catholicorum, quibus forte interveniunt. Etenim, ex concessione *Martini V, soli vitandi sunt* ii qui proprio nomine excommunicantur. Sed hujusmodi excommunicati fere nunquam nostris temporibus cernuntur. 2° Hæretici non possunt speciatim invitari ad orationes publicas, seu ad cæremonias religiosas catholicorum. Etenim, si Ecclesia temperavit rigorem juris antiqui in favorem fidelium, voluit tantum tollere incommodum quod habebatur, quando hæretici et alii excommunicati vitandi erant, etiam templum vel oratorium descrendo, ubi comparebant; sed favere noluit communicationi cum eis in Sacris.

200. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Non est peccatum templa hæreticorum vel infidelium ex mera curiositate visitare, quia in hoc nihil est contra Fidem, nec id prohibetur. Sed non licet eorum cæremoniis proprie religiosis, seu quæ ad Fidem spectant, interesse, ita ut catholicus cæremoniæ veluti reli-

giosæ particeps fiat; quia esset cooperatio in re illicita. Constat etiam ex sequenti Decisione *S. Officii*, 10 Maii 1770 :

« Sanctissimus decrevit catholicis *regulariter non licere* hæreticorum « aut schismaticorum *concionibus, baptismis* et *matrimoniis* interesse; « *absolute autem non licere nec per se, nec per alios fungi officio patrini « in baptismis quæ hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur.* » Animadvertendum est, per illud *regulariter*, S. Officium innuere ne permitti quidem ejusmodi assistentiam, civilis tantum obsequii gratia, nisi adsit aliqua gravis causa.

201. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Leonardus non peccavit *per se* comitando, saltem extra eorum templa, funera hæreticorum, secluso præcepto particulari, quo id prohibeatur; quia hæc proprie ad Fidem non spectant, et reputantur obsequium mere civile. Secus dicendum de assistentia baptismo, cœnæ, etc., quia cæremoniæ illæ religiosæ sunt. Intellige tamen hoc sensu, si non ut merus spectator astiterit, sed veluti religiosæ cæremoniæ particeps, aut civilis obsequii gratia, sive gravi causa. — *V. Comp. n.* 192.

2° Leonardus non peccavit contra Fidem, sermones hæreticorum audiendo, et tacendo; quia nullum consensum iis præbuit. Sed potuit peccare contra obligationem de jure naturali defendendi Religionem, si respondere potuit. Cuilibet enim catholico incumbit obligatio defendendi Religionem contra hæreticos et impios homines. Verum, si successum non speraverit ex suis responsis, tacendo prudenter egit, modo cum hæreticis connivere non visus fuerit. Præterea sufficiens etiam tacendi ratio esset metus ne hæreticus pejor fiat, etsi confutari posset.

Imo Leonardus omnino tacere debuit *per se*, si fuerit indoctus, quia laici sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibentur a disputatione cum hæreticis et infidelibus, ex Decreto *Alexandri IV, in Sexto, l.* 5, *tit.* 2, *cap.* 2. Excipiunt vero Theologi, seu interpretes juris, casum necessitatis, in quo laicus sat doctus, deficiente Clerico capaci, Fidem a dicteriis hæretici vel increduli defendere potest. Tunc enim loqui tenetur ob proximi salutem et Fidei honorem. — *Ita Antoine, tom.* 2. — *Bouvier, de primo præc. Decalogi*, etc. Dicit etiam *Antoine, ibid.*, cum *Ferraris*, verbo *Fides*, 40, hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus hæretici cum catholicis miscentur.

202. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Neg.* Ratio patet; esset enim communicatio cum hæreticis in re ad Religionem pertinente, et cooperatio proprie dicta.

Constat etiam ex sequenti responsione *S. Congr. Inquisitionis*, die 15 Mart. 1848 :

« Beatissime Pater,

« D. N..... Sanctitati Vestræ humiliter exponit, quod in civitate M..... « existat hospitium cujus ipse Rector et Capellanus est, ac in quo infirmo- « rum curam gerunt Moniales dictæ M. N. Cum autem in hoc hospitio « subinde recipiantur acatholicæ religionis sectatores, ac iidem ministrum « hæreticum, a quo Religionis auxilia et solatia recipiant, identidem pe- « tant; quæritur utrum præfatis Monialibus falsæ religionis ministrum ad- « vocare licitum sit? Quæritur insuper utrum eadem danda sit solutio,

« ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit; utrum « scilicet tunc catholicus ministrum hæreticum advocare licite possit?

« *Feria* IV, die 15 Martii 1848.

« In Congregatione generali *S. Rom. et universalis Inquisitionis* habita « in conventu S. Mariæ supra Minervam coram *Emin. et Rever. S. R. E.* « *Cardinalibus* in tota republica christiana contra hæreticam pravitatem « *generalibus Inquisitoribus* a S. Sede Apostolica specialiter *deputatis*, au- « dita relatione suprascripti supplicis libelli, una cum voto DD. Consulto- « rum; iidem Emin. et Revend. Domini dixerunt : *Juxta exposita*, NON « LICERE; et addiderunt : *Passive se habeant.*

« † *Loco sigilli.*

« ANGELUS ARGENTI,

« *S. Rom. et univers. Inquisit. Secretarius.* »

(*Mélanges théologiques. Liège*, 1848, *tome* 2, *page* 86.)

CASUS VIII

DE SPE 1°

ARGYROPHILUS, divitiis et vitæ præsenti tam perdite addictus est, ut de nulla alia re cogitet, nisi de thesaurizando super terram. Millenis annis, imo perpetuo in terris degere exoptaret. Cum autem, ingruente morte, meliora cepisset consilia, in cœlestem patriam tandem respicit. Sed ecce! multitudine peccatorum terrefactus, judicium futurum adeo formidat, ut de misericordia divina consequenda jam desperet, et vix a Confessario erigi possit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An graviter peccaverit contra Spem* ARGYROPHILUS, *hisce terrenis desideriis?*

2° *An graviter etiam peccaverit contra nimio timore?*

Solutio :

203. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Etenim peccavit graviter ARGYROPHILUS contra virtutem Spei, quia res temporales constituit tanquam finem suum ultimum veramque beatitudinem, cum eas Deo ipsi anteponat, volens, ex inordinato creaturarum amore, Deo carere. — *Voit, n.* 38.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Iterum contra Spem graviter peccavit, si desperationis tentationi perfecte consensit, seu si deliberate omnino de salute desperavit. Secus, si desperatio imperfecta fuerit, vel si, non diffidens de misericordia divina, timeat ne peccata defectu contritionis non fuerint remissa, vel ne cadat in peccatum propter cognitam suam fragilitatem, modo timor non sit immoderatus. — *Voit, n.* 391.

CASUS IX

DE SPE 2°

MELANIA : 1° diuturno morbo afflicta, per plures annos sanitatis restitutione efflagitata, nec obtenta, animo concidit, et hanc gratiam postulare desinit, existimans Deum ejus preces exaudire nolle ; 2° alias, impellente tentatione, in peccatum incidit intra se cogitans : Peccatum confitebor, et Deus summe bonus veniam mihi concedet ; 3° recurrente autem eadem tentatione, denuo peccat dicens : Tam facile est declarare in confessione peccatum pluries commissum, quam semel patratum.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MELANIA *graviter peccaverit contra Spem cessando ab oratione, ob animi dejectionem, in primo casu?*

2° *An graviter contra Spem egerit peccando ob spem veniæ in secundo casu?*

3° *An etiam peccando denuo, quia tam facile accusatur peccatum iteratum, quam semel commissum?*

Solutio :

204. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Distinguendum est. MELANIA graviter peccavit contra Spem, si ideo cessavit orare, quia Deum immisericordem erga se judicavit, aut quia existimavit Deum, bonum aliis, sibi soli esse rigidum et austerum nimis, ita ut neque parcere, neque auxilia præstare velit. Si vero ex inordinata quadam tristitia animo concidat, sed judicet Deum, ex secreto sapientiæ vel justitiæ suæ judicio, nolle ipsi sanitatem restituere et propterea ab oratione cesset, non peccabit, ex eo quod orare omittat.

205. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* cum *S. Thom.*, qui, 2, 2, q. 21, *art.* 2 *ad* 3, ait : « Peccare sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi (seu non perseverandi in peccato) et pœnitendi, hoc non est præsumptionis ; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. » Hinc et *S. Lig., lib.* 2, *n.* 11, post *Sporer* et *Lacroix*, negat esse præsumptionis peccatum, si quis peccet ex passione, sperando concomitanter peccatum illud sibi remissum iri. Cæterum, etiam juxta severiores auctores tunc solum esset præsumptionis peccatum, quando divina misericordia esset motivum intrinsecum malæ voluntatis ; non item quando habeatur tantum actus spei distinctus, prævius, concomitans et consequens ; etsi actus ipse prævius removeat majorem timorem peccati, et sit per accidens occasio liberius peccandi, prout in MELANIÆ casu.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Non commisit peccatum præsumptionis, quia tantum mota est ad facilius peccandum ex minori difficultate confitendi. Ideo sufficit ut peccatum accuset in confessione, quin causam referat. — *V. Comp. n.* 214. — *Voit, n.* 393.

CASUS X

DE AMORE DEI 1°

COLUMBA, devota mulier, sic confitetur : O me miseram ! Non amo Deum. Nullam vim amoris divini in me experior, licet pluribus horis in die orationi vacem, centiesque Orationem Dominicam recitem, et Communionem fere quotidianam peragam. Timeo ne præcepto amandi Deum non satisfaciam, et ne in pessimo animæ statu constituar. O si scirem modum Deum amandi ! O felices illæ animæ quibus devotio, fervor spiritus, et divina Caritas insita sunt, quæque his affluunt et abundant ! Heu ! heu mihi ! aruit cor meum, et sicut testa arida est anima mea. Nescio quo me convertam. Pater ! miserere mei, et sanctam absolutionem mihi indignæ impertiri digneris.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quale sit præceptum amandi Deum, et quomodo ei satisfaciendum ?*

2° *Quandonam urgeat præceptum Caritatis erga Deum ?*

3° *Quid de* COLUMBA, *et an absolvi possit ?*

Solutio :

206. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Præceptum amandi Deum est summum omnium aliorum et excellentissimum, ac finis omnium aliorum præceptorum, seu legis, ut liquet ex ejus objecto, atque ex verbis Christi, *Matth.* 22, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum.* Et ex verbis Apostoli, *Rom.* 13, 10 : *Plenitudo legis dilectio.* Hinc concludebat S. Augustinus : *Ama, et fac quod vis ;* id est, adimpleto præcepto Caritatis non dabitur peccandi periculum.

207. — Objectum *materiale* Caritatis primarium est solus Deus, quia Deus dignissimus est ut ad illum propter se et ultimo omnia referantur, et in ipso est primaria ratio movens amoris. Secundarium autem, nos et proximus, quia per Caritatem nobis et proximo volumus bonum propter Dei bonitatem, ut nempe Dei æstimatio et gloria augeatur.

Objectum *formale*, seu movens amandi Deum, est bonitas Dei infinita, seu infinitæ ejus perfectiones. Ratio est, quia propterea Deus amandus est super omnia.

Hinc patet quomodo præceptum Caritatis erga Deum adimplendum sit : etenim, quatenus *negativum* est, præcipit ne quid contra Deum fiat ; quatenus vero *positivum* est, jubet Deum super omnia propter ipsum diligere.

208. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Omnes quidem asserunt urgere præceptum actus amoris Dei eliciendi interdum, sed de tempore obligationis absolute determinando non conveniunt. *S. Lig.* probat opinionem *Cardenæ*, cui videtur actum Caritatis semel in mense eliciendum esse ; multi tamen aliter sentiunt. — *V. n.* 187.

Resp. ad 3^um *Quæs.* Non est dubium quin COLUMBA plene præcepto Caritatis satisfecerit; nam, cum sit devota mulier, satagit adamussim adimplere omnia officia fidelibus imposita, et proinde, implicite saltem, sæpius actus amoris elicere debet. Non potest autem absolvi propter defectum materiæ clavibus expositæ. Igitur, si absolutione donari velit, aliquam materiam, saltem vitæ præteritæ, foro sacramentali subjiciat.

CASUS XI

DE AMORE DEI 2°

CHRISTIANUS, quamquam vehementer abhorreat a peccato mortali, sæpe tamen leviter Deum offendit. Elicit equidem interdum actum Caritatis, verum non amat Deum propter ipsum solum, sed etiam intuitu divinæ mercedis, seu æternæ gloriæ. Admonetur autem a Confessario, se non adimplere obligationem amandi Deum ex toto corde; quia ad hoc non tantum vitanda sunt omnia venialia, sed actus dilectionis debet esse talis, ut Deus ametur propter ipsum solum, et proinde homo nullatenus motivo pœnæ vitandæ, neque præmii consequendi, moveatur. Hoc audito, CHRISTIANUS existimat præceptum amandi Deum perfecte, esse sibi impossibile.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quotuplex amor distinguatur? et qualis ad præceptum implendum requiratur?*

2° *An amor Dei excludere debeat omne peccatum veniale?*

3° *Quomodo eliciendus sit actus amoris Dei?*

4° *Quid ad casum?*

Solutio :

209. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Triplex amor distinguitur, videlicet: 1° amor *benevolentiæ*, qui intendit bonum proprium amati solius; 2° amor *concupiscentiæ*, qui intendit bonum amantis; 3° amor *amicitiæ*, qui est amor benevolentiæ mutuus, et post se trahit mutuam bonorum communicationem. Datur etiam amor mixtus seu *benevolentiæ*, simul et *concupiscentiæ*, prout amans bonum amati et suum proprium respicit.

2° Actus Caritatis qui præcipitur consistit in amore *benevolentiæ*; seu in illo amore quo Deus super omnia diligitur *propter se*, seu ratione infinitæ suæ bonitatis et perfectionis. Sed actus Caritatis *per se* non excludit *amorem concupiscentiæ*, imo hic transit in actum perfectæ Caritatis, si Deum sibi utpote summe bonum optet; in hoc enim actu habetur summa Dei appretiatio. Igitur amor concupiscentiæ jungi potest cum amore benevolentiæ, et amor benevolentiæ concupiscentiam ordinare ad bonum Dei.

Nec tamen actus Caritatis necessario includit amorem concupiscentiæ, sed, ut videtur, potest ab illo præscindere, ut in affectu S. Xaverii : *O Deus! ego amo te! Nec ego amo te, ut salves me...* Ratio est, quia amor conformari potest cognitioni; cognitio autem potest Deum hic et nunc repræsentare præcise, ut omni amore dignissimum, præscindendo a bono amantis. — *Reuter, n.* 80.

210. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Amor Dei non debet necessario excludere omnia peccata venialia, decurrente vita; secus enim quis unquam Deum in terris amare posset, si pauci Sancti admodum privilegiati excipiantur? Imo frequentia venialium non obstat quominus præceptum Caritatis absolute possimus adimplere, quia Deus vere diligi potest super omnia, per cæteros actus non peccaminosos. Etenim præceptum Caritatis in hoc nihil aliud exigit, quam ut Deum diligamus *appretiative* super omnia propter se; utque omnia generatim referamus ad Deum, parati, ex amore benevolo ejus, omnibus potius carere quam ab illo recedere, et potius mori quam ab illo separari. — *Reuter, n.* 91.

211. — *Resp. ad 3^um Quæs.* Actus amoris Dei hoc vel simili modo eliciendus est: *Amo te, Deus meus, ex toto corde, super omnia; quia infinite bonus es et amabilis, et propter infinitas perfectiones tuas summo amore dignus es.* Porro amare Deum est ipsi velle ex animo omnia bona tum intrinseca, ut sunt divinæ perfectiones, tum extrinseca, ut sunt ea quæ ipsi a creaturis proveniunt.

212. — *Resp. ad 4^um Quæs.* Christianus elicuit verum Caritatis actum, licet intuitu mercedis egerit. — *S. Lig. n.* 24.

Falsum est enim requiri amorem adeo purum, ut omnis amor concupiscentiæ seu spei excludatur. Nec obstat quod Christianus non raro venialiter peccaverit, ut patet ex dictis. Quantum igitur erraverit Confessarius nemo non videt.

CASUS XII

DE CARITATE ERGA PROXIMUM

Amor maternus et conjugalis.

Calpurnia, numerosæ prolis mater, exoptat ut filiolus recens natus, et alius quinquennis surdus et mutus, et tertius novennis utroque pede claudus, morte corripiantur, ut vita meliori in cœlesti patria fruantur. Item votum facit, ut filia nubilis, sed innupta ob nimiam paupertatem et deformitatem, excedat e vivis, ne periculis peccandi obnoxia remaneat, item ut maritus, sordidus senex, querulus et infirmus, in pace quiescat. Alias, modo iræ, modo pietatis impetu, totam progeniem diabolo vicissim vel Deo devovet, et de medio tolli exoptat. Cum, ecce! ipsamet inexspectato morbo corripitur: interea Calpurnius, maritus, cito cucurrit ad monasterium vicinum, petiitque ut, sine mora, preces pro morte uxoris suæ funderentur.

Hinc:

Quær. 1° *An, vel quomodo peccaverit* Calpurnia *in præfatis casibus?* 2° *Quid de ejus marito dicendum?*

Solutio:

213. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Non peccavit Calpurnia in prioribus votis, scilicet quoad filium recens natum, filium quinquennem et novennem, neque quoad filiam, quia non ducitur fine inordinato, et id quod melius est

filiis exoptat. Quare caritatis ordinem minime læsit, neque contra virtutem pietatis ullatenus egit.

2° Peccavit graviter contra caritatem et pietatem, mortem mariti, licet senis, queruli et sordidi, desiderando, quia ex perverso fine cupivit ejus mortem, scilicet ex tædio, impatientia, vel odio in maritum, etc.

3° Peccavit graviter, filiis imprecando eosque diabolo donando, nisi ex iræ impetu, absque advertentia, egerit, vel etiam, ut sæpe fieri solet non serio imprecationes protulerit. Attamen, cum imprecationes ejusmodi ex ira prolatæ a filiis audiantur, valde difficile est grave scandalum abesse. Non peccavit autem, exoptando ut familiam totam Deus accipere et inter cœlites collocare dignetur, modo motivo Fidei et pietatis tantum ducta fuerit.

214. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Graviter et gravissime peccavit maritus contra caritatem et pietatem, ut liquido apertum est.

CASUS XIII

ORDO CARITATIS

Marina variis laborat anxietatibus circa ordinem caritatis, quia magis diligit matrem piam et benevolam, quam patrem impium et querulum; plus aliquam sociam valde amicam, quam sororem morosam et parum tractabilem; plus propendet ad benefaciendum pauperibus religiosis, quam fratri ludo et libidini dedito.

Hinc :

Quær. *An* Marina *peccaverit contra ordinem caritatis in casibus propositis ?*

Solutio :

215. — *Resp.* Marina ab omni scrupulo eximenda est, quia licet videatur caritatis ordinem invertere, reapse tamen contra caritatem non peccat. Possunt enim dari rationes respective graves, quæ ab illo ordine exacte servando eximant, juxta communem Theologorum sententiam; atqui gravi de causa inducta fuit Marina ad ordinem ordinarium caritatis invertendum: ergo... — *V. Comp., n.* 221 *et seq.*

CASUS XIV

DE ODIO

Acharis, iracunda mulier, vivit in querelis perpetuis cum viro, filiis et vicinis, nec ullum verbum pacifice proferre unquam auditur. Imprimis: 1° impellente ira, mortem tum sibi, tum aliis frequenter exoptat; 2° recusat prior alloqui Martham, vicinam, quacum rixam habuit, ex eo quod illa prior injuriam intulerit, et insuper ætate et conditione inferior sit; 3° si Martha ei occurrat, eam neque salutat, neque mutuam salutem reddit, imo oculos in aliam partem convertit, et si ejus occursum prævideat, aliam viam

arripit, ne, ait, novarum querelarum occasio præbeatur; 4° si, quando pro salutari pœnitentia ipsi injungatur ut preces pro inimicis fundat, eam ut nimis laboriosam recusat; 5° morti propinqua, non vult admittere novercam, veniam de aliqua offensione rogantem, aiens: *Condono, sed nolo ut ante oculos meos compareat unquam.*

Hinc :

QUÆR. 1° *An graviter peccaverit in iis omnibus* ACHARIS?
2° *An moriens absolvi potuerit?*

Solutio :

216. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative* generatim loquendo.

In primo casu, a multiplici peccato mortali eximi nequit malevola ACHARIS, ut evidentissimum est.

In secundo casu, licet ACHARIS ad MARTHAM alloquendam adhortanda sit, quia, si ignis odii exardescat, fere inextinguibilis erit; attamen ad hoc non est valde urgenda, modo veræ sint excusationes, quas affert. Nulla enim ad id est obligatio ratione dilectionis inimicorum. — Ita *S. Thom.*, 3, *dist.* XXX, *q.* 1, *art.* 2, *ad* 5 : « Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est. » — Et *S. Antoninus :* « Si autem (inimicus seu offensor) non exhibet condignam satisfactionem, *non tenetur* offensus *ei loqui*, quando scilicet satisfacere aut omnino non vult, aut semiplene. » Posset quidem ad id ACHARIS teneri ob generalem obligationem proximi salutem procurandi, quatenus alloquendo MARTHAM, ad ejus resipiscentiam juvare posset; verumtamen si talis actus non levem pro ACHARI secum ferat difficultatem, caritas gravi cum incommodo non urget, præsertim quando proximus ex mera malitia in malo persistit, ut in casu; hinc, ex hac etiam ratione, poterit obligatio pro ACHARI tenuis esse, ideoque, ut dixi, non valde urgenda.

217. — *In tertio casu*, peccat mortaliter *per se*, si diutius ac sæpe, absque ulla sufficienti ratione, MARTHAM salutantem non resalutet, aut occurrentem semper fugiat : hæc enim *per se* odium grave significant. Leviter autem peccat, etsi ex odio simplicem salutationem omittat. Nam 1° salutem negare etiamsi debitam, velut inter conjunctos, *per se* veniale non excedit. 2° Salutatio non est commune, sed speciale caritatis signum, ideoque erga eos tantum adhibetur quibuscum speciale intercedit commercium; at si hoc habere commercium liberum sit, cur non liceat a peculiari amicitia et idcirco a salutatione erga aliquem abstinere? 3° Si quæ vero vindictæ species in hoc appareat, animadvertendum nihil vetare quominus in rebus quæ pœnam merentur, non ita tamen ut ad judicem deferantur, per se ipsum quis, etsi privata persona, alterius personam puniat.

In quarto casu, graviter peccat; excludere enim inimicos a communibus orationibus, est signum indubium odii gravis, juxta omnes. Quippe idem est ac eos velle excludere a cœlestium bonorum participatione. Non tamen tenemur pro quopiam inimico in particulari orare, juxta Doctores omnes cum *S. Thom.* qui, *de Virt.*, *q.* 2, *art.* 8, ait : « Non debentur (inimicis) nisi communia officia, et non excludere ab orationibus. » Excipe, nisi forte id ex

pœnitentia (quod cautissime, et solum cum personis perspecta ac firma virtute præditis usurpandum est) Confessarius jubeat.

In quinto casu, etiam graviter peccat, si condonatio sincera non sit; de quo dubitare licet, quando Acharis, etsi morti proxima, novercam veniam rogantem recusat admittere vel etiam conspicere. Si tamen sincera sit condonatio, in Achari odium erit non quidem inimicitiæ, sed abominationis, quod veniale per se non excedit, ut ait, cum aliis, *Kenrick, de Virtut. theol., disp.* XXIX, *n.* 60.

218. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si constet sinceram non esse condonationem Acharis absolvi nequit, etiam in mortis articulo, nec salutem æternam consequi potest, cum scriptum sit : *Dimitte, et dimittetur vobis.* Hæc est absoluta et rigorosa conditio ad veniam peccatorum obtinendam. Attamen, si videretur putare se satisfacere et odium abjicere, conditionate saltem absolvi posset.

CASUS XV

DE ELEEMOSYNA

Cleonicus, vir dives et immitis, pauperibus nullas eleemosynas largitur. Nec putat se graviter delinquere, quia novit Theologos non tantum circa præcepti gravitatem, sed etiam circa ejusdem materiam, seu eleemosynæ faciendæ quantitatem, minime concordare. Uxor vero ejusdem, pia mulier, de viri avaritia valde dolens, illo inscio, sat largas eleemosynas in pauperes, vel causas pias effundit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo præceptum eleemosynæ urgeat sub gravi ?*
2° *Quid de agendi ratione* Cleonici *et ejus uxoris ?*

Solutio :

219. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Præceptum eleemosynæ grave est ex genere suo, uti ex Scripturis colligitur. Quanquam vero gravis obligatio præsertim urgeat etiam de vitæ superfluis in extrema proximi necessitate, atque de statui superfluis in necessitate alterius gravi; attamen ne ille quidem culpa *per se* lethali *probabilius* caret, qui in communi pauperum necessitate nullas unquam de bonis statui superfluis eleemosynas erogaret. — *Ita communis sententia Theologorum.*

220. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Peccat sine dubio Cleonicus, ut patet ex dictis. Nec excusari potest ex hoc quod non conveniant Theologi in determinanda obligatione et quantitate eleemosynæ ad communem pauperum necessitatem sublevandam faciendæ. Quippe omnes obligationem aliquam profitentur; et qui mitiores habentur, ubi adsint vitæ et statui superflua, quæ tamen ingentia non sint, quinquagesimam redituum partem, ut præcepto satisfiat, in pauperes erogandam putant.

2° Non videtur culpanda Cleonici uxor, ex eo quod, inscio marito, eleemosynas fecerit : potest enim ejus obligationi supplere; ordinarias autem et moderatas eleemosynas facere, pro conditionis ratione, uxoribus

permittitur; a fortiori id et amplius facere potest uxor, si vir sit valde dives, et erga pauperes durissimus. Sit tamen prudens Confessarius in dandis hac de re consiliis, caveatque ne uxor in pari casu limites debitos prætergrediatur.

CASUS XVI

ELEEMOSYNA MALE ACQUISITA

Lucretia, astuta femina, licet egestate non laboret et bene valeat, se pauperrimam et infirmitatibus obrutam fingit. Huc et illuc vagatur, eleemosynas requirens, præsertim ab iis quibus omnino incognita est. Ut divites magis ad misericordiam inflectat, dictitare solet falso, se numerosa prole onerari, et hoc probat ostendendo puerulos non paucos, vestibus laceratis indutos, sed reapse alienos. Hac industria notabilem pecuniæ summam a quodam divite obtinuit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Lucretia *graviter peccaverit, et ad restitutionem teneatur?* 2° *Si restitutio facienda sit, an domino vel pauperibus?*

Solutio :

221. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Certo graviter peccavit Lucretia, atque ad restitutionem tenetur; quia, per fraudem copiosas eleemosynas obtinuit, et proinde injuste acquisivit. Erogantes enim eleemosynas, eas tantum conditionate concedunt, scilicet, supposita vera necessitate. Ergo, non verificata causa movente, donatio seu eleemosynæ elargitio est invalida. Ergo ficti pauperes peccant, et tenentur ad restitutionem. Ergo Lucretia restitutionis onus subire debet.

222. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Per se* restitutio videretur facienda domino, qui non intendit abjicere dominium rei suæ, nisi petens eleemosynam esset vere pauper. Attamen præsumi potest intentionem ejus esse in eo casu, ut alii pauperes proprie dicti subleventur. Inducenda est Lucretia ad restituendum occulte ipsi domino summam notabilem quam ab eo accepit, licet non videatur ad id absolute obliganda, modo eam sibi non retineat. Modicas autem eleemosynas veris pauperibus elargiatur, cum in praxi propriis dominis restitui nequeant. Imo dicunt plures eleemosynas omnino exiguas seu minimi momenti non esse necessario aliis erogandas, quia domini sunt minus inviti, præsertim si fictus pauper minime ex iis ditior evaserit. — *S. Lig., de Justitia, n.* 622. — *V. Comp., de Just., n.* 649.

CASUS XVII

CORRECTIO FRATERNA 1°

Gerinus, vir timoratæ conscientiæ, jugi laborat anxietate circa obligationem correctionis fraternæ. Zelo accensus *opportune et importune arguit, obsecrat et increpat* peccantes contra leges Dei vel Ecclesiæ, v. gr., blas-

phematores, laborantes die Dominica, turpia loquentes, et alios similis furfuris nebulones; sed infelici successu deterritus, a qualibet postea admonitione abstinet. Verum, mox scrupulis exagitatus, se peccati mortalis reum, et idcirco æterno barathro condemnatum existimat. Hinc de obligatione proximum corrigendi, frequenter interrogat, et semper anxius est.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sit obligatio correctionis fraternæ?*
2° *Quid de* Gerino *statuendum?*

Solutio :

223. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Obligatio correctionis fraternæ urget sub gravi, *per se,* ex lege naturali caritatis, qua ad mala proximi sublevanda tenemur. Constat etiam ex variis locis Scripturæ sacræ, præsertim ex *Matth.,* xviii, 15 : *Si peccaverit... frater tuus..., corripe eum...* Privati tamen inter se raro, sub gravi, ad proximi correctionem tenentur, et rarius erga superiores, quia plerumque fructus non speratur, vel non sunt idonei ad corripiendum, etc... Imo, non raro omnino ab illa obligatione excusantur, præsertim si sint pusillanimes, aut conscientiæ nimis timoratæ.

224. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Gerinus omnino male intellexit præceptum correctionis fraternæ. Indebite eam adhibuit, et ab ea facienda in posterum est eximendus, quia prorsus inhabilis videtur, ut agendi ratione adeo imprudenti probavit. Quorsum enim reprehendit promiscue incognitos quoscumque sibi obvios? numquid spe fundata emendationem obtinendi impellitur? Minime gentium; sed *importune arguit et obsecrat.* Abjiciat igitur Gerinus inanes curas, abjiciat anxietatem qua cruciatur; nequaquam ex hoc, æterno barathro damnandus erit.

CASUS XVIII

CORRECTIO FRATERNA 2°

Olympia, famula, advertit Bertinam filiam familias de nocte quemdam juvenem in proprium cubiculum admittere. Sedulo januam domus in posterum claudit ancilla. Bertina vero, hoc resciens, mirum in modum irata, Olympiam increpat, asserens se eam durissime tractaturam esse, si iterum januam obseret, vel si consortium nocturnum cuipiam mortalium manifestet. Hinc famula, timore correpta, silet et quiescit, maxime reformidans Bertinam, quæ, dominæ instar, domum gubernare videtur.

Hinc :

Quær. *An* Olympia, *tuta conscientia, silere potuerit?*

Solutio :

225. — *Resp. Affirm.* Tacere enim potest et se habere mere negative, si revera gravissimum incommodum subire debeat, quia caritas neminem

obligat ad peccata alterius impedienda, nisi id facere possit sine gravi suo detrimento, et insuper, in his circumstantiis, admonitio non prævidetur profutura. Nullatenus tamen potest modo positivo ad illa conventicula concurrere, v. gr., aperiendo januam, etc.

Dixi : *si revera gravissimum incommodum subire debeat;* quia tenetur Olympia malum illud impedire, si aliquo modo id possit, per alios, præsertim per parentes, quin complicibus innotescat se a famula proditos fuisse. — *V. Comp., n.* 230 *et seq.* — *Elbel, n.* 306.

CASUS XIX

DE SCANDALO 1o

Balbina novit se a Grifinio turpiter amari, et sui conspectum ab eo requiri. Nihilominus pergit ad Ecclesiam diebus festis, ad missam audiendam et Officia vespertina frequentanda, ad quæ ille impudicus juvenis est interventurus, nec abstinet a consueta deambulatione, recreationis causa, licet prævideat se ab eodem insequendam esse. Si ab illo transeunte verba minus casta audiat, subridet ne inurbana videatur, sed in his sibi non complacet, nec ullum verbum profert.

Hinc :

Quær. 1° *An mulier, ad vitandum viri scandalum, præcepta omittere debeat?*

2° *An, vel quomodo peccaverit* Balbina *in subjectis casibus ?*

Solutio :

226. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur,* an teneatur mulier omittere præcepta positiva, ad occasionem scandali vitandam. *Communius affirmant,* secluso gravi incommodo, quia, inquiunt, præceptum juris naturalis vitandi scandalum præcepto positivo præferri debet. Opposita tamen sententia sua probabilitate non caret, teste *S. Lig., n.* 51. Patroni primæ sententiæ obligationem ita limitant ut mulier ad id teneatur semel tantum aut iterum, si spes adsit ut scandalum deinde cesset; non vero multoties ob grave incommodum quod inde consequeretur.

227. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Absolute loquendo, Balbina non tenetur Sacrum omittere die festo, quia probabile est, ex dictis, eam eximi a tali obligatione. Si tamen occasio scandali semel tantum aut iterum contingat, suaderi ei poterit ut a Missa abstineat. 2° Quoad Officia vespertina eaque omnia quæ absolute sub præcepto non præscribuntur, tenetur, juxta quosdam, Balbina etiam sub gravi illa omittere, si facile possit; alii tamen probabilius hanc gravem obligationem negant; et certe ut perpetuo aut diu, vel sæpe ea omittat obliganda non est. 3° Quoad deambulationem, idem teneto, ac de Officiis non præceptis. 4° Peccat autem graviter Balbina subridendo dum verba impudica a Grifinio prolata audit, si hæc turpiloquia sint notabiliter obscena vel periculosa, licet in istis nullam capiat complacentiam, ratione scandali et cooperationis. Nec admittenda est excusatio Bal-

BINÆ, ex eo quod timeat ne velut inurbana videatur. Numquid quæstio urbanitatis movenda est, cum agitur de gravi scandalo vitando, et de peccato mortali effugiendo? Utinam a BALBINA huic nebuloni semper inurbana visa esset! Hic non eam toties fuisset insecutus. — *V. Comp. n.* 236.

CASUS XX

DE SCANDALO 2°

DAMIANUS domum suam locaverat CATHARINÆ viduæ, quam credebat esse honestam feminam, sed inaudiit eam a viris suspectis frequentari. Hac de re ut certior fieret, in angulo domus tempore nocturno se abdidit, et revera deprehendit sparsum rumorem fundamento non carere. Ast, ut magis veritatem assequeretur, ipse simulavit CATHARINAM inducere in peccatum, ad quod eam promptam ac paratam reperit. Tunc indignabundus illam severissime objurgavit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* DAMIANUS *potuerit* CATHARINAM *in domo sua tolerare absque scandali reatu?*

2° *An peccaverit graviter, eam ad peccandum, probationis causa, sollicitando, licet nullum animum peccandi habuerit?*

Solutio :

228. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° DAMIANUS potuit CATHARINAM in domo sua tolerare usque ad locationis terminum, quia bona fide domum suam locavit, neque locatariam absque gravi incommodo ejicere potest, cum illa jus habitandi ex contractu obtinuerit. 2° Elapso autem locationis termino, si constet CATHARINAM esse meretricem, et homines impudicos ad eam confluere, eam domo amovere tenetur quando graviter vicinis honestis noceat, aut locus ad procos alliciendos commodior sit. Si vero specialia hæc incommoda abessent, et DAMIANUS domum suam aliis locare non posset; insuper vero nec scandalum, ejecta CATHARINA, cessaret, quia aliam domum facile hæc reperiret, ad eam ejiciendam non teneretur. — *Elbel, n.* 375.

229. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Graviter peccavit DAMIANUS, saltem, seclusa bona fide, CATHARINAM ad peccatum ficte sollicitando. Ratio est, quia sollicitatio ad actum intrinsece malum, ex natura sua mala est. Nec excusandus est DAMIANUS ex eo quod animo peccandi caruerit : nam, exterius saltem, hanc intentionem ostendit, et mulierem, habitualiter male dispositam, ad actualem consensum in peccatum mortale incitavit; hoc autem culpa gravi vacare non potest. — *Elbel, n.* 377.

CASUS XXI

DE SCANDALO 3°

PHILOGINUS, famulum MARCUM de variis furtis suspectum habens, frustra ad rei veritatem assequendam, cæteros famulos interrogat. Licet isti furantem viderint, ut postea notum fuit, altum tamen silentium hac de re serva-

runt. Quid igitur Philoginus? Statuit nihil intentatum relinquere, ut Marcum in delicto deprehenderet. Hinc cœpit nullam famulo furandi occasionem præcludere. Subinde etiam, data opera, clavim in arca pecuniaria reliquit. Hisce artibus citissime famulum iniquum deprehendit, atque, nulla interposita mora, eum a propria domo expulit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Philoginus *famulo occasionem furandi permittere potuerit?*

2° *An etiam ei occasionem præbere?*

3° *An cæteri famuli graviter peccaverint, furta* Marci *non impediendo, aut non revelando?*

Solutio :

230. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia permittere non est inducere; porro bonum quod Philoginus inde percipere debet, causa sufficiens est peccatum famuli permittendi. Etenim, juxta *S. Thomam,* quamvis hominem inducere ad peccatum nefas sit, uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est.

231. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex sententia probabilis datur. *Alii negant,* quia ponere occasionem peccati idem est ac ad peccatum ipsum concurrere, seu positive ad illud concurrere. *Alii vero affirm.*, quia peccans non inducitur ad peccandum, sicut non inducitur usurarius, a quo, justa de causa, mutuum petitur : actus enim domini est indifferens et cum ratione sufficienti ponitur; famulus autem potest peccare, vel non peccare. Et licet prævideatur peccaturus, hoc hero imputari nequit, cum ex ratione gravi causam indifferentem ponat. — *S. Lig. n.* 58.

232. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Negative probabilius,* nisi res ipsis specialiter commissa fuerit, quia famuli non videntur conducti nisi ad laborem, et ad res domesticas contra extraneos custodiendas. Attamen a peccato contra caritatem non sunt excusandi, si damna a Marco illata facile impedire potuerint. — *S. Lig. n.* 344. — *V. Comp. n.* 691.

CASUS XXII

DE CHOREIS 1°

Juvenali, Confessario, tempore Paschali, confessiones multorum excipienti, occurrunt inter alios hæ pœnitentes :

1° Sylvia, materfamilias, quæ sinit, imo jubet filias in arte saltandi a magistro doceri, etiam cum diversi sexus juvenibus vicinis vel amicis.

2° Fulvia, puella, quæ pluries in anno, præsertim tempore bacchanalium, et die festivitatis patronalis, interfuit choreis, plerumque natura sua periculosis, ut sunt choreæ quæ dicuntur *valse, galop, polka;* imo a decem annis, non obstante repetita emendationis promissione, taliter egit.

3° Lælia, quæ frequenter saltat modo ordinario, nec promittit emendationem, dicens : *Nil mali in hoc capio; si capiant alii mea occasione, ipsi viderint.*

Omnibus autem præfatis pœnitentibus absolutionem denegat Juvenalis noster.

Hinc :

Quær. 1° *An choreæ omnes per se sint prohibitæ, vel quales prohibendæ?*

2° *An recte egerit Confessarius, vel quid fuisset agendum in singulis casibus?*

Solutio :

233. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Choreæ *per se* illicitæ non sunt, etiam inter personas diversi sexus, si modo honesto fiant, id est, secluso omni tactu ac gestu impudico; quia ratione rei sunt quid omnino indifferens, nec ulla lege prohibentur. — *S. Lig. n.* 425. — *V. Comp. n.* 242.

2° Quænam autem choreæ, ut illicitæ et periculosæ, ratione modi, prohibendæ sint, non facile in theoria statui potest. Quæstio enim intricatissima est, et plerumque a variis circumstantiis pendet. Sane omnino prohibendæ sunt eæ choreæ quæ, ratione nuditatum, vel modi libidinosi saltandi, valde periculosæ sunt. Quænam autem sunt istæ, ratione modi, prorsus prohibendæ? vix aut ne vix quidem definiri potest a viro theologo, qui res istiusmodi nonnisi ex aliorum relatione novit. Etenim, ut experientia constat, referentes, diversimode periculo affecti, de illis diversimode judicant. Quod enim aliis summe periculosum videtur, aliis tolerabile appareret, neque saltationes etiam ejusdem generis sunt ejusdem periculi pro omnibus. Itaque nec ipsi viri qui mundanis recreationibus prius vacarunt, et subinde statum clericalem amplexati sunt, hac de re semper conveniunt. Generatim ut periculosissimæ habentur choreæ quæ *valse* et *polka* dicuntur; sedulo proinde videntur interdicendæ. Attamen non desunt viri probi, qui has ipsas saltationes dicant modo non adeo indecoro fieri posse, licet communiter valde periculosæ sint. Plerumque igitur ea quæ ad choreas spectant, relativa sunt ad præsentes personarum et modorum circumstantias.

234. — 3° Generatim choreæ quælibet inter personas diversi sexus dissuadendæ sunt, quantum fieri potest, utpote plus minusve periculi habentes; præsertim iis in locis ubi earum consuetudo nondum invaluit. Verum imprimis ad periculum personale in praxi attendendum est. Magis igitur a choreis amovendi erunt, ii qui ad luxuriam magis proclives sunt. Non raro inveniuntur mulieres et puellæ quæ nullum aliud in choreis peccatum, nisi aliquos superbiæ motus, admittunt, vel etiam quæ nullo modo peccant. Satagendum sane maxime est ab animarum Pastoribus et Directoribus, ut quam maxime a choreis omnibus fideles amoveant; verum, si omnes de medio tollere vellent tempus et oleum perderent, necnon multos ab usu Sacramentorum retraherent : caute igitur in praxi procedendum est, et inter duo mala minus eligendum.

4° Confessarius ad hæc duo maxime attendere debet nempe ad periculum personale pœnitentis, ut illum cohibeat, atque ad rationes quas habere potest choreis assistendi, ut ipsi indulgeat, vel saltem non adeo rigide agat. Occurrunt enim non raro fideles qui, gravi de causa, vel morali necessitate, ad choreis interveniendum impelluntur.

Insuper, etiamsi nulla gravis ratio pœnitentem tuum premat, cave, o Confessarie, ne severius cum eo agendo, nihil proficias, imo et ipsi noceas. Obsecra igitur semper, non vero semper *increpa opportune et importune*. Quid tibi suadebit bonum spirituale pœnitentis, tu videbis. Non raro autem angustiæ circumdabunt te undique. — *V. Comp., n.* 243 *et seq.*

235. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu,* cum rigore loquendo, argui nequit Sylvia de peccato præsertim gravi, si media quæ suggerit prudentia adhibeat, v. gr., si *per se,* aut per aliam prudentem personam invigilet. Non potest enim impediri ne permittat, vel etiam jubeat, ut filiæ modum saltandi addiscant; sed ab instantibus periculis caveat!

In secundo casu. Si Fulvia in his choreis, quæ alioqui sunt valde periculosæ, aut semper aut plurimum graviter peccare soleat, cum hæ sint illi proxima peccandi occasio, absolvenda non est, utut emendationem promittat, nisi insuper ea præstet quæ ad removendam occasionem, aut certe ad tollendum in ipsa occasione periculum necessaria sunt.

In tertio casu. Adhortanda est quidem enixe Lælia, ut morem hunc choreis interveniendi abrumpat; sed non est de peccato gravi culpanda, neque absque absolutione dimittenda, cum in istis consortiis non peccet. An vero arguenda sit ratione cooperationis aliorum peccatis, non videtur; quia non actum malum, sed indifferentem ponit, nescitque utrum certo adsint qui sua occasione scandalum patiantur.

CASUS XXIII

DE CHOREIS 2°

1° Lucilla, prævidens se aliquatenus cogendam esse ad saltandum in nuptiis proximis sororis suæ, necnon in choreis privatis familiæ et amicorum, imo ducendam esse ad choreas publicas a proprio genitore, pergit ad Confessarium et ab eo quærit, utrum obtemperare possit?

2° Eulalia, viri conspicui uxor, cogi videtur, saltem ex quodam decore, ad saltandum in choreis, a marito in propriis ædibus ex more indictis (*d'après l'étiquette*), sed in quibus non semper regulæ honestatis servantur. Propterea angitur dubia, an, salva conscientia, iis choreis intervenire queat.

Hinc :

Quær. 1° *Quid* Lucillæ *respondendum?*
2° *Quid de* Eulalia *statuendum?*

Solutio :

236. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Laudanda Lucilla, quippe quæ conscientia timorata et prudentia christiana prædita est, cum periculum prævideat et *ad Videntem*, consilii petendi gratia, festinanter recurrat. Bonæ puellæ suadeo, ut industriam excogitet, cujus ope præfatas choreas effugiat; non tamen obligationem ei impono. Quod si, aliqua necessitate compulsa, iis interesse debeat, illud *S. F. Salesii* enixe ipsi commendo, nempe ut saltando *de morte et judicio divino recogitet.*

237. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Quod ad Eulaliam, res ardua est. Difficile enim videtur ut ab omnibus istis choreis absit, stante morali necessitate, qua urgetur et premitur. Ipsi igitur indulgendum esse videtur, nisi saltandi modus valde indecorus ei appareat. — *V. Comp., n.* 243 *et seq.*

CASUS XXIV

DE SPECTACULIS

In collatione theologica de casibus conscientiæ inter plures Sacerdotes habita, acriter fuit hinc et inde disputatum de spectaculis, utrum scilicet grave peccatum sit iis assistere. In varias opiniones, ut fieri solet, abierunt varii opinantes. Alii enim in severitatem propendentes contendebant, omnibus fidelibus esse severe prohibenda spectacula, tum ratione periculi, tum ratione scandali. Alii negabant, nisi constaret res in comœdia exhibendas bonis moribus adversari; quia spectacula sunt in se quid mere indifferens. Alii opinabantur periculum, si quod sit, esse relativum, et proinde Confessario attendendum esse utrum pœnitenti res periculosa sit, necne. Protracta autem ultra temporis consueti limites fervida disputatione, discesserunt disputantes, et singuli in locum suum abierunt, quin controversiam diremerint.

Hinc :

Quær. 1° *An spectacula licita sint, seclusis excludendis?*
2° *An ratione scandali omnibus prohibenda sint?*
3° *An comœdi seu histriones absolvi possint?*

Solutio :

238. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Spectacula *per se* non sunt mala, nec proinde illicita : etenim nulli legi sive naturali sive positivæ adversantur. Si igitur periculosa sint, illud fit quia res inhonestæ in eis repræsentantur, vel quia adsunt circumstantiæ quæ vitiis fomentum præbent. — *Ita communiter S. Lig. de* 6° *Præc., n.* 427. — *S. Thomas*, 2, *q.* 168, *art.* 3. — *V. Comp., n.* 246 *et seq.*

239. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Neg. per se*, quia scandalum abesse potest, v. gr., si constet quod in tali theatro generatim res indifferentes exhibeantur, ibique decentia vestitus et cantus servetur. Vix potest dari solutio generalis et explorata, si a variis circumstantiis præscindatur. Ratio tamen scandali plerumque valde perpendenda est, præsertim in parvis civitatibus, in quibus omnes a singulis cognoscuntur. Ordinarie facilius tolerari potest assistentia choreis, quam spectaculis; minus enim est scandalum, minusque periculum in prioribus quam in posterioribus, quia in his sensus magis commoventur et phantasia magis excitatur, quam in illis.

240. — *Resp. ad* 3^um *Quæs. Affirm.* cum *S. Thom.* 2. 2., *q.* 168, *art.* 3, *ad* 3, si non utantur illicitis verbis aut factis. Secus vero, si parati sint ad res quascumque, etiam turpes, aut alias quavis ratione illicitas repræsentandas.

CASUS XXV

DE COOPERATIONE

Quirinus, cujusdam divitis ac potentis viri famulus, sæpe dominum ad amasiam, et hanc ad eum, curru adducit; litteras quandoque ex jussu domini ad eamdem defert, suspicans eas amatorias esse, et quandoque id pro certo habens. Jussus a Confessario ut a famulatu hujus domini discederet, obtemperare non vult, quia, ait, difficillime alium dominum invenire posset, ideoque ad egestatem facile redigeretur. Interea vero, quadam nocte a domino jubetur ut scalam domui alicujus vicini apponat et ipsum adjuvet, ut per fenestram ascendere possit. Novit Quirinus herum suum velle puellam seducere, ideoque optemperare noluit; ast herum cernens ira incandescentem, et districto gladio, mortem certam minitantem, rem præceptam peragere festinat.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo tibi liceat peccato proximi cooperari?*
2° *Quid de singulis casibus, et quid de sententia Confessarii sentiendum?*
3° *Quid famulo præscribendum?*

Solutio :

241. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Nunquam licet peccato alterius *formaliter* cooperari, scilicet aut ad malam voluntatem concurrendo, aut ponendo actum intrinsece malum, etiam ob finem bonum, vel malum ipsum quovismodo intendere. Talis enim cooperatio evidenter est participatio ad alterius peccatum, seu vera causa moralis peccati.

2° Licet vero tibi quandoque *materialiter* cooperari actioni peccaminosæ proximi, dummodo actio tua sit bona vel indifferens, adsitque tibi causa agendi justa et proportionata ad peccati alterius gravitatem, et concursus præstiti proximitatem : tunc enim actionem indifferentem præstas, seclusa omni prava intentione. Nec obstat quod alter tua actione abuti velit, nam eum impedire non teneris, nisi ex caritate : caritas autem cum gravi incommodo non obligat. Quare cooperatio tua est quidem ad actionem materialem proximi, non vero ad peccatum. — *V. Comp. n.* 248.

242. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Non licet Quirino, sola ratione famulatus, dominum ad concubinam vehere, neque hanc ad dominum, si certo sciat rem malam ab utroque peragendam esse; sed requireretur insuper causa alia gravis, quæ fere tamen vix deesse potest, cum contumacia famuli adversus dominum difficilis sit et periculosa, nec possit famulus de his rationes cum domino instituere, aut exigere.

2° Quod ad litteras, si constet famulo eas esse amatorias, non potest eas deferre, nisi gravissima causa excusetur. Imo, juxta *S. Lig., n.* 68, contra *Vogler,* nunquam a peccato gravi eximi potest. — *V. Comp. n.* 251.

3° Confessarii sententia, qua jubetur Quirinus famulatum suum derelinquere ob præfatas rationes, rigidior omnino est, si reapse famulus minime, aut nonnisi cum magno incommodo, alium locum invenire queat.

4° Illicitum est prorsus Quirino applicare scalam domui, et dominum ascendentem adjuvare, neque ratione famulatus, neque ratione incommodi etiam valde gravis, si casus mortis subeundæ excipiatur, quia cooperatio hæc est omnino proxima. Imo, juxta multos, hujusmodi cooperatio ne ad mortem quidem vitandam permittenda foret. Opposita tamen sententia quam tuetur *S. Lig.*, non solum probabilis, sed etiam probabilior est.

243. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Præscribendum famulo est ut alium locum quærat, et quamprimum discedat, quando absque nimio incommodo poterit, ne ad similiter cooperandum iterum adigatur; et interea caveat, ne pessimo domini exemplo seductionis periculum subeat. — *V. Comp., n.* 250 *et seq.*

CASUS

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De cultu Dei et Sanctorum. De vitiis Religioni oppositis, seu de superstitione et variis ejus speciebus, nempe de vana observantia, — de divinatione, — de magia, — de maleficio, — de tabulis rotantibus (tables tournantes), *— de magnetismo, — de spirituum consultatione* (du spiritisme), *— de tentatione Dei, — de sacrilegio, de simonia.*

CASUS I

DE ORATIONE

Rufina, prioris fervoris oblita, frequenter inter orandum voluntarias admittit distractiones. Interdum preces matutinas et vespertinas omittit, nec alias, decurrente die, orationi indulget. Imo ad hunc ignaviæ gradum devenit, ut per hebdomadam, vel etiam mensem et amplius, orationes quaslibet omnino intermiserit. Tandem, audita concione de orationis necessitate, dolens et ingemiscens ad Parochum confitendi gratia accedit. A Confessario graviter carpitur velut peccati mortalis rea, propter omissam orationem per hunc temporis tractum. « Scias oportet insuper, ait Paro-« chus, te toties, saltem venialiter peccasse, quoties preces diurnas omisi-« sti, vel minimam distractionem passa es. » Obstupefacta Rufina, cum lacrymis emendationem promittit.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sit orandi necessitas?*
2° *An preces matutinæ et vespertinæ sint de præcepto?*
3° *Quandonam sit peccatum sive leve, sive grave orationis neglectus?*
4° *An quælibet distractio voluntaria sit peccatum, etiamsi preces non sint præceptæ?*

Solutio :

244. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Oratio necessaria est, tum *necessitate præcepti*, tum *probabilius* etiam *necessitate medii* ad salutem. — *V. Comp. n.* 259.

Resp. ad 2^am^ *Quæs. Nego per se*, si raro omittantur, vel si alio tempore et aliis formulis preces fundantur. Obligatio enim orandi tali hora et tali modo, nulla lege probari potest. Sed enixe adhortandi sunt fideles, ut nunquam, nisi urgente vera necessitate, has preces omittant; quia oratio quotidiana necessaria est ad auxilia spiritualia obtinenda, sine quibus nemo

officia boni christiani adimplere potest, ut ait Christus : *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv). Porro, si facile fideles consuetas illas preces omittant, neque alio tempore, neque alio modo supplebunt.

245. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Præceptum orandi certe obligat aliquibus temporibus; nec culpa vacat qui per notabile tempus ab omni oratione abstinet. Quodnam autem tempus sit notabile, aut etiam quando negligentia pertingere ad gravem culpam possit, Theologi non conveniunt. Communius tradunt aliqua culpa non vacare qui fere per mensem orationem omittit. Cæterum instare debet magis Confessarius in declaranda obligatione orandi frequenter, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

246. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirmative,* quia omnis voluntaria distractio inter orandum Deo injuriosa est. Attamen requiritur ad hoc, ut deficiat omnis causa excusans. — *Vide Comp. n.* 261.

CASUS II

DE CULTU SANCTORUM

1° Martialis, e secta lutherana ad Fidem catholicam conversus, cum a Confessario fuisset interrogatus, utrum frequenter beatam Virginem aliosve Sanctos invocaret, respondit se solere ad Deum immediate recurrere, nec opus sibi esse Sanctorum patrocinio, siquidem Deus solus est principium et fons omnium donorum. Hinc Confessarius ipsi pro salutari pœnitentia injunxit ut preces quotidianas ad Sanctos directas funderet, quod ægre et mussitando inaudiit Martialis.

2° Berta magnam experitur devotionem erga Missionarium nuper cum fama sanctitatis defunctum. Quapropter ejus effigiem domi supra altariolum collocatam venerari assolet, et flexis genibus illius patrocinium implorat, sive sola, sive cum aliis e vicinia adventantibus. Imo stipendium offert alicui Sacerdoti, ut Missam in ejus honorem celebret.

Hinc :

Quær. 1° *An vel quænam sit obligatio Sanctos orandi, et quid de casu?*
2° *An recte in his omnibus egerit* Berta?
3° *Quid de Sacerdote qui, accepto stipendio, Missam celebravit?*
4° *Quid si effigies defuncti non canonizati aut beatificati in Ecclesia, Sacrario, vel Oratorio appenderetur, vel alibi, cum radiis seu aureolis?*

Solutio :

247. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Per se* invocatio Sanctorum non est de præcepto, sed de mero consilio; nulla enim lege absolute præscribitur, et Concilium Tridentinum, loquendo de Sanctorum invocatione, dicit tantum : esse bonum et utile eos invocare. Attamen, aiunt, communiter a peccato veniali non est excusandus ille qui nunquam beatam Virginem invocaret, cum speciali providentia mediatrix nostra fuerit a Deo constituta. — *V. Comp. n.* 262.

2° Martialis tamen a peccato gravi non est eximendus, quia non solum

videtur invocationem Sanctorum omittere, sed etiam eam ut inutilem habere, quod hæreticum est. Ideo laudabiliter egit Confessarius injungendo Martiali pro pœnitentia, ut certas preces ad Sanctos directas funderet; et pœnitens hanc pœnitentiam acceptare et implere debuit, et quidem sub gravi, si gravis fuerit et pro peccatis gravibus imposita. Attamen Confessarius debuit magis determinare preces recitandas, quam tempus quo essent recitandæ. — *Elbel, n.* 438.

248. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Laudanda sane Berta in omnibus quæ cultu privato peragit, licet non sola, sed etiam cum familia aut aliis mulieribus domum suam adventantibus. Nihil enim ab Ecclesia prohibetur, nisi cultus publicus, ne scilicet Sanctum privatum in cæremoniis et officiis Ecclesiæ honorent, ejus nomen litaniis inserant, vel ejus imaginem cum radiis aut aureolis exornent.

249. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Sacerdos potuit quidem stipendium acceptare et Missam celebrare in honorem viri cum fama sanctitatis defuncti, vel in gratiarum actionem pro obtento beneficio, etc.; dummodo Missam sumat de festo aut de feria eo die occurrente, non autem de Communi non Pontificum, nec specialem orationem de eo vel cum ejus nomine recitet. Ratio est, quia Sacrum facere ad prædictam intentionem non est cultu publico aliquem honorare, siquidem intentio celebrantis est quid omnino privatum. — *Elbel, n.* 443.

250. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Minime illicitum est apponere effigiem vel statuam alicujus defuncti non canonizati, sive in Oratorio etiam publico, sive in Ecclesia dummodo id ad eum cultu publico honorandum non fiat, sed ex alio motivo patenti, v. gr., si fundator aut benefactor sit Ecclesiæ, vel ejus statua ad ipsius tumulum in Ecclesia apponatur. Sic etiam imagines imperatorum, regum, et aliorum insignium virorum appendi possent. Sic Basilica sancto Petro Romæ dicata, innumeris monumentis Pontificum in album Sanctorum non relatorum decorata est.

2° Non autem licet prædictas imagines aureolis seu radiis exornare, neque in altari ubi Missa celebratur reponere.

CASUS III

DE CULTU RELIQUIARUM

Aristus, speciali devotione erga sacras Reliquias actus, innumeras specie diversas et minus certas colligit, collo suspensas gestat, cum incertis immiscet, alias dono distribuit, alias pro muneribus sive sacris, sive profanis rependit, in oratorio privato domi venerationi familiæ exponit, necnon exponendas in Ecclesia vel Sacello, aliis tradit. Imo, quo plures possideat, interdum, data occasione, plures earum particulas apud alios subripit, nec putat in hoc peccare, quia Reliquiæ Sanctorum, utpote res sacræ, non sunt pretio æstimabiles.

Hinc :

Quær. 1° *Qualis cultus possit exhiberi Reliquiis Sanctorum, et quibusnam Reliquiis sit exhibendus cultus sive publicus sive privatus?*

2° *Qualis certitudo de earum authenticitate requiratur pro cultu sive publico sive privato, et qualis Prælatorum approbatio?*

3° *Quid de agendi ratione* ARISTI *in singulis casibus?*

Solutio :

251. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Idem prorsus dicendum est generatim de cultu Reliquiarum, ac de cultu Sanctorum canonizatorum, vel saltem beatificatorum. Cultus autem privatus ad privatam devotionem omnino liberam spectat.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° Ad cultum publicum certo constare debet, Reliquias venerandas ad Sanctum vel Beatum, solemniter ab Ecclesia ut talem recognitum, pertinere. Insuper sigillum alicujus Episcopi seu Prælati apponi debet. Sigillum autem Episcopi loci ad Reliquias cultu publico colendas sufficit, nec scriptum authenticum necessarium est.

2° Ut Reliquiæ, licet authenticæ, publicæ venerationi fidelium in Ecclesia vel in Oratorio publico exponantur, requiritur ut ab Episcopo loci recognoscantur, etiamsi Romæ a Præposito apostolico obsignatæ fuerint. — *Conc. Trid. sess.* 25. — *Bonac., t.* 2, *disp.* 3, *q.* 1, *punct.* 4.

3° Ad cultum privatum requiritur tantum certitudo moralis privata, qualis, v. gr., ab homine fide digno habetur.

252. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* ARISTUS laudandus quidem est pro insigni devotione erga Sanctorum Reliquias. In pluribus tamen reprehendendus est. 1° Peccat graviter Reliquias incertas cum certis immiscendo, si auctoritate ecclesiastica approbari debeant. Nisi enim aliæ ab aliis separentur, fieri potest ut Reliquiæ falsæ velut authenticæ proponantur. 2° Non peccat Reliquias aliis donando, etiam in remunerationem pro muneribus profanis exhibendam; quia non intervenit turpis contractus, ita ut res sacra cum re profana comparetur et sic vilipendatur, seu labes simoniæ in hoc minime deprehenditur. 3° Non peccat cultum privatum Reliquiis cum familia tribuendo, modo ipsi constet, certitudine morali etiam lata, veras esse Reliquias, saltem alicujus tali cultu non indignas. 4° Graviter peccat furando Reliquias notabiles vel etiam minimam partem Reliquiæ valde pretiosæ, v. gr., SS. Crucis; quia, licet non sint pretio æstimabiles, tamen hæc ablatio graviter possessorem contristare potest. In districtu autem Romano sub pœna excommunicationis prohibetur furari Reliquias, etiam minimas, pertinentes ad Ecclesias. Ex Const. *Clement. VIII* et *Pauli V.* Quare in omni casu mortale est. — *S. Lig., l.* 3, *n.* 532.

CASUS IV

DE SUPERSTITIONE

De vana observantia 1°

1° LIVONIA, devotula, orationes *S. Birgittæ* dictas frequenter spargit, et miram vim earum ore pleno extollit. « Si quis enim, ait, has orationes « per annum integrum recitet, aut secum deferat, a quocumque infelici « eventu immunis evadet. A peste, scilicet, incendio, tonitru, canis ra-

« bidi morsu, et a morte subitanea certo liberabitur. Imo, in mortis arti-
« culo sibi apparentem et subridentem Beatam Virginem conspiciet. »

2° Crispinus, inopia pressus, orationem *S. Christophori*, ad pecuniam inveniendam, detegendumve thesaurum, persolvit. Idem, Petro vicino remedium pro equo postulanti : « Sume, ait, tales herbas, et animali
« ægroto præbeas, signum crucis in SS. Trinitatis honorem ter expri-
« mendo. Quod si feceris, equus tuus infallibiliter sanitati restituetur. »

Hinc :

Quær. 1° *In quo consistat peccatum superstitionis?*
2° *Quid de* Livonia *dicendum? An superstitionis rea?*
3° *Quid autem de* Crispino *statuendum?*

Solutio :

253. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Superstitio est vitium quo divinus cultus exhibetur ei cui non debetur, vel eo modo quo exhiberi non debet, seu est falsus cultus, vel circa substantiam, vel circa formam. Fit præcipue : 1° *idololatria*, qua cultus soli Deo debitus, creaturæ tribuitur; 2° *vana observantia*, qua res improportionatæ, ad certum effectum obtinendum, adhibentur; 3° *divinatione*, seu inquisitione occultorum ope dæmonis; 4° *magia*, seu arte faciendi mira, quæ vires hominis superant, et proinde dæmonis ope, saltem implicita, efficiuntur. — *V. Comp., n.* 263 *et seq.*

254. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Damnanda Livonia, utpote apertæ superstitioni addicta : vis adeo mira, quam *orationi birgittanæ* tribuit, omnino falsa est. Orationes enim nostræ efficaciam infallibilem nunquam consequuntur. Solis Sacramentis indidit Christus virtutem *ex opere operato* operandi. Alias conditiones requirit Deus ut preces filiorum exaudiat, scilicet imprimis humilitatem, fiduciam, et in orando constantiam. Neque bona temporalia postulari debent, nisi in quantum ad utilitatem nostram spiritualem et Dei gloriam conferre possunt. *Per se* igitur peccat Livonia, his inhærendo superstitionibus, nisi aliqua fide bona excusetur. Cave tamen ne damnes piam fiduciam certis orationibus tributam, secluso infallibilitatis præjudicio, præsertim si de iis aliqua cœlestis promissio, ex fundata revelatione, accepta fuerit.

255. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Nec a labe superstitionis excusandus est Crispinus in primo casu, si vim *infallibilem* orationi S. Christophori tribuat; et in secundo casu, certo peccat, cum remedia improportionata inter causam et speratum effectum adhibeat. Herbæ enim illæ non sunt *per se* remedium efficax ad equum sanandum, siquidem ad signum crucis ter iteratum recurrendum est. Numquid thaumaturgus est ille? Nequaquam; sed impius rei sacræ, nempe augustissimi signi Crucis profanator.

CASUS V

DE VANA OBSERVANTIA 2°

1° Gerafinia, cum nocte somniasset se in templo a rabido cane vulneratum iri, sequente die Dominica ab audienda Missa abstinuit, ad vitandum

damnum quod putat certo sibi eventurum esse. Alias, ut sciat quid futurum sit, pergit ad interrogandum vetulam quamdam, quæ ex sortibus seu chartis res futuras manifestare solet.

2° Vibiana in pluribus ex populari credulitate agere solet, scilicet : 1° Certas preces fundit quotidie, ut Beata Virgo vel Angelus custos sibi appareat in morte, certo putans eos apparituros. 2° Die Palmarum, ramum palmæ ter circumfert in cubiculo, ut domus contra fulmen muniatur. 3° Conservat ova die Parasceves edita, ad incendium exstinguendum, vel ad febrim propulsandam. 4° Summo mane scopis tangit olera horti sui, ut secura ab erucis evadant, etc.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo* Gerafinia *superstitionis rea sit in utroque casu?*

2° *Quid de multiplici praxi* Vibianæ *dicendum ?*

Solutio :

256. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Gerafinia peccavit graviter in primo casu, saltem *per se,* et quidem duplici modo, scilicet, contra Religionem peccato superstitionis, somnio firmiter adhærendo ac certam fidem adhibendo, necnon contra obedientiam Ecclesiæ debitam a Sacro abstinendo. Forte *per accidens* Gerafinia ita somnio perturbata est, ut a Missa audienda excusari possit, præsertim si sit gravida. Ei tamen non nimis indulgendum est.

2° Peccavit adhuc gravius vetulam interrogando, ut ab ea juvantibus chartis seu sortibus futura cognosceret. Quis enim sordidæ sagæ futura revelavit? An Deus, aut Angelus bonus? Blasphemum foret id asserere. Vel potius diabolus? Ergo cultus qui ei tribuitur, peccatum gravissimum est. — *V. Comp., n.* 264 *et seq.*

257. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Vibiana excusari nequit a labe superstitionis neque a peccato mortali, saltem *per se,* si vere ex determinatis circumstantiis, et certo ejusmodi effectus exspectet. Etenim effectum hunc exspectare non potest a natura, cum media omnino insufficentia adhibeat ; neque a Deo, qui non solet indesinenter miracula patrare, nec in similibus ad voluntatem mulierculæ se immiscere. Nec obstat quod preces, res sacras, aut circumstantias pias adhibeat, quia hæc effectum *infallibilem* operari nequeunt, et maxime ad commoda temporalia a Deo obtinenda. In quarto autem casu, a solo dæmone implicite invocato effectum potuit exspectare. Dixi *per se,* quia Vibiana a peccato mortali immunis esse potest *per accidens,* ratione ignorantiæ, stultitiæ, vel simplicitatis.

CASUS VI

DE VANA OBSERVANTIA 3°

Amelia, ex longa febri ad sanitatem restituta, audivit remedium efficax esse ad relapsum præcavendum, die Paschatis abstinere a carnibus et jejunare. Hoc consilium sequitur, et reapse in sanitate corporis perseverat.

Rata autem illam abstinentiam singulariter placere Deo, statuit singulis diebus Dominicis toto anno jejunare; imo petit a Confessario suo licentiam id voto firmandi.

Hinc :

Quær. 1° *An* Amelia, *sequendo consilium illud, rea superstitionis evaserit?*

2° *An bene fecerit, die Dominica semper jejunando?*

3° *An votum illud permitti potuerit, et an validum fuerit?*

Solutio :

258. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia iste cultus superfluus est, nec est *per se* medium *infallibile* relapsum in febrim præcavendi. Preces enim et mortificationes nostræ, ut efficaciam sortiantur, fieri debent juxta Dei beneplacitum, et bonum nostrum spirituale... Idcirco supplicationes sunt semper conditionatæ, præsertim si gratias temporaneas respiciant. Qui autem petit animo superstitioso, adhibet medium *per se* insufficiens ad finem *infallibiliter* obtinendum. Hinc si Amelia in bona valetudine perseveraverit, non debet id tribuere efficaciæ jejunii die Paschatis peracti contra praxim Ecclesiæ.

259. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Etenim jejunium die Dominica servatum non majorem habet virtutem quam si aliis diebus fieret. Imo, nedum Deo magis placeat, est ei minus gratum, cum hæc singularitas a consuetudine Ecclesiæ aliena sit. Hoc præsertim affirmandum est, si quis, omisso jejunio, decurrente hebdomada, die Dominica jejunare velit. *Reuter, part.* 2, *n.* 427.

260. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Votum illud, etiam secluso animo superstitioso, est invalidum, saltem si vovens aliis diebus jejunium minime servet. Hoc enim cum sit contra praxim Ecclesiæ, *non est de bono meliori.* Ergo votum illud a Confessario permitti nequit. Attamen jejunans sola die Dominica, seclusa superstitione, sed ex singularitate devotionis, non peccaret graviter; sed a veniali non excusaretur, nisi forte ratione bonæ fidei. — *Reuter, ibid.*

CASUS VII

DE VANA OBSERVANTIA 4°

Eligius, ab amico ad convivium invitatus, sedulo inquisivit de numero convivarum, qui simul pransuri erant. Cum autem audivisset tredecim mensæ accubituros esse, infremuit, et se convivio adfuturum esse negavit, ratus numerum hunc infaustum prorsus esse. Nosti quare? Quia audivit, quod si tredecim convivæ simul mensæ assideant, unus ex eis, decurrente eodem anno, mortem subiturus est. Hoc confirmat exemplo ultimæ cœnæ, cui interfuit Christus cum duodecim apostolis; Christus enim die sequenti a Judæis fuit interfectus.

Hinc :

Quær. 1° *An* Eligius *superstitionis argui debeat ?*
2° *An peccati gravis reus evaserit ?*

Solutio :

261. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Affirmative* prorsus. Nulla enim est connexio inter numerum præfatum et mortis proximæ casum. Quare autem unus e convivis solus esset moriturus? Quare non duo vel tres? quare non omnes? Nec valet exemplum ex ultima cœna a Christo cum Apostolis peracta adductum, siquidem non solus Christus, sed etiam traditor Judas e vita excessit.

Refert *Tamburinus* lepidum exemplum credulitati vulgi prorsus oppositum, cujus ipse fuit testis. Sic ille : « Risi olim quoad hanc rem, et si-« mul amicum sum illacrymatus. Tredecim Canonici ad convivium invi-« tati, simul discubuere, ejusmodi superstitionem parvi facientes. Porro, « die sequenti, quidam e Collegio Canonicorum qui invitatus ad convivium « non fuerat, obvius casu procedens uni e convivis, dixit fore ut ex ipsis « tredecim unus eo anno moreretur; cui alter subridens respondit potius « fore ut ipse non invitatus e vivis desineret, quam unus ex invitatis ; « adeo vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam re-« sponsionem, mihi, idem qui respondit, cum risu narravit, et ego, fateor, « illam cum plausu excepi ; sed cum lacrymis non post multos dies ami-« cum illum qui convivio non interfuerat, e vita ab inexspectata febri « sublatum, sum prosecutus. » *Tamb., Decal., lib.* 2, 6, *n.* 77.

262. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Distinguendum est. Eligius arguendus quidem est de peccato mortali, si fidem plenam hujusmodi superstitioni adhibuerit; secus vero, si egerit non certa credulitate, sed levi quodam timore ductus.

Idem dicendum est de innumeris aliis superstitionibus, quæ, si absolute credantur, a peccato mortali excusari non possunt. Si vero fiant sub incertitudine eventus, aut ex vano quodam metu, non excedunt culpam venialem, quia non videtur magna deordinatio aliquid interdum operari ob spem vel timorem alicujus rei. — *Tamb., ibid., n.* 20, 27 *et* 76.

CASUS VIII

DE DIVINATIONE 1°

Petronius uxorem ducere statuit; dubius autem quamnam ex pluribus puellis sibi oblatis eligere debeat, ab amico consilium petit. Sic autem iste: « Perge, inquit, nocte proxima sancti Andreæ inter undecimam et duode-« cimam horam ad flumen vicinum, et in aquis velut in speculo quodam « imaginem futuræ sponsæ videbis. » Accepto consilio, præscripta nocte, dum luna clarius nitebat, facemque quodam modo præbebat, Petronius ad flumen impiger se contulit. Verum, dum super ripam stans superiori corporis parte se inclinavit, ut formam puellæ in aquis relucentem perfectius contemplari posset, ripa inopinato sub pedibus dilabente, in flumen velut

plumbum prolapsus fuit, et in maximo vitæ discrimine versatus est. Tandem emersus, licet ægre, frigore algens, et credulitatis pœnitens, ejusmodi artem ad sponsam futuram detegendam protinus abjecit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Petronius *culpæ gravis ob hujusmodi factum arguendus sit?*

2° *Quid de illis qui in quibusdam speculis impressam imaginem futuræ uxoris, futurive mariti, aut etiam furis, inquirunt?*

Solutio :

263. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Medium enim istud a Petronio adhibitum a labe superstitionis nullatenus excusari potest, siquidem omni prorsus virtute naturali destituitur ad effectum intentum producendum. Etenim, ad quid illa circumstantia ut inspectio fieri debeat tali nocte, scilicet S. Andreæ? Curnam inter undecimam et duodecimam horam? Insuper, quomodo aqua fluminis vim habere potest repræsentandi futuræ sponsæ effigiem? Sane impressio illa neque a Deo, neque ab Angelo bono, neque ab aliquo homine in illis circumstantiis prudenter exspectari potuit. Ergo, si illud fiat, a solo dæmone, qui in similibus se immiscere solet, ut homines decipiat et secum in barathrum æternæ damnationis involvat, exspectari debet. — *Elbel, n.* 505.

264. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Id quod diximus de illis qui imaginem sponsæ in aquis inquirunt, etiam applicandum est absolute aliis qui in quibusdam speculis prospiciunt, ut deprehendant qualis futurus sit maritus, vel sponsa, qualis fuerit auctor furti, homicidii, maleficii positi, etc. Etenim, cum nullum sit speculum habens ex sua natura vim repræsentandi res hujusmodi, hæc impressio, si fiat, a nullo alio, præterquam a diabolo, expectari potest. Igitur, quisquis tali medio utitur, evidenter convincitur se velle habere quoddam commercium cum ipso dæmone. Præterea colligendum etiam est ex hoc, scilicet, quod observari debeant plerumque nonnullæ aliæ circumstantiæ prorsus vanæ, v. gr., ut inspectio fieri debeat a tali persona, tali et non alia hora, etc. Fatendum est tamen hæc et similia a simplicioribus fieri absque gravi peccato *formaliter* tali, ex eo quod in his malitiam superstitionis non deprehendant. — *Elbel, n.* 506.

CASUS IX

DE DIVINATIONE 2°

Lazarus audivit, quod si ex filo pendeat annulus, vel lapillus, hocque teneatur inter pollicem et indicem, ita ut annulus vel lapillus pendulus maneat intra latera poculi vitrei, hic spontaneo appulsu indicet horam. Magna curiositate impulsus Lazarus, jam experimentum erat facturus, cum ab alio etiam audit hoc illicitum esse, utpote superstitioni obnoxium. Quærit proinde a Confessario quid de hoc sentiendum sit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Lazarus *rei experimentum facere possit? seu an praxis illa superstitiosa sit?*

2° *An liceat experiri rei veritatem, si dubium sit an sequatur ex causa naturali, vel ope dæmonis?*

3° *An liceat experiri, ubi constat effectum superare vires naturales, sed dubium est an a Deo, vel a dæmone proveniat?*

Solutio :

265. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Lazarus experimentum facere nequit, quia istud evidenter superstitiosum est. Etenim deest causa naturalis quæ horam indicet, siquidem id nec ex pulsu arteriæ, nec ex imaginatione, nec ex influxu siderum provenire potest. — *Lacroix, n.* 29. — *Reuter, n.* 437. — *Lugo, Tamburini,* etc.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirm.*, si sit ratio probabilis pro virtute naturali. Licet tunc tribuere effectum virtuti naturali, et facere experimentum. Ratio est, quia habendum est ut licitum quod non constat esse prohibitum ; homo enim permanet in possessione libertatis suæ. Sed mente omnem interventum diabolicum excludere debet.

266. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Effectus enim, in eo casu, dæmoni tribuendus est. Ratio est, quia cum non adsit causa naturalis, sed nudum signum, nec constet Deum supplere defectum causæ naturalis, temerarium esset dicere tunc semper fieri miracula, et Deum semper humanæ voluntati, posito signo, obtemperare. Ergo prudenter præsumitur effectum a dæmone provenire. Ergo, in hoc casu, non licet experiri an effectus sit secuturus, quia censeretur agens dæmoni ipsi cooperari, et velle cum eo societatem habere. Nec excusaretur quis, licet ageret joci causa, et protestaretur se nolle cum diabolo societatem habere, quia hanc societatem eo ipso practice haberet. — *Reuter, n.* 436. — *S. Lig. n.* 20. — *S. Thom.*, etc. — *Vide Comp. n.* 264.

CASUS X

MAGIA ET MALEFICIUM

Sabellus cum Sigolena contraxit sponsalia, proximeque intendit cum ea matrimonium inire. Sed, ecce! hoc rescit Dafrosa, Sigolenæ matertera, famæ perditæ mulier, et, quantum potest, obsistit; sed minime auditur. Quapropter, irata, dicit Sigolenæ : Contemptus mei consilii in malum tibi vertetur. Contracto autem matrimonio, Sabellus animo ita fit averso a conjuge sua, ut eam ne videre quidem sine horrore possit. Oritur suspicio maleficii a Dafrosa Sabello adhibiti. Sigolena, conquerens apud eam de aversione mariti sui, petit annon remedium noverit? « Scio quidem, ait « Dafrosa, sed tibi illud non manifestabo nisi centum scuta mihi prius « dederis. »

Hinc :

Quær. 1° *An, in casu, rationabiliter conjici possit artem magicam, vel sortilegium, intervenisse?*

2° *Quibus mediis tolli possit maleficium?*
3° *An liceat inducere magum, ut maleficium tollat?*

Solutio :

267. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Hoc enim videtur erui ex omnibus casus adjunctis. Aversio naturaliter sane oriri potest inter conjuges, ut multis exemplis constat. Sed enasci non solet sine causa cognita, neque adeo repente et vehementer; adde minas Dafrosæ mulieris famæ perditæ, necnon scientiam remedii quod in promptu habere dicit, si pecunia sibi solvatur. Constat ex Scriptura exstitisse magos, ariolos et sortilegos. Id etiam ex variis locis Juris canonici luculenter eruitur. Quapropter fides non est omnibus factis diabolicis hujus generis deneganda in genere, neque in particulari, ubi indubiis indiciis constat. In omnibus retroactis temporibus exstitere perversi homines, qui, horrendo fœdere cum diabolo inito, ejus ope, miro et stupendi modo, vindictam in alios exercebant. Cur vero, in nostra tam perversa ætate, nulli hujusmodi magi et sortilegi exstarent? Cavendum tamen est, ne facilius fides adhibeatur variis sortilegiis quæ perhibentur : pleraque enim falsa sunt; et nimis credula plebs sortilegio sæpe tribuit calamitates, vel damna quæ ex causis naturalibus proveniunt.

268. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Maleficium tolli potest : 1° oratione, pœnitentia, mortificatione, usu Sacramentorum et exorcismis Ecclesiæ; 2° remediis ex medicina petitis, v. gr., ad humores atros depellendos; 3° destructione signorum quibus adnexum est pactum dæmonis, si cognoscantur.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Distinguendum est : affirmo, si maleficium tolli possit mediis naturalibus; secus vero, si tolli nequeat sive novo maleficio, quia sic maleficus induceretur ad novum commercium cum diabolo, et ab illo beneficium exspectaretur. — *S. Lig. n.* 24 *et* 25. — *Reuter, n.* 440.

CASUS XI

DE VIRGA DIVINATORIA

Honoratus et Remundus, Sacerdotes, in theologica collatione acriter inter se dimicant circa virgæ divinatoriæ usum, ad fontes detegendos, ad metalla et alia similia invenienda. Damnandi sunt, clamat Honoratus, quicumque virga similiter utuntur, utpote horrendæ superstitionis rei! Numquid, ait, in ligno intelligentia tanta inesse potest, ut discernere valeat res occultas, quæ ipsos homines latent? — Ast, reponit Remundus, si lignum intelligentia caret, mira virtute physica pollere potest, cujus ope ad fontes et metalla moveatur. Numquid omnes naturæ vires cognoscimus, ut asserere valeamus hujusmodi effectus in virga nullatenus inesse? Ex hoc certamine nemo victor, neque victus exiit, et adhuc *sub judice lis est.* Tu vero cuinam tribuis causam?

Hinc :

Quær. *Quid de usu virgæ divinatoriæ sentiendum? An permittendus, aut prohibendus, utpote superstitiosus?*

Solutio :

269. — *Resp.* Quæstio de virga divinatoria reapse valde agitatur inter Theologos. Alii cum *S. Lig.*, *n.* 8, ejus usum in omni casu reprobant, et eam a solo diabolo moveri ad aquas vel alias res quæsitas, absolute contendunt; alii vero contradicunt. Distinguendum esse videtur.

1° Certo damnandus est virgæ usus, quoties movetur vel non movetur ad meram intentionem illius a quo tenetur, v. gr., si moveatur ad aquam in tali loco quæsitam, et non moveatur ad similem aquam transeunti obviam. Nulla enim datur proportio inter rem naturalem et hominis intentionem.

2° Damnandus quoque usus virgæ, quoties adhibetur ad furem quærendum, vel ad homicidam detegendum, et ad alia similia, ob eamdem rationem.

270. — 3° Probabiliter autem non est usus virgæ damnandus, si adhibeatur ad aquas detegendas, vel ad metalla reperienda, modo protestatio fiat contra diabolicum interventum, qui forte adesse posset, et omnis animus superstitiosus excludatur. Ratio est, quia non constat deesse in aqua aut in metallis virtutem attractivam, quæ virgam moveat et inclinet : constaret tamen deesse, si cum metallis et aquis patentibus indicia ejusmodi virga non præberet.

CASUS XII

DE TABULIS ROTANTIBUS (*tables tournantes.*)

Camilla, matrona, muliebri curiositate percita, sæpius libenti animo interfuit cœtibus, in quibus, per levem tactum extremi digiti adstantium inter se ad modum catenæ in circuitu communicantium, tabulæ in gyrum moventur, et imperio voluntatis sistunt, incedunt, in partemve oppositam recedunt, interrogatæ signis statutis respondent, imo, stupete, gentes! calamo lapideo pedi affixo, juxta postulata quæcumque, licet prorsus incognita, responsa scripta proferunt. Sed, die quadam, perterrita, plures interrogat Sacerdotes, ut resciat an prædictis cœtibus iterum, tuta conscientia, interesse possit. Negat unus, hæc omnia diabolico interventui adscribens; annuit alter, modo intercedat protestatio contra dæmonis influxum; tertius permittit quidem experimentum motus, modo nullum interveniat voluntatis imperium, nec ulla divinatoria interrogatio, quia simplex motus per fluidum electricum explicari potest, non vero cætera.

Hinc :

Quær. 1° *Quid ad singulas sententias?*

2° *Quid de assistentibus?*

3° *Quid de illis qui sentiunt effectus quidem illos ab agente supernaturali esse repetendos, sed eos se experiri dicunt ad dæmonis confusionem, scilicet ad diabolicum interventum ignaris probandum?*

Solutio :

271. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Certe diabolico interventui tribuendum est quidquid per modum divinationis habetur, quidquid divinationem sapit, seu quoties de occultis vel futuris rebus interrogationes tabulis proponuntur, et ab eis responsa signis vel scriptis obtinentur. Etenim, numquid reapse tabulæ lignæ aut marmoreæ quæstiones proponis et ab eadem responsa exspectas? Non adeo insanis. Ergo ens intelligens seu spiritum aliquem interrogas, a quo tabula iners moveri possit; porro ille nequit esse bonus. Quis enim asserere auderet Deum ipsum et Angelum bonum ab eo immissum puerilibus hominum ludis intervenire, et vanissimæ eorum curiositati et impiæ voluntati semper et sedulo obtemperare? Hæc horrenda sane blasphemia foret. Neque ab animabus Deo gratis, pœnas in purgatorio luentibus, notitia occultorum exspectari potest, quippe quæ ad solum Dei beneplacitum præstare quidquam possunt. Ergo ipse diabolus implicite invocatur, et ipsimet cultus contra Dei prohibitionem tribuitur.

2° Hoc posito, inaniter et impie interrogarentur tabulæ, etiam apposita protestatione contra interventum dæmonis; hujusmodi enim protestatio adhiberi quidem potest in dubio prudenti, utrum mirus effectus causæ naturali tribuendus sit, non vero quando certissime constat totam rem esse a diabolo repetendam.

3° Si vero nulla interveniat divinatio nullumque voluntatis imperium, an motus simplex a diabolo, vel a quodam electrico fluido sit repetendus, quidam dubitaverunt. Et cum fluidi electrici hypothesis risu excipi a naturalium scientiarum peritissimis consueverit, libentissime etiam effectum infernali potestati tribuerem.

272. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Quid vero de assistentibus? A peccato gravi superstitionis non sunt excusandi, nisi ignorantia omnimoda laborent; siquidem peccato aliorum cooperantur. Etenim novisti ex dictis rem totam diabolo adscribendam esse, et tu adstas quietus spectator! Non horrescis? Quinimo impiis ludis cum gaudio et risu admisceris! ad interrogationes attendis, et curiose inhias responsis! Apage!

Resp. ad 3^um *Quæs.* Gravissime peccant et turpiter et periculose errant qui, agnito diabolico interventu, rei experimentum facere volunt, prætextu finis boni cujuslibet, etiam ad Satanæ confusionem. *Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona. — V. Comp., n.* 273 *et seq.* [1].

CASUS XIII

DE MAGNETISMO ANIMALI

Didacus, Sacerdos, doctrinæ de liceitate *magnetismi animalis* totis viribus patrocinatur. Ejus praxim probat et fovet, hoc innixus principio communiter admisso : Ubi dubium est utrum aliquis effectus causæ naturali ad-

[1] Vide, hac de re, eximia opera sequentia : *Des esprits et de leurs manifestations fluidiques*, par de Mirville. Paris, 1863. — *La magie au* XIX^e *siècle*, par Desmousseaux. Paris, 1861. — *Les médiateurs et les moyens de la magie*, par le même. Paris, 1863.

scribi debeat, necne, effectus ille, ut vim naturæ superans, non est habendus.

Marcellus, etiam Sacerdos, oppositam plane sententiam tenet ac sequitur. In omnibus magnetismi effectibus, operantem diabolum introspicit; itaque peccati mortalis reos, tum magnetizatores, tum magnetizatos reputat; nec iis ad confitendum accedentibus absolutionis beneficium concedit, nisi firmiter statuant se in posterum his satanicis artibus renuntiaturos esse.

Marcus vero, se disputationi immiscendo, contendit distinguendum esse, scilicet, reprobandum quidem esse magnetismi usum quoties in eo intervenit divinatio, non vero ubi magnetizatus tantum in statu somni versatur, et sensationes, quas in eo statu experitur, patefacit.

Hinc :

Quær. *Cuinam sententiæ assentiendum sit?*

Solutio :

273. — *Resp.* Triplex gradus in *magnetismi* effectibus exhibetur, scilicet : 1° *status somni,* in quo sensus tantum consopiuntur; 2° *status somnambulismi,* in quo quis, usu sensuum destitutus, videt tamen, loquitur, ad postulata respondet; 3° *mira status sui cognitio*, et remediorum sibi convenientium, necnon visio eorum quæ procul peraguntur. His positis :

274. — 1° *Tertius gradus* certo damnandus est ut *graviter et illicitus et superstitione plenus.* Quid enim aliud ibi fit, nisi apertissima divinatio, quæ in omni casu abhorrenda est? Constat etiam ex damnatione S. Sedis, per tribunal S. Inquisitionis, die 30 Julii 1856, ubi inter alia dicitur de iis qui *magnetismo* operam navant : « Se invisibilia quæque conspicere effu-
« tiunt, animasque mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et lon-
« ginqua detegere, aliaque id genus superstitionis exercere ausu temerario
« præsumunt. » ... « In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte
« vel illusione, cum ordinentur media physica ad actiones non naturales,
« *reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra*
« *honestatem morum.* »

275. — 2° *Gradus secundus*, id est *somnambulismi,* nullo pacto naturalis censeri potest, et idcirco diabolico interventui tribuendus est. Siquidem nemo, oculis clausis, res externas clare conspicit; nemo, alto somno consopitus, clare et distincte ad quæcumque postulata respondet. Insuper hic gradus aperte continetur in præfato damnationis decreto, ubi inter reprobanda id refertur : *Somnambulismi et claræ intuitionis præstigiis mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia conspicere effutiunt.*

Cæterum ille secundus gradus plerumque ad primum gradum propius accedit. Quomodo fieri potest, ut somnambuli isti adeo bene sciant ea quæ antea prorsus ignorabant? Quomodo morborum secretissimas causas, et scientiæ medicinalis vocabula prorsus ignota extemplo scivere?

276. — 3° *Primus gradus,* si quidem mere spectetur simplicis somni status, censeri naturalis potest. Sed neque hoc admitti ullo modo potest : 1° ob somni istius indolem; ita enim sensus consopiuntur, ut ne ferri qui-

dem candentis contactu persona magnetizata afficiatur : atqui hoc naturale somno non est; 2° ob improportionem causæ hunc somnum inducentis : etsi enim multa excogitata et jactata sint de fluidis, aut bioticis, aut nerveis, aut magneticis (quorum alioquin existentia in casu nunquam probata fuit, et e contrario a rei physicæ peritissimis risu fuit excepta); at in confesso est jam penes omnes, hæc omnia, sicut et gesticulationes, inani imposturæ adscribenda esse, et effectum solum a sola magnetizantis voluntate pendere, ut hic, licet pluribus leucis distans, licet ignorans ubi versetur persona magnetizanda, pro libito suo somnum inducat : atqui et ista absurde naturalia dicerentur; 3° ob phænomena somnum præcedentia, antequam enim sensus penitus consopiantur, subinde, ad magnetizantis imperium, stupor quidam ac rigiditas magnetizati membra, ac modo unum oculum, modo pedem, modo digitum, etc., puncto temporis ita corripit, ut ne proprii quidem corporis membra tam facile voluntati pareant : atqui hæc naturali modo explicari nullatenus possunt; 4° denique, ut plurima alia prætermittamus, ob phænomena concomitantia seu consequentia : in confesso enim est, huic somno sponte somnambulismi, de quo diximus, statum obrepere. Hinc pronum et evidens argumentum : Licet simplex somni status naturalis esse posset, ast adjuncta omnia plane evincunt, in somno ipso adesse alterius causæ, et certe non naturalis, interventum; atqui hæc causa, ut jam ostensum est, nonnisi mali Angeli interventio esse potest : ergo et primus hic gradus superstitiosus atque adeo plane illicitus dicendus est. — *V. Comp., n.* 276 *et seq.*

CASUS XIV

DE SPIRITUUM CONSULTATIONE

(*Du Spiritisme.*)

Helena, vidua, viri et unicæ filiæ præmatura morte in summum mœrorem demersa, audit inventam fuisse artem cum defunctorum spiritibus familiare commercium ineundi. Hujus nuntii veritatem probandi cupida, ad ædes sibi designatas accurrit, non sine aliquo conscientiæ remorsu, quo tamen se liberat proponendo, in mente sua, se nihil agere velle quod divinæ legi contrarium sit. Accedit igitur ad *medium*[1] et significat se cupere colloqui cum viro suo et cum filia sua, defunctis. Tunc Helena quæstiones varias *medio* proponit, et ex responsis quæ dantur minime dubitare potest se vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima referunt aliis prorsus ignota; imo ipso eorum stylo responsa edunt. Interrogati autem defuncti specialiter de statu suo præsenti, respondent se esse beatos, licet maritus aliquandiu in inferno detentus fuerit; falso enim, aiunt, gehennæ pœnæ æternæ dicuntur. Cæterum Helenam hortantur ad virtutem colendam, maxime vero ad beneficentiam erga pauperes exercendam, si-

[1] *Medium* vocant *pythonem*, seu virum vel mulierem, cujus ope colloquia cum spiritibus instituuntur.

quidem hæc, inquiunt, perfecta religio est, quæ homines ad cœlum ducit, quæcumque sit hujus religionis doctrina aut denominatio.

Hinc :

Quær. 1° *An liceat pythones, seu pythonissas, quæ* media *vulgo dicuntur, consulere, cum certa persuasione defunctorum spiritus respondere?*

2° *An saltem liceat hujusmodi consultationibus adesse, mere passive se habendo?*

4° *An excusentur ii qui in mente sua omnem diabolicam interventionem excludunt?*

Solutio :

277. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negative* prorsus. Certum est enim nihil a Deo in sacris Scripturis apertius damnari quam hanc curiositatem, quæ homines in terris degentes ad mortuos consulendos movet[1]. Pessimum igitur hoc est divinationis genus, ab ipsa idololatria non multum dissimile. Etenim quinam sunt isti qui propositis interrogationibus respondent, nisi ipsi dæmones, qui mortalium curiositate ad eos fallendos abutuntur, animas defunctorum simulantes se esse? Hujus rei argumentum est ipsa natura revelationum, quæ in his consultationibus manifestantur; cum enim multa sint quæ ab ipso *medio* oriri non possint, utpote occultissima, plurima simul reperiuntur falsa, impia, ridicula, quæ mendacis spiritus, seu dæmonis interventionem arguunt. Et revera, ea quæ sunt omnino occulta cognitionem et captum personæ *intermediæ* superant; ergo ipsius naturali scientiæ tribui nequeunt. Insuper ea quæ sunt impia, utpote dogmatibus Fidei catholicæ opposita, ut negatio pœnarum æternarum in inferno, a spiritu bono repeti nequeunt. Blasphemum quippe foret, non solum hujusmodi revelationes Deo vel Angelis bonis adscribere, sed etiam supponere divinam Majestatem vanæ hominum curiositati adeo facile connivere, et eorum insulsæ voluntati serviliter obtemperare. Putasne Deum summum et sapientissimum arcana ordinis supernaturalis, et occultissima secreta æternitatis suæ, quibuslibet obviis homuncionibus vel mulierculis, ad nutum eorum manifestare vel permittere, ut indiscriminatim prodantur, cum ipsis Sanctis amicis suis paucissima revelaverit?

Nonne etiam patet totam ferme Religionem revelatam, ex doctrinæ quæ a *spiritibus* docetur, destrui ac penitus evelli, nihilque superesse nisi quamdam religionis umbram, quæ generali et vago nomine *virtutis* et *beneficentiæ* appellatur?

Ergo omnino reprobanda est tum *consultatio spirituum*, tum impia doctrina quæ ab istis immundis spiritibus perhibetur, utpote Fidei catholicæ opposita, et a Deo ipso in sacris Scripturis prohibita.

278. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Etiam *negative*. Etenim consultatio prædicta spirituum est impia, utpote mandatis Dei, et ipsi Religioni ab ipso revelatæ, opposita, atque superstitione et idololatria plena. Ergo non licet hujusmodi

[1] « Nec inveniatur in te qui *ariolos* scisciteter, et observet somnia atque auguria. « Nec sit incantator, neque qui *pythones* consulat, nec *divinos*, aut *quærat a mortuis* « *veritatem*. Omnia hæc abominatur Dominus. » *Deut.* xviii, 10.

consultationi connivere, plaudere et cooperari. Atqui assistentia, etiam mere passiva ex cupidine vanæ curiositatis satiandæ, est conniventia, plausus, et indirecta cooperatio ad rem in se malam; ergo illa assistentia est graviter illicita. Recole dicta supra *n.* 272, *de assistentia experimento tabularum rotantium.*

279. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Iterum *negative.* Ratio est, quia, cum res ista evidenter mala sit, corrigi nequit per intentionem qua malum excludatur. Numquid enim excusaretur ille qui se e tecto præcipitem daret, eo quod intentionem se occidendi excluderet? Minime, sane. Ergo neque excusari potest ille qui dæmones consulit, licet intentionem cum ipsis commercium ineundi excludat. Ergo, non obstante bona intentione, seu protestatione contra diabolicum interventum, Helena a peccato gravi, *per se,* excusari non posset. Quærat igitur solatium in oratione, in Dei obsequio, ejusque mandatorum adimpletione: *hæc est enim sola via quæ ducit ad vitam.* Sciat quoque se in responsis, quæ a spiritibus accipit, minime posse confidere. Etenim, si responsio veniat a pythone, incerta est cum ipse hoc ignoret; si oriatur a dæmone, non majorem meretur fiduciam, cum ipse sit mendacii pater [1].

CASUS XV

DE TENTATIONE DEI

Macrina, Monialis, observantiarum communium parum studiosa, verum singularitatibus multum dedita et in sensu suo satis pertinax, frequenter jejunat, de nocte surgit ad orandum, et similia quædam facit, quæ illam in evidens et proximum periculum inducunt, attenta ejus physica constitutione, morbos graves contrahendi, vel etiam vitam amittendi. A Superiore sua sæpe monita ne talia faciat, nihilominus hanc agendi rationem servat, eo quod, inquit, occasionem dare Deo velit exercendi et ostendendi benignam quam habet curam de iis qui pœnitentiæ operibus vacant, simul et potestatem quam habet illos ab omni malo servandi.

Postea autem revera graviter ægrotans, omnes medici præscriptiones respuit, sperans se a Deo solo sanandam.

Hinc :

Quær. *An, et qualiter* Macrina *in his peccaverit ?*

Solutio :

280. — *Resp.* 1° Peccavit graviter Macrina contra quintum Decalogi præceptum, seipsam gravi vitæ periculo exponendo, absque ulla necessitate, aut proportionata utilitate, sed tantum ex propriæ voluntatis inclinatione. Attamen in hoc Religionem non adhuc læsit.

[1] Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis, Du Spiritisme, *par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus. Lyon,* 1863, *librairie de Girard et Josserand.* — Les Morts et les Vivants: *Entretiens sur les communications d'outre-tombe, par le R. P. Matignon, S. J. Paris,* 1862.

2° Peccavit graviter, Deum etiam *explicite* tentando, cum eam agendi rationem derelinquere prorsus renuit, bonitatem Dei et potentiam experiendi causa, ab eo exspectans ut incolumis servaretur.

3° Peccavit graviter Deum *implicite* tentando, cum in gravi morbo omnes medici præscriptiones respuit, ut a Deo solo sanitatem exspectaret. Non autem Deum tentasset, si, remedia omittendo, ejus providæ voluntati sortem suam indifferenter commisisset. Attamen in morbo gravissimo mortaliter peccaret, si media a divina Providentia subministrata ad vitam servandam abjiceret. — *V. Comp., n.* 282 *et seq.*

CASUS XVI

DE SACRILEGIO 1°

Renatus die festivo ad Ecclesiam accessit, non quidem Dei honorandi gratia, sed videndi et conveniendi sponsam. Toto autem Sacri tempore, oculos in aspectu hujus puellæ impudice pascere, morose in pravis cogitationibus delectari, seipsum tangere et polluere non intermisit. Finitis vero divinis Officiis, eamdem puellam quibusdam signis invitavit ad copulam in alio loco habendam.

Hinc :

Quær. 1° *An* Renatus *sacrilegium commiserit turpi aspectu, morosa delectatione, tactu impudico, pollutione, necnon invitatione ad peccandum extra Ecclesiam?*

2° *An Ecclesia polluta fuerit per* Renati *pollutionem?*

Solutio :

281. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Renatus sacrilegium non patravit, obscenis cogitationibus in Ecclesia ipsa adhærendo, quia reverentia loco sacro debita, peccatis mere internis, quæ per se abstrahunt a loco, et ad locum non referuntur, non læditur. *V. Lugo, de Pœnit., D.* 16, *n.* 465.

2° Neque sacrilegium patravit in aspectu sponsæ, in loco sacro libidinose delectando; quia aspectus ille, quatenus actus externus, peccatum grave non est, nec graviter honori loci sacri detrahit, licet ille in corde graviter deliquerit.

3° Graviter et sacrilege peccavit, pollutionem, licet secretam, in Ecclesia habendo, et toties quidem quoties eam iteravit; quia evidenter locus sacer, turpissimo hoc peccato, gravi irreverentia afficitur.

4° Graviter etiam et sacrilege peccavit, saltem probabilius, in Ecclesia tactus graviter impudicos in proprium corpus exercendo, ob eamdem rationem. Ita, ut *absolute probabilius, S. Lig.* et alii *communiter* contra *nonnullos.*

5° Probabiliter autem sacrilegium non commisit Renatus sponsam ad alibi peccandum, signis in Ecclesia invitando, quia istis signis locus sacer injuria gravi affici non videtur. Attamen de hoc controvertitur. — *V. Comp., n.* 285 *et seq.* — *Elbel, n.* 575.

282. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Ecclesia non fuit polluta per RENATI pollutionem, licet sacrilegium ab eo patratum fuerit, ut dictum est. Ratio est, quia ex Jure canonico Ecclesia non polluitur, ita ut solemni reconciliatione indigeat, nisi per publicam profanationem, atqui in hypothesi pollutio est secreta : ergo Ecclesia non fuit polluta.

CASUS XVII

DE SACRILEGIO 2°

CAMILLUS, Ecclesiæ cujusdam custos, audit die quadam magnum tumultum in eadem exortum esse. Miratur valde et statim currit, quid rei esset exploraturus, cum ecce! deprehendit duas mulieres de dominio cujusdam libri precum contendentes, et inter se rixantes, ita ut una ab altera percussa copiosum sanguinem e naribus effuderit. Honoris divini zelo inflammatus, *novus Phinees :* « Discedite subito, ait, malæ bestiæ! » et arrepto baculo, aliam mulierem reluctantem in faciem percussit, ita ut etiam ipsa discedens sanguinem fuderit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An mulieres commiserint sacrilegium rixando? An ipse custos mulieres percutiendo?*

2° *An sit polluta Ecclesia propter sanguinis effusionem?*

Solutio :

283. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Mulieres commiserunt gravem irreverentiam sacrilegam, in Ecclesia graviter rixando, et magnum tumultum in ea creando ; levis tamen censeretur irreverentia et sacrilegii malitia, si rixa vel contentio non fuerit gravis.

2° Custos vero ab omni sacrilegio est excusandus, quia mulieres percutiendo, zelo divini honoris impulsus, minime peccavit, nec proinde injuriose erga Ecclesiam egit. Etenim, quod mulieris faciem baculo tam graviter percusserit, ut sanguis eliceretur, inadvertentiæ et casui adscribendum videtur. — *Elbel, n.* 579.

284. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Non fuit polluta Ecclesia per sanguinis effusionem; etenim polluta non fuit ex parte custodis, quippe qui minime peccavit, uti dictum est. Sed neque ex parte mulierum; nam percussio nasi *per se* non fuit graviter peccaminosa; præterea nares sunt organum nimis promptum ad effundendum sanguinem, ut effusio sanguinis proprie dici possit. Plures requirunt ad Ecclesiæ pollutionem non solum notorietatem facti, sed etiam juris, seu ut sententia juridica de facto lata fuerit. Sed recte advertit. *S. Lig., l.* 6, *n.* 364, hoc minime esse necessarium. — *V. Comp., tom.* II, *n.* 388. — *Elbel, n.* 578.

CASUS XVIII

DE SIMONIA 1°

ANDRONICUS, Sacerdos, cuidam *Comiti,* jure patronatus ob beneficium gaudenti, pluribus annis officia præstitit, sub spe assequendæ promotionis.

Ecce, dum vacasset nuper beneficium, existimavit Andronicus, sibi conciliandam esse *Comitissæ* benevolentiam, priusquam optatum beneficium lucraretur. Ad eam igitur accedens, allegatis officiis meritisque suis, humiliter eamdem rogavit ut apud Comitem intercedere dignaretur, quatenus se potius quam alium præsentaret. *Comitissa,* auri cupida, respondit: « Heu! « jam plures apud me se insinuarunt, quorum unus promisit se perpetuo « fore gratum, alter centum aureos, tertius bis centum mihi spopondit. « Horum supplicationes sperni non possunt. » — « Ast ego, ait Andronicus, « etiam bis centum scuta spondeo. Hæc sane cum meis officiis præponde- « rabunt. »

Hinc :

Quær. 1° *An* Andronicus *sit simoniæ reus, ex eo quod officia Comiti præstiterit sub spe beneficii obtinendi, et merita sua postea allegaverit?*

2° *An incurrerit simoniam quia se perpetuo gratum fore promisit?*

3° *An* Andronicus *et alii duo simoniam commiserint, pecuniam Comitissæ pro intercessione promittendo? et Comitissa pecuniam ad hoc accipiendo?*

Solutio :

285. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Andronicus ab omni simoniæ labe est excusandus ex eo quod præcise sub beneficii spe *Comiti* servierit, quia in hoc nullum intervenit pactum dandi vel obtinendi spirituale pro temporali; spes enim nullum jus speranti tribuit. 2° Neque simoniæ reus est habendus Andronicus ex eo quod, supplicando, sua præterita merita ad causam obtinendam retulerit, quia nullum habetur pactum inter ipsum et patronum; siquidem, officia prius peracta rememorando, nihil prorsus promittit : ergo contractus nullus intervenit.

286. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Neque simoniam incurrit ille qui se perpetuo gratum fore pro intercessione promiserit, modo non *antecedenter* aliquid determinate præstandum promiserit; ratio est, quia nullum intervenit pactum neque ulla intentio spirituale pro temporali erogandi, sed tantum promissio gratitudinem benefactori debitam ostendendi. Attamen similes promissiones gravi periculo non vacant, quia facile collatores beneficiorum per illa verba aliquam obligationem concipiunt, in ordine ad aliquid temporale recipiendum.

287. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirm.* Etenim simoniace egerunt Andronicus et alii, quia obtulerunt pecuniam *Comitissæ* in ordine ad beneficium consequendum, seu ut via ad id sterneretur; siquidem non tantum pecuniam tribuerunt ad amicitiam matronæ sibi conciliandam, cum spe ut, dono mota, patrocinium in sui favorem adhiberet, sed et cum pacto, ut ipsa ad rem spiritualem obtinendam intercederet. Hæc autem intercessio prætio æstimata fuit propter ordinem dumtaxat, quam habebat ad rem spiritualem, seu quatenus erat virtualis quædam beneficii collatio : ideoque emi non potuit, quin incurreretur simoniæ reatus. *Comitissa* etiam simoniæ labem contraxit ex eadem ratione, scilicet, quia pecuniam ad intercedendum pro obtinendo beneficio accepit. — *S. Lig. n.* 64.

CASUS XIX

DE SIMONIA 2°

GERARDUS, paterfamilias, vehementer cupiens ut PAULINUS ejus filius, neo-Sacerdos, ad pingue beneficium promoveatur : « Scio quid faciam, » ait, et statim, inscio prorsus filio, pergit ad POLYBIUM, quem novit Episcopo familiarissimum et gratiosum esse, eique magnam pecuniæ summam tradit, eo fine ut filio sua commendatione apud Episcopum patrocinetur. Episcopus, POLYBII precibus motus, cæteris posthabitis, libenter annuit, quin de pecunia data quidpiat animadvertat. Elapsis autem pluribus annis, POLYBIUS, remorsu conscientiæ percitus, rem totam Confessario pandit. Sed ab eo ut simoniacus damnatur, jubeturque ut quamprimum pecuniam Ecclesiæ tribuat, et ut simoniacam electionem PAULINO manifestet. Dura admodum videtur POLYBIO Confessarii decisio. Hinc alium quærit Confessarium, cui rem totam aperit. Hic vero dubius nescit quid respondeat.

Hinc :

QUÆR. 1° *An recta sit prioris Confessarii sententia?*

2° *An* PAULINUS *teneatur beneficium dimittere, et acceptos fructus restituere?*

3° *Quid* POLYBIO *præscribendum?*

Solutio :

288. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Communis sententia est, ut diximus in casu præcedenti, ejusmodi electionem non carere simoniæ reatu; non consentiunt tamen Auctores inter se, utrum hæc sit simonia Juris divini, an vero Juris ecclesiastici tantum. Cæterum cum vere simoniaca fuerit electio, nihil obstat PAULINI ignorantia, et bona fides, quominus electio sit invalida.

289. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Distinguendum est. Si non possidet beneficium a triennio, illud dimittere debet; si vero a triennio possideat, probabilius illud retinere potest. Hæc regula statuitur in *Jure canonico, cap.* 11, *de Simonia, Extrav. Comm.;* ubi habetur : « Ut beneficiatus inquietari nequeat, si a tribus annis beneficium absque ingressu simoniaco possideat. » Hinc concludi debet PAULINUM nostrum ad beneficium dimittendum non teneri. Etenim bona fide beneficium ingressus est : ergo non simoniace. Jus canonicum excipit quidem eos qui simoniaco modo possessionem inceperunt in peccati punitionem; sed PAULINUS non peccavit : ergo excipi non debet. — *Suarez, de Simonia, c.* 57, *n.* 39. — *Collet, tr. des Dispenses, l.* 2, *c.* 2, *n.* 15. — *Elbel, n.* 640.

Quod ad fructus, PAULINUS non tenetur restituere eos quos, durante bona fide, consumpsit, aut tanquam stipendium recepit, etiamsi possessionem triennalem non fuerit consecutus; extantes vero debet restituere. — *Suarez, c.* 57, *n.* 36.

290. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Certo injungendum est POLYBIO ut acceptam simoniace pecuniam abjiciat. An vero teneatur eam in Ecclesiam vel in causas pias impendere, aut potius debeat GERARDO restituere, non liquet. Jus

canonicum statuit quidem ut, in pœnam simoniæ, pecunia in usus pios impendatur; sed controvertitur utrum id fieri debeat post sententiam judicis ecclesiastici tantum, vel etiam ante sententiam. Hinc Polybii Confessarius potuit quidem pœnitenti suadere ut pecuniam simoniace acceptam in Ecclesiam aut in causas pias impenderet, potius quam domino restitueret, non vero id præscribere.

CASUS XX

DE SIMONIA 3°

Evodius, Parochus, ætate grandævus, statuit beneficium suum Juliano, fratris sui filio, resignare, sed cum onere ut Julianus sibi ad dies vitæ certam pensionem ex beneficii fructibus annuatim solveret. Peracta hujusmodi conventione, Evodius in manus Episcopi parochiam suam resignavit, simul eum humillime supplicando ut parochiam hanc Juliano, fratris sui filio, conferre dignaretur. Episcopus, tum intuitu meritorum Evodii, tum etiam intuitu Juliani ipsius, egregiis dotibus insignis, libenter annuit, nihil tamen sciens de pacto quo prius Parochus senex et junior Sacerdos inter se convenerant.

Hinc :

Quær. 1° *An* Evodius *simoniam commiserit?*
2° *Quid de valore hujus resignationis tenendum?*

Solutio :

291. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.;* excusari enim nequit Evodius a labe simoniæ juris humani, ut constat ex variis locis Juris canonici, in quibus interdicuntur expresse omnes conventiones privatæ circa beneficia ecclesiastica, aut præbendas.

Objicies : In hoc casu nullum pactum simoniacum prorsus intervenit; sed Evodius dumtaxat beneficium suum valde pingue resignavit Juliano, reservato sibi jure ad nonnullos fructus ex eodem beneficio percipiendos. *Resp.* Jus ad fructus beneficii percipiendos inseparabile est ab ipso beneficio, ita ut sola auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi in quibusdam circumstantiis, separari possit. Ergo Evodius volens resignare beneficium, debuit pariter resignare jus ad fructus ex eo percipiendos. Igitur, cum resignatio facta fuerit privata auctoritate, ex pacto inter utrumque Sacerdotem inito, uterque simoniæ labem contraxit. — *Henno.* — *Elbel, n.* 647-648.

292. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Prædicta resignatio fuit prorsus nulla et invalida. Etenim hæc resignatio fuit simoniaca, siquidem conventio auctoritate privata habita est circa beneficium transferendum : ergo pœnas simoniacorum post se trahere debet; atqui inter pœnas simoniacorum numeratur nullitas actus, et inhabilitas ad beneficium saltem idem obtinendum. Ergo hæc resignatio nulla fuit. Similiter nulla fuit collatio facta ab Episcopo, utpote facta subjecto de jure incapaci et inhabili. — *Elbel, n.* 649. — *Lacroix, l.* 4, *n.* 948. Si tamen ab Episcopo vel Summo Pontifice postulatum fuisset ut Parocho, annis gravi, aliquid, uti mos est, tribueretur, eorum præcedens tractatus culpabilis non esset, quia conditio adderetur : *si Superiori placebit.*

CASUS

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De vana usurpatione SS. Nominis Dei. De juramento, et adjuratione. De voto, seu de ejus valore, obligatione, cessatione, dispensatione, irritatione, et commutatione.

CASUS I

DE BLASPHEMIA

Et vana usurpatione SS. Nominis Dei.

Cocles, auriga, confitendo se accusat quod sæpius contra equos lentius procedentes blasphemaverit, et etiam pluries contra homines sibi molestos. Interrogat Confessarius, quænam fuerint blasphemiæ. Respondet se frequenter exclamasse : O Deus! Deus Dei! nomen Dei! nomen nominis (*nom de nom*)! mille nomina! *sacrum* nomen! Frequenter etiam, pergit, *sacravi* equos, homines, creaturas etiam inanimatas, et interdum *sacravi* ipsum Dei nomen; id est, dixi : *sacri* equi, etc..., *sacrum* nomen Dei. Sed, ait, non Deo improperare, sed equos tantum stimulare, vel homines objurgare, et similia intendi.

Hinc :

Quær. 1° *An* Cocles *peccaverit et blasphemaverit usurpando varias formulas, secluso Dei nomine ?*

2° *Quid si nomen Dei interveniat, absque verbo* sacrum, *aut vice versa ?*

3° *An blasphemaverit* sacrando, *ut aiunt, Dei nomen?*

4° *An excusari possit a peccato mortali, ex eo quod non intenderit Deo improperare ?*

Solutio :

293. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Illæ enim formulæ quæcumque sint, in quibus nomen Dei non intervenit, non sunt graviter Deo injuriosæ, sed meræ formulæ vel locutiones, ad indignationem in homines, vel jumenta, vel etiam res inanimatas prolatæ.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Neque hæc communiter inter blasphemias recensentur, sed sunt tantum locutiones ad creaturas directæ, aut vana usurpatio nominis Dei, quod veniale non excedit.

294. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Sacrare nomen Dei,* ut aiunt, quod adeo frequenter accidit in Gallia, seu conjungere verbum *sacrum* cum sanctissimo Dei nomine, a peccato gravi blasphemiæ excusari non potest, *materialiter*

loquendo, seu *per se*. Ratio est, quia, ex usu recepto, vox *sacrum*, in hoc casu, significat *maledictum*. Etenim qui hæc verba proferunt nunquam honorare Deum intendunt, cum plerumque in ira, indignatione, execratione, vel in joco, absque ullo pietatis sensu, illa adhibeant. Sed si hæc in Dei honorem non cedunt, in ejus contumeliam cedere debent. Sic enim *augustissimum Dei nomen* contemnitur. Insuper quænam sunt aures, etiam mediocriter piæ, quæ, talia audiendo, non graviter offendantur, et non inhorrescant? Præterea, in locis innumeris Galliæ instituuntur piæ sodalitates, ad orandum ut lues ingens blasphemiarum, quæ undique grassatur, finem habeat; sed, si prædicta formula blasphematoria non sit, vix aliæ blasphemiæ in Gallico territorio reperiuntur. — *Bouvier*, etc., contra *Gousset*.

295. — *Resp. ad 4^um Quæs.* Excusari nequit Cocles, *per se*, ex eo quod Deo improperare non intenderit : etenim verba blasphematoria usurpare, est eo ipso velle Deo implicite saltem improperare. Fatendum est tamen, in praxi sæpe a mortali peccato excusari illos qui verbis blasphemis utuntur, sive ob inadvertentiam, sive propter bonam fidem, etc. — *V. Comp*, *n.* 300 et seq.

CASUS II

DE JURAMENTO 1°

Cneius, mercator, merces suas emptoribus extollere solet, et ubi advertit suis dictis non adhiberi fidem, ad illam sibi conciliandam sequentibus utitur formulis : *Juro ita esse; — coram Deo loquor; tam verum est, quam vere vivo, et quam Deus ipse est; — per meam conscientiam; Deus sciat quod non mentior, illæ merces non sunt vitiatæ, et tanto pretio mihi constant; juro in conspectu cœli, coram Deo, coram Beata Virgine, coram cœlitibus; — per meam fidem, per meam animam.* Addit etiam imprecationes contra seipsum, v. gr.: *Puniat me Deus si non ita sit; — non sim christianus, sim fur, sim magus, sim damnatus, moriar subito, hic immobilis permaneam, mihi amputentur aures ambæ*, etc. Similia autem profert aliquando dubius de veritate, imo interdum contra veritatem, v. gr., quando merces sunt vitiatæ, aut non tanti venierunt.

Hinc :

Quær. 1° *An omnes formulæ sint juratoriæ, vel quænam?*

2° *An* Cneius *peccaverit, et qualiter, jurando juxta veritatem, in dubio de veritate, contra veritatem?*

Solutio :

296. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Nulla ex his variis formulis *per se* est verum juramentum, si excipiatur sequens : *per animam meam.* Ratio est, quia in istis locutionibus Deus non invocatur ut testis, sed hæc tantum *assertive*, seu *narrative* et *enuntiative*, proferuntur.

Dixi *per se*, quia istæ formulæ possent esse juramentum : 1° ex circumstantiis, v. gr., si a te juramentum postularetur; et diceres : *Juro ita esse*,

etc.; 2° ex intentione jurantis qui vellet reapse testimonium divinum invocare.

Dixi, si excipiatur, *per animam meam;* quia in anima singulariter resplendet Deus, qui in testem tunc censetur adduci: fatendum tamen vix esse qui, dum usurpant ea verba, de Deo cogitent; et ideo raro hæc quoque formula juramentum continet. Hoc autem prorsus dicendum de formula *per conscientiam meam, per fidem meam;* quia loquens tantum per hæc significat se loqui ex dictamine conscientiæ, se dicere verum, quin Deum invocet in testimonium veritatis; secus vero, si diceret: *per Fidem catholicam,* ut patet. Quid vero si quis dicat: *Quod dico, est verum sicut Evangelium, est instar Fidei?* Neque hæc ut juramentum habenda sunt, sicut locutiones: *Tam verum est quam Deus est;* quia hæc verba potius denotant assimilationem quam invocationem. Loquens enim intendit solum dicere: *Quod dico est verum, sicut aliud verum est suo modo.* Esset autem blasphemia, si intenderet significare tantam esse veritatem secundum æqualitatem, quanta est in Fidei veritate.

Nec obstat quod Cneius addat imprecationes in seipsum veritatem asserendo, quia illæ imprecationes nullam continent invocationem Sanctissimi Nominis Dei. Quare, si verum dicat, minime peccat; si falsum, peccat, mentiendo, et sibi graviter imprecando. — *V. Comp., n.* 307 *et seq.*

297. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Si Cneius vere juraverit, sed juxta veritatem, venialiter peccavit; quia sine judicio, seu absque sufficienti causa, juramentum emisit. Hoc autem communiter veniale peccatum non excedit. 2° Si juraverit contra veritatem, graviter peccavit, etiamsi in re levi juramentum adhibuerit; quia semper Deo valde injuriosum est, ejus nomen, seu nomen summæ Veritatis, in falsitatis testimonium adducere: in hoc igitur nulla materiæ parvitas admittitur. 3° Si juraverit, in dubio veritatis, peccavit quoque graviter; quia Deus invocari nequit, nisi in testimonium rei quæ moraliter certa videatur. — *V. Comp., ibid.*

CASUS III

DE JURAMENTO 2°

Romanus, ludo addictus, sæpius infelicem expertus fuerat successum ludendo, ita ut vix aut ne vix quidem pretium locatæ domus Ludulpho, proprietario, exsolvere posset. Ex clementia Ludulphus dilationem jam pluries locatario concesserat; tandem erat cum eo severius acturus, et eum e domo expulsurus, cum Romanus, novam postulans dilationem, juramento promittit se nunquam esse lusurum. Ludulphus, misericordia motus, locatarii votis annuit, sed et ipse juramento se obstringit ad eum ejiciendum, si iterum luderet. Sed, ecce! data infelici occasione, adhuc pluries ludit Romanus, secreto tamen. Quod resciens Ludulphus, absque misericordia eum expellit, ut proprium juramentum ipse impleat.

Hinc:

Quær. 1° *An* Romanus *toties graviter peccaverit, quoties juramentum violaverit?*

2° *An* Ludulphus *obligatus fuerit sub gravi ad juramentum suum servandum?*

3° *An peccaret graviter ille qui juraret dare* 20 *asses pauperibus diebus sabbaticis, et interdum infidelis foret? vel ille qui jurasset dare* 100 *fr. in piam causam, et* 90 *tantum præstaret?*

Solutio :

298. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmo, per se,* si gravem summam in ludo exposuerit; quia violat juramenti obligationem in re gravi, et notabiliter impeditur a consequendo fine juramenti quod emissum est, ne pecuniam dilapidaret, et pretio locationis solvendo impotens efficitur.

Dixi *per se;* quia, si semel vel iterum tantum luserit, et minimam summam in ludo exposuerit, de culpa gravi non accusandus erit. Hinc ad casus similes dirimendos attendendum est tum ad materiæ quantitatem, tum maxime ad finem quem quis jurando sibi proposuit. Itaque, si violatio in re levi fiat, vel leviter finis intentus impediatur, peccatum erit veniale tantum, secus mortale.

299. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ludulphus non tenetur, saltem probabilius, Romanum e domo sua expellere, quia 1° juramentum de re indifferente prorsus emisit; 2° quia non ex religione, sed potius ex passionis impulsu juravit; 3° quia, etiam supposita juramenti validitate, v. gr., si ad corrigendum Romanum fuerit emissum serio, non deerit plerumque ratio legitima ex qua locator a sui juramenti adimpletione excusari valeat, v. gr., si locatarius veniam petat, si emendatus videatur, si multum sit inde affligendus, si integra ejus familia magnæ miseriæ subjicienda sit..., etc. *Elbel, n.* 80.

300. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Probabilius non peccaret graviter ille qui quandoque violaret juramentum pauperibus erogandi 20 asses singulis hebdomadis, quia violationis materia esset levis. Nec dicas gravem injuriam Deo summe veraci irrogari; nam in juramento promissorio, juxta probabiliorem sententiam, Deus non proprie adducitur ut testis futuræ exsecutionis rei promissæ, sed tantum actualis intentionis promissionem exsequendi. — *S. Lig. n.* 173. *Hom. ap., n.* 13. — *Suarez...*, etc., contra *Collet...*, etc.

2° Idem omnino dicendum videtur in casu in quo quis vovisset dare 100 fr. pauperibus, et 90 tantum dedisset, quia id quod non præstitit, erga integram summam, materiam levem constituit. — *V. Comp., n.* 313 *et seq.*

CASUS IV

DE JURAMENTO 3°

Remigius vehementer exoptat matrimonio conjungere filium suum Carolum Sabinæ, quia novit eam ex variis donationibus acceptis divitiis abundare. Hanc suam mentem filio aperit. Verum renuit filius declarans se a nuptiis cum Sabina abhorrere; potius vero Flaviam, Sabinæ sororem, adamare, ex eo quod, licet minus dives, egregia tamen indole, et cæteris

dotibus longe præstantior habenda sit. Remigius nihil intentatum reliquit, ut filii animum in suam pertrahat sententiam. Verbis adjicit verbera, suasionibus sævitiam. Tandem Carolus, utpote naturæ timidioris, genitori cessit : sponsalia cum Sabina inivit, et emisso etiam quod postulaverat juramento, ea rata habuit. Sed ecce interea pater, repentino morbo correptus, animam efflavit. Filius autem, repudiato Sabinæ matrimonio, Flaviam ducere festinat.

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccaverit* Carolus, *emissum juramentum non servando?*

2° *An, ante matrimonium cum* Flavia, *obligandus fuerit a Confessario ad nuptias cum* Sabina *ineundas?*

Solutio :

301. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* saltem probabilius cum *Azor, l.* 1, *c.* 11, *q.* 15; *Roncaglia, de Sponsalibus, et aliis* contra *alios.* Ratio est, quia sponsalia ex metu gravi inita, ex ipso jure irrita sunt : ergo juramento confirmari nequeunt. Primo quidem dico sponsalia ex gravi metu contracta esse prorsus irrita. Etenim tale matrimonium ex tali metu contractum, est irritum Jure canonico, ut certum est : ergo idem dicendum est de sponsalibus, siquidem connexorum idem est judicium. Hinc facile deducitur consequentia, scilicet, irritum quoque esse juramentum. Etenim juramentum firmare non potest contractus quos jus vult irritos ob publicam utilitatem : ergo juramentum extortum in ordine ad contrahendum matrimonium, ipso jure videtur relaxatum. Secus enim quid absurdum sequeretur, scilicet : Carolus ad nuptias ob emissum jusjurandum urgeretur, sed, inito conjugio, statim a sponsa discedere posset, quia invalide contraxisset. Quorsum igitur vi juramenti ad matrimonium daretur obligatio, si vi legis illius obligationis finis nullus declaratur? Numquid dari potest obligatio seria, ex religione juramenti, ad actum inutilem, ridiculum, scandalosum? Numquid tali juramento Deus honorari potest?

302. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Etenim Carolus non potest obligari a Confessario ad fidem sponsalium servandam, neque ad juramentum servandum, si tum sponsalia, tum juramentum irrita fuerint. Atqui de utroque constat, ut patet ex dictis. Ergo... *V. Comp. n.* 314. — *Roncaglia, de Sponsal., q.* 4.

CASUS V

DE ADJURATIONE

Laurentius, Sacerdos, propria auctoritate, mulierem a dæmone possessam exorcismis Ecclesiæ subjicere tentavit, eidemque interea diversas movit quæstiones, scilicet : a quo tempore esset possessa, quænam esset causa possessionis, an plures in ea essent dæmones, et quot numero, et utrum anima Salomonis esset in inferno vel in cœlo? Sed infeliciter exor-

cismi successerunt, nec ejectus est diabolus, nec interrogationibus interjectis satisfecit. Id vero resciens Episcopus, infelicem LAURENTIUM a Sacris suspendit.

Hinc :

QUÆR. 1° *Qua auctoritate, et quando fieri debeant exorcismi?*
2° *Quænam quæstiones dæmoni proponi possint?*
3° *An, vel in quibus peccaverit* LAURENTIUS?

Solutio :

303. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Exorcismi solemnes, qui constant ritu et orationibus ab Ecclesia statutis, fieri nequeunt, nisi de licentia expressa Episcopi. Privata autem adjuratio, justa de causa, fieri potest a quocumque Sacerdote; si absque justa causa fiat, erit vana nominis Dei invocatio, ut de juramento dictum est.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Quæstiones illæ fieri possunt in exorcismis quæ ad dæmonis expulsionem conducunt, v. gr., de tempore et causa possessionis, de signo egressus. Nefas autem est quæstiones omnino ad rem impertinentes subjicere, et a fortiori de rebus occultis vel futuris, quasi per divinationem, inquirere. Sacerdos enim potestatem interrogandi dæmonem non habet, saltem practice loquendo, nisi ex Ecclesiæ delegatione, quæ non conceditur nisi in ordine ad dæmonis ejectionem.

304. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° LAURENTIUS graviter peccavit, exorcismos exercendo sine Episcopi delegatione; siquidem lex Ecclesiæ id prohibens gravis est, et ex motivo gravi lata est. 2° Circa quæstiones dæmoni propositas, dico : tres priores bene fieri potuisse, si LAURENTIUS ad exorcismos solemnes delegatus fuisset, quia exorcista potest diabolo injungere seu præcipere quidquid ad ejus ejectionem, vel ad ejus opera dissolvenda, conducere potest; porro scire quare, quomodo, quando possessum ingressus est, utile esse potest ad ejus ejectionem. Ergo... Quarta autem interrogatio fuit omnino impertinens ad rem, temeraria, ex curiositate facta, et proinde etiam exorcistæ delegato illicita foret. Attamen dicunt plures Theologi non esse peccatum mortale, unam tantum aut alteram quæstionem ex curiositate diabolo proponere, supposita delegatione ad solemnem adjurationem faciendam. — *S. Lig. l.* 3, *Append. de adjuratione, n.* 5.

CASUS VI

DE VALORE VOTI 1°

LUCIANUS, juvenis consuetudinarius, volens Confessario demonstrare firmum emendationis propositum, eidem in sacro tribunali coram Deo promisit : 1° se non amplius in illud vitium relapsurum; 2° si forte in illud reincideret, se die sequenti jejunaturum. Ast ex humana fragilitate factus recidivus, ad Confessarium gemebundus rediit, se accusans quod contra suum votum in idem vitium relapsus sit, nec jejunaverit. Interrogat Confessarius an intenderit verum emittere votum, et an credat se ob pro-

missum non servatum gravius deliquisse? Respondet pœnitens, sibi non constare an voluerit verum facere votum, sed tamen se existimare quod, ratione promissi non servati, gravius peccaverit.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quid est votum, et quid ad ejus valorem requiratur?*
2° *An* LUCIANUS *censeatur verum votum emisisse?*

Solutio :

305. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Votum communiter definitur : promissio deliberata Deo facta de bono meliori. Ex ipsa definitione jam patet quid ad valorem voti requiratur, scilicet : 1° *promissio facta ipsi Deo,* non vero alicui Sancto; 2° *intentio verum votum emittendi*, id est, se obligandi sub pœna peccati, non vero merum propositum statuendi; 3° *voluntas deliberata,* id est, qualis requiritur ad perfectum actum humanum, vel ad obligationem suscipiendam; 4° *de bono meliori, seu de re* quæ sit melior ipsa quam non ipsa, vel de actu cujus positio sit in se melior quam omissio.

306. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.,* seu an verum votum emissum sit a LUCIANO, vel merum propositum? Solutio difficultatis a sola intentione ipsius LUCIANI repetenda est, scilicet, an intenderit se obligare sub peccato, necne. Si, re perpensa, dubium remaneret, non urgeret obligatio voti, quia non datur obligatio nisi de ea constet. Sed in casu nostro non videtur superesse dubium, cum LUCIANUS putaverit gravius peccasse, in pravam consuetudinem relabendo. Hinc igitur arguitur eum voluisse se obligare sub peccato, et consequenter verum emisisse votum. Secus dicendum esset, si forte LUCIANUS, ut non raro solent personæ minus de his instructæ, existimaret dari peccatum in omissione cujuslibet pii propositi coram Confessario emissi.

CASUS VII

DE VALORE VOTI 2°

GERVASIUS, adolescens, varia emisit vota : 1° vovit servare castitatem perpetuam, quam putat servatu facilem, sed postea experitur contrarium; 2° dare 100 fr. pauperibus, quia in duello evasit incolumis, utque e tali periculo alia vice eripiatur; 3° dare calicem Ecclesiæ quam putabat esse pauperem, sed nunc intelligit eam redditus sufficientes habere; 4° non edere de capitibus animalium, in honorem S. Joannis Baptistæ decapitati; 5° nunquam peccare, neque mortaliter neque venialiter.

Hinc :

QUÆR. *An fuerint valida* GERVASII *vota in singulis casibus?*

Solutio :

307. — *Resp. In primo casu:* valet votum castitatis, quia error non versatur circa substantiam obligationis; novit enim GERVASIUS qualis esset

obligatio a se suscipienda et servanda, et rem hanc vovit sicut cæteri, qui amplectuntur castitatem, vovere solent. Ergo rigorosa voti obligatione constringitur, et sola dispensatione Papali solvi posset. *Lacroix, n.* 481. Difficultas tamen servandi hoc votum, præsertim si ob fragilitatem Gervasius laberetur, sufficiens esset ratio dispensationem petendi, quia ejusmodi votum non esset utile, nec ad divinum honorem conferret.

In secundo casu : valet votum dandi 100 francos pauperibus, quia e duello incolumis evasit, siquidem materia voti est *de bono meliori,* licet occasione peccati, seu duelli ponatur. Non vero valet aliud votum simile, ut ex alio duello futuro salvus evadat (cum sit omnium doctrina certa), si vovendo implicite intendat protectionem divinam invocare ad *malum securius faciendum,* quod est Deo injuriosum et quodammodo blasphemum. Secus vero si, secluso pravo illo fine, mere intendat implorare præservationem a periculo, eadem scilicet ratione ac quis, dum ex fragilitate non relinquit peccatum et peccati occasionem, misericordiam tamen divinam implorat, ne interim in peccato moriatur. — *V. Laym. l.* 4, *tr.* 4, *c.* 2, *n.* 7. — *Comitolus, l.* 2, *quæs.* 19.

308. — *In tertio casu :* non valet votum dandi calicem Ecclesiæ, quam ex errore putabat pauperem, si intentio præcipua Gervasii fuit subveniendi Ecclesiæ pauperi; secus vero, si ejus motivum primarium fuit benefaciendi Ecclesiæ, et causa impellens tantum fuerit hujus Ecclesiæ paupertas.

In quarto casu : non valet votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ decapitati, quia illa abstinentia minime ad Sanctum honorandum conferre potest, nisi forte vovens ad hæc fuerit valde propensus, et ex mortificationis affectu ab istis cibis abstinere voveat. — *Lacroix, n.* 415.

In quinto casu : valet votum non peccandi mortaliter, et etiam votum non peccandi venialiter omnino deliberate, quia nulla est ratio cur non valeat; hoc enim est de bono meliori et possibili. Monent tamen Doctores cum *Suarez, de Voto, lib.* 2, *c.* 3, *n.* 3, raro admittendum votum etiam vitandi omnia mortalia, quia ordinarie est plus periculi quam utilitatis in tali voto; imo aliquando posse tam grave esse periculum, spectata fragilitate voventis, ut propter temeritatem et imprudentiam tale votum emittere culpa non careat. Hæc autem a fortiori valent de voto vitandi etiam venialia deliberata, ut *ibid., n.* 4, *Suarez* advertit. Non autem valet votum omnia omnino peccata, etiam cum imperfecta advertentia commissa, vitandi; quia hoc esse impossibile, de Fide est, ut definivit *Concilium Trident., sess.* 6, *Can.* 23. — *S. Lig., l.* 3, *n.* 303. — *V. Comp., n.* 320 *et seq.*

CASUS VIII

DE VALORE VOTI 3o

1° Veronica, materfamilias, summo dolore animadvertens filiam suam Martinam ex pravo consortio Titii, amatoris, gravidam evasisse, et ingens dedecus, quod tum filiæ, tum familiæ toti imminebat, graviter refor-

midans, Deo vovet coram B. Virgine, si filia, antequam pariat, moriatur, se aureos centum Ecclesiæ erogaturam esse. Interea vero Martina ex sua parte vovet, nisi a parentibus in matrimonium collocetur illi a quo gravida facta est, se cujusvis alterius nuptias repudiaturam esse. Etenim cum amatore illo de ineundo matrimonio convenerat.

2° Albitius, morbo lethali correptus, metu instantis mortis pressus, vovet ingredi Ordinem Carthusianorum, si corporis sanitatem recuperet. Verum, morbo liberatus, audit in hoc Ordine perpetuo ab esu carnis abstinendum esse. Quapropter existimat se voto non ligari, quia, ait, « si hoc « ego scivissem, nunquam vovissem. »

Hinc :

Quær. 1° *An votum matris et filiæ sit validum in primo casu?*
2° *Quid de voto* Albitii *in secundo casu?*

Solutio :

309. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Licet votum matris licitum videri posset ex parte rei votæ, illicitum tamen dicendum est ratione finis, obtinendi scilicet a Deo in illis adjunctis mortem filiæ. Etenim, quamvis damnari non posset mater, quia ad vitandam summam tum filiæ, tum familiæ infamiam optat potius ut Deus huic calamitati filiam præripiat; attamen, cum hic adsit damnum et quidem æternum prolis, et matris desiderium non sit conditionatum quoad æternam prolis salutem, sed absolutum, hinc evadit omnino illicitum. Et sicut illicitum est desiderium, ita et preces Deo ob hanc causam oblatæ, atque etiam vota ad id obtinendum directa.

Objicies forte : Votum illud sanatum est, quia turpitudo quæ apparet neque in materia neque in fine versatur. Non quidem in materia, quia largitio centum aureorum pro beneficio, bona est; neque in fine, cum hic tendat ad infamiam avertendam.

Respondeo : Finis intrinsecus est id quod optatur, et a Deo et Sanctis ejus petitur; id autem quod offertur est materia. Quid igitur postulavit mater? ut moreretur filia; ergo mors filiæ *per se* votum terminabat, quamvis animus voventis ulteriorem finem haberet, seu infamiæ liberationem : at etiam finis ille flagitiosus fuit, quia medio scelerato quæsitus est.

2° Votum vero filiæ vel hoc intelligitur quod, nisi ad servandam fidem sponsalium, et tuendam famam suam, matrimonium cum Titio inire expediat, continentiæ statum amplecti velit, et hoc Deo voveat; et sic votum, utpote de re honesta et meliori bono, licitum est : vel ita intelligitur quod, sepositis continentiæ affectu et sponsalium obligatione, nemini præterquam Titio nubere velit; et ejusmodi votum, utpote de re vana et indifferenti, invalidum censeri debet.

310. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Valet *per se* votum Albitii, licet ex metu mortis in morbo gravissimo emissum fuerit. Ratio est, quia metus ab intrinseco, seu a causa naturali, minime lædit libertatem; ergo valet et obligat utpote simpliciter voluntarium. Metus enim iste, a propria apprehensione excitatus, neque aufert libertatem, neque injuste est incussus ad votum extorquendum, nisi forte rationem adeo perturbet ut ejus usum tollat.

2° Attamen ex alia parte Albitius non tenetur ingredi ordinem Carthusianorum, quia votum emissum est cum ignorantia circumstantiæ magni momenti, qua cognita, ille votum non emisisset, ut supponitur. Invalidum enim est votum, quoties vovens non tantum errat circa substantiam voti, sed etiam circa circumstantiam aliquam magni momenti, quæ votum impedisset, si cognita fuisset. Excipe tamen votum solemne professionis religiosæ, quæ instar matrimonii, ob nullum errorem, nisi ad substantiam rei promissæ pertinentem, infirmatur. — *Voit, n.* 573. — *Lacroix, n.* 378. — *Laymann*, etc.

CASUS IX

DE VALORE VOTI 4°

Geraldus, perditus moribus ac in libidinem maxime pronus, audita vehementi concione contra luxuriam, statuit se ad meliorem frugem recipere, et ad propositum confirmandum exercitia spiritualia in quodam cœnobio aggreditur; ibique, ut arctius Deo adhæreat, perpetuam castitatem vovet, licet advertat, de ipsius Confessarii consilio, statum conjugalem multo meliorem sibi quam cælibem fore. Sed postea, cum ad pristinam vitam rediisset, statuit matrimonium inire, ratus votum irritum esse, utpote quod *melius* impediret.

Hinc :

Quær. *An valeat votum* Geraldi, *et dispensatione indigeat ad matrimonium contrahendum ?*

Solutio :

311. — *Resp. Affirm.* Valet votum Geraldi, quia est simpliciter de meliori bono, absolute loquendo, et pro omnibus, licet matrimonium ipsi convenientius fuisset quam cælibatus, et licet forte votum matrimonii, utpote de bono relative meliori, emittere potuisset. Nec obstat magna proclivitas ad luxuriam, quia aliis mediis reprimi potest. Secus enim qui, emisso voto, hujusmodi proclivitatem experiretur, a voto liber evaderet, quod absurdum est. Ergo Geraldus, si matrimonium inire velit, dispensationem a voto prius obtinere debet. — Ita *Lacroix, l.* III, *p.* 1, *n.* 481, qui sententiam oppositam, quamvis a gravibus Theologis, *Ledesma*, *Bonacina* et aliis, probabilis habeatur, ipse tamen absolute probabilem esse non audet pronuntiare.

CASUS X

DE VOTI OBLIGATIONE 1°

Bibiana, femina ad vovendum valde proclivis, plura emisit vota, et speciatim votum rosarium die sabbati recitandi. Cum illud quondam mane recitaret, intentionem expresse elicuit per eam recitationem non satisfaciendi, sed satisfaciendi vespere per recitationem novam. Vespere autem

recitare eam piguit. Voverat se modicam eleemosynam singulis diebus daturam esse; sed pluribus vicibus id omisit. Contigit quoque ut voveret se die Dominica, post vespertinum Officium, piæ lectioni aut orationi vacaturam; sed paulo post, voti hujus immemor, iterum vovebat se iisdem horis aliquas puellas pauperculas Fidei Christianæ rudimenta esse edocturam. Verum, ubi prioris voti recordatio subiit, maxima perplexitate vexata est, nesciens quale votum e duobus sibi servandum esset. Tandem, ne iterum in tantas ambages se conjiceret, strictissimo voto se obligavit ad nunquam vovendum absque Confessarii approbatione et consensu.

Hinc :

Quær. 1° *An* Bibiana *voto de recitando rosario satisfecerit?*
2° *An omittendo modicas eleemosynas graviter peccaverit?*
3° *Quodnam votum ex duobus illis insociabilibus fuerit servandum?*
4° *An validum fuerit votum non vovendi sine approbatione Confessarii? Quid vero, si, non obstante tali voto,* Bibiana *motu proprio vovisset?*

Solutio :

312. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego.* Ratio est, quia obligatio voti oritur a propria voventis voluntate, et ab ea absolute pendet; proinde qui expresse intendit non satisfacere, sed manere obstrictus ea obligatione, reapse obligatus adhuc remanet. Idem de juramento dicendum est. Ergo Bibiana opus voti cum intentione satisfaciendi ponere debet, vel saltem intentionem non excludere : satisfaceret tamen juxta communem sententiam, si immemor obligationis, opus promissum posuisset; quia quisque censetur habere prius voluntatem obligationibus satisfaciendi, quam aliquid supererogatorium faciendi. Si quis autem audiendo Sacrum die Dominica intenderet tum præcepto Ecclesiæ non satisfacere, et alii Missæ assistere, nihilominus satisfaceret primam Missam audiendo, quia præceptum non a propria voluntate oritur. — *V. Comp., de legibus, n.* 103, 104. — *S. Lig., l.* I, *n.* 163; *et l.* III, *n.* 221, *in fine.*

313. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Nego;* quia votum parvitatem materiæ admittit, et Bibiana in re levi votum violavit. Imo votum etiam in re gravi non obligat ultra intentionem voventis; ideo, si vovens voluerit in re gravi se obligare tantum sub levi, et opus promissum omittat, venialiter tantum peccabit. — *V. Comp. n.* 325.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Votum prius emissum servandum est; votum enim illud tempus determinatum afficiens, ligat voventis voluntatem et impedit ne aliam obligationem huic eidem tempori affixam suscipere possit. Ergo secundum votum eo ipso est irritum, quum jam voluntatem diversimode obligatam respiciat; fit enim de re non amplius libera, et proinde de re impossibili.

314. *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirm.* Votum enim illud sane est de *bono meliori,* præsertim pro muliere quæ ad indiscrete vovendum propensa est. Consequenter, si adhuc propria voluntate voveat, invalide vovebit, quum circa hoc voluntatem liberam jam amplius non habeat. — *V. Comp., n.* 330, etc.

CASUS XI

OBLIGATIO VOTI 2°

Vovens ultra postulationem exauditus.

BERNARDUS, vir dives et prole carens, voto promisit exstruere quoddam Sacellum, et Missam perpetuo fundare, si masculina prole bearetur. Adeo fuit exauditus vir bonus, ut successu temporis dubitaverit annon rursus deberet aliud votum emittere, ne prolibus nimium gravaretur. Sacello autem nondum penitus exstructo, diem obiit supremum. Reserato ejus testamento, hæredes, quorum septenarius erat numerus, plura alia legata etiam reperiunt, ex quorum exsecutione notabiliter pars eorum legitima læderetur. Igitur interrogant ad quid teneantur?

Hinc :

QUÆR. 1° *An hæredes* BERNARDI *fuerint obligati ad expensas pro Sacello finiendo, Missaque fundanda?*

2° *An ad hæc et ad cætera pia legata teneantur cum læsione partis legitimæ, et quo ordine hæc exsequenda sint?*

Solutio :

315. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Hæredes BERNARDI *per se* tenentur exsequi votum patris integrum, et pia legata adimplere, si possint. Ratio est, quia, licet vota personalia parentum, ut sunt preces fundendæ, piæ peregrinationes peragendæ, ad hæredes non transeant, si a voventibus adimpleta non fuerint, vota tamen realia seu obligationes solvendi pecuniam, vel quid pecuniæ æquivalens, ad successores in hæreditate spectant; siquidem hæreditatem ipsam afficiunt, ipsique inhærent, seu onere ipsam hæreditatem gravant, cum ex ea persolvenda sint. Nec habendum est ut irritum patris votum, ex eo quod ultra postulationem fuerit exauditus; nam id, quod pe tebat, revera obtinuit.

316. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Quanquam debita patris ex votis seu etiam donationibus totam hæreditatem per se afficiant et gravent; et si solvantur ante patris mortem, nihil (saltem si moderata ea fuerint) detrahant portioni de qua ipse pater legitime occasione mortis disponere potest; tamen, si nec vota impleta fuerint, nec donationes per traditionem perfectæ ante patris obitum, tunc non afficiunt nisi portionem de qua pater testando posset disponere. Hæredes itaque sicut pia defuncti legata, ita et vota non tenentur implere cum læsione portionis suæ legitimæ, quæ ex lege ipsis integra servari debet; et idcirco gravamina omnia, quæ a testatore fiunt in præjudicium legitimæ sive per vota sive per legata pia, nullius sunt roboris. — *Sanch., in Decal., l.* IV, *c.* XV, *n.* 33; *et Elbel, n.* 226, ubi ait : *Ita communissime Doctores.*

2° Quo ordine vero debita a BERNARDO relicta solvenda sint?

Resp. Solutio votorum præferri debet cæteris legatis piis; quia obligatio votorum prius contracta fuit. Si hæreditas libera non sufficiat simul pro

Sacello finiendo et pro Missa fundanda, Sacellum perficiendum est. Hoc ex ipsa rei natura patet; secus enim nullatenus intentioni fundatoris satisfieret. Cæterum, ubi sunt plura vota realia ab hæredibus adimplenda, nec sufficit hæreditas ad omnia persolvenda, omnibus æqualiter *pro rata* satisfaciendum est, quia omnia eodem modo ex virtute religionis obligant. — *Elbel, n.* 226. — *Laymann.* — *Sanch.*

CASUS XII

OBLIGATIO VOTI 3°

GERMANUS *sic pluribus votis satisfecit.*

1° Vovit curare, ut quinque Sacra fiant in honorem B. Virginis : solvit quidem stipendia necessaria; sed Sacerdos qui hæc accepit, antequam Sacra faceret obiit, nec reliquit ut sepeliri posset.

2° Vovit alere pauperem per annum; et obligationem implere intendit, alendo patrem suum in vera necessitate constitutum.

3° Vovit dare centum francos alicui familiæ in necessitate versanti; et postea amicum aliquem rogavit, ut pecuniam hanc pro se erogaret.

4° Vovit piam peregrinationem; cogitavit de ea pedibus peragenda, et curru eam fecit. Alia vice vovit peregrinari equitando; sed cum equum habere non potuisset, peregrinationem omisit.

5° Vovit recitare coronam B. Virginis singulis sabbatis; aliquando autem, voti immemor, coronam ex devotione recitavit, nec postea, licet de voto recordaretur, aliam coronam subjunxit.

Hinc :

QUÆR. *An Germanus in singulis obligationi susceptæ satisfecerit ?*

Solutio :

317. — *Resp. In primo casu,* GERMANUS voto satisfecit, licet sciat Missas non fuisse lectas, neque legendas esse; quia, quantum de se erat, curavit, uti fieri solet, ut legerentur, nec se obligavit ad certum eventum secuturum. — *Reuter, n.* 345.

In secundo casu, votum non adimplevit, quia censetur vovisse eleemosynam, et aliquid non jam debitum; filius autem, saltem ex pietate, tenetur alere parentem. Satisfaceret tamen, si aleret aliquem cognatum pauperem, quia hunc alere non tenetur, nisi forte in gravi necessitate. — *Reuter, n.* 345. — *Lacroix, n.* 434.

In tertio casu, GERMANUS satisfecit; quia quod dat alter, fit ejus proprium, et proinde suo solvit quod promiserat. Finis voti fuit succurrere proximo indigenti, seu procurare ut ejus miseria sublevaretur. Porro id præstitit GERMANUS. Ergo non est inquietandus. Secus tamen, si materia voti realis fuisset determinata, v. gr., vovisset dare rem hanc, vel alteram, quia tunc illa in individuo eroganda esset. — *S. Lig. n.* 217. — *V. Comp. n.* 328.

318. — *In quarto casu,* ad primam partem satisfecit, quia, licet cogitaverit de illo modo peregrinandi, illud tamen non fuit objectum voti; cogitatio enim peregrinationis pedestris non inducit obligationem, nisi de ea, etiam fiat promissio. Promisit autem nudam peregrinationem; porro vere peregrinatur. Ergo... Ad secundam partem cessavit obligatio ob impotentiam, licet pedestris hanc peregrinationem peragere valeat. Ratio est, quia tali et non alio modo obligationem suscepit. Ergo, si modus impossibilis fiat, obligatio quoque voti cessat; modus enim ille notabiliter difficultatem itineris minuit. — *Reuter, n.* 345.

In quinto casu, Germanus satisfecit, proinde non fuit obligatus ad aliam coronam B. Virginis recitandam. Ratio est, quia quisque censetur habere intentionem generalem prius satisfaciendi operibus ex obligatione ponendis, quam aliis omnino liberis. Idem de pœnitentia sacramentali dicendum est. *S. Lig. n.* 224. — *Sporer.* — *Sanchez.* — *Lessius.* — *Laymann,* etc.

CASUS XIII

CESSATIO VOTI 1°

1° Polidorus, rerum mundanarum vanitate spreta ac contempta, vovet ingredi intra annum Ordinem Carthusianorum, quod paulo post alacriter perfecit. Verum, decurrente anno novitiatus, tædio altissimæ solitudinis affectus, respicit retro, et adeo se negligenter habet in legibus Ordinis servandis, ut a Superioribus mox dimittatur. Putat autem Polidorus se voto suo satisfecisse.

2° Clitomacus vovet ingredi Religionem, nullum Ordinem in specie mente revolvens. Voti adimplendi gratia, se in sodalitatem Capucinorum contulit, ut in ea regulam experiretur. Verum ex experientia didicit, se huic vitæ generi omnino imparem esse. Quapropter pristinam vitam inter sæculares repetiit, existimans se voto satisfecisse.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam cesset obligatio voti?*

2° *An* Polidorus *a voto liberetur in primo casu? et quid si sponte sua discessisset?*

3° *An* Clitomacus *obligationi satisfecerit in secundo casu?*

Solutio :

319. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Obligatio voti cessat intrinsece per veram ejus adimpletionem, per cessationem causæ moventis, per mutationem materiæ, per impossibilitatem physicam vel moralem illud implendi. Cessat autem extrinsece per dispensationem, irritationem, et commutationem, ut infra dicetur.

320. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Polidorus non censetur satisfecisse voto, si procuravit directe vel indirecte ut ejiceretur; quia tunc non tam ejicitur, quam ipse sua voluntate egreditur, sine rationabili causa. Verum, si absque tali intentione, licet ex fragilitate, aut prava consuetudine, ita se gerat ut

ejici mereatur, nihilominus voto suo satisfecisse judicandus est, quia jam fecit quod promisit, probando Religionem.

2° Si Polidorus sponte discessisset, pariter est distinguendum : si ex rationabili causa discessisset, v. gr., ratione infirmæ valetudinis, vel quia est impar obligationibus monasterii adimplendis, etc., ab obligatione voti liberatur; secus vero, si absque justa causa ad sæculum rediisset. — *Suarez, de Religione, l.* IV, *c.* III, *n.* 9.

321. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Quid de Clitomaco? Major est difficultas. Quapropter non consentiunt Theologi. Hinc duplex datur sententia ratione gravi innixa.

I^a^ Sententia docet eum a voto minime liberari, sed teneri alium Ordinem, imo et plures experiri. Ratio est, quia vovit ingressum in Religionem in genere, proinde obligationem contraxit cum toto Ordinum religiosorum genere. Ergo liberari non potest, quia ab obligatione erga unum tantum Ordinem eximitur; ergo alium Ordinem ingredi debet. Etenim, si familia Capucinorum non ei conveniat, alia familia, v. gr., Dominicanorum, Carmelitarum, Jesuitarum, convenire potest. Attamen a voto censeretur liberatus, postquam quatuor vel quinque Ordines absque successu ingressus fuerit; tunc enim præsumere posset se etiam ad alios Ordines esse ineptum.

II^a^ Sententia, contra, Polidorum ob omni alia obligatione liberat, nisi certo constet hanc fuisse claram et expressam intentionem voventis. Hic enim potuit quidem se obligare ad probandum sæpius in pluribus locis vel Religionibus; sed quoties votum fit simpliciter et ordinario modo, non videtur ita explicanda intentio voventis. Ratio est, quia solum vovet ingredi Religionem; ergo tantum vovet semel ingredi. Nam qui indefinite promittit aliquid agere, v. gr., jejunare, ex vi voti, solum obligatur ad id semel faciendum, quia ad veritatem indefinitam sufficit ut semel in particulari verificetur. Ergo qui semel ingressus est Religionem, et bona conscientia, seu justa de causa non perseveravit, sufficienter votum illud implevit. Ergo ejus obligatio manet exstincta. Præterea onus gravissimum esset, iterum ac sæpius loca vel Religiones probare, et in eis semper de novo novitiatum inchoare; tanta autem obligatio videtur prorsus aliena ab intentione voventium. Idem dicendum est, si non ipse vovens voluntarie egrediatur, sed a Religione ejiciatur, propter eamdem rationem, modo ille bona fide processerit. — *Ita Suarez, de Religione, l.* IV, *c.* III, *n.* 11, etc. — Hæc autem sententia vera probabilitate tum intrinseca tum extrinseca gaudere videtur.

CASUS XIV

CESSATIO VOTI 2°

Claudina vovit aliquam piam peregrinationem quotannis peragendam, et aliquam eleemosynam singulis diebus Dominicis erogandam, necnon jejunium die sabbati servandum. Cum autem postea Religionem fuisset ingressa, rogat suppliciter Confessarium ut sibi commutet duo priora vota, vel facultatem commutandi obtineat, si ea careat, quia in novo genere vitæ, quod

amplexata est, hujuscemodi vota adimplere nequit. Quod ad jejunium, fideliter illud peragere promittit. Audit autem hæc omnia vota cessare propter ingressum in religionem.

Hinc :

Quær. 1° *An vota privata in sæculo emissa, cessent per Professionem religiosam? Seu, an* Claudina *dispensatione indigeat ?*
2° *Quid si in Religione votum jejunandi renovasset?*

Solutio :

322. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Vota emissa antecedenter cessant reapse per Professionem religiosam; quia, vi Professionis solemnis, omnia vota antecedenter emissa in ipsum Religionis votum mutantur. *Sic ex Jure can. cap. Scripturæ, de voto et votorum redempt.* Ergo Claudina minime commutatione suorum votorum indiguit, quum jam facta fuerit commutatio per ipsam Professionem, etiam circa jejunium, licet illud in Religione servare possit. De hoc plures convenientiæ rationes exhibet *S. Thom.*, 2. 2., *q.* 88, *art.* 12; scilicet : 1° quia ille qui moritur priori vitæ, non tenetur ad ea ad quæ tenebatur in illa vita; 2° quia quodlibet votum in sæculo emissum continetur in voto Religionis, sicut peculiare in universali; 3° quia singulares observantiæ non conveniunt statui religioso.

323. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si Claudina votum jejunandi expresse renovaverit, sciens irritum factum esse per Religionis Professionem, ad illud servandum tenetur; quia in Religione potuit valide et licite ad hanc abstinentiam se obligare, cum hoc non sit regulæ contrarium, neque res prohibita, imo undequaque bona. Si vero ignoraverit obligationem sui voti cessasse, ratihabitio non valet, quia per eam prior obligatio tantum confirmatur et nova non suscipitur. — *Elbel, n.* 253. — *Comitolus, l.* II, *q.* 12.

CASUS XV

CESSATIO VOTI 3°

Hermanus, vir dives et nobilis, prole carens, voto promisit se jejunium die sabbati in honorem B. Virginis perpetuo servaturum, si filio donaretur, vi cujus sua familia reflorescerat. Elapso biennio, Hermanus est quidem prole masculina donatus, sed paulo post per ejus repentinum obitum valde consternatur. Nihilominus bonus Hermanus devotionem cœptam prosecutus est usque ad quadragesimum ætatis annum. Tunc vero, cum nullam aliam prolem obtinuisset, nec obtinendi spem haberet, dubius et anxius est circa voti obligationem. Quapropter a Confessario postulat, utrum in præfata devotione perseverare teneatur?

Hinc :

Quær. *An obligatio voti cessaverit in hoc casu? Seu, an* Hermanus *a voto suo solvatur ?*

Solutio :

324. — *Resp.* Hermanus a voto suo prorsus fuit liberatus. Ratio est, quia votum sub conditione tantum emissum fuit, scilicet : si Deus ipsi concederet filium, vi cujus familia reflorescerat; atqui hæc conditio non fuit adimpleta, cum natus filius, paulo post mortuus sit : ergo votum utpote conditionatum, non verificata conditione, cessat obligare.

325. — *Objicies :* Votum non censetur conditionatum, sed potius sic factum, ut Deus moveretur ad filium Hermano concedendum. Ergo obligatione voti adhuc premitur.

Resp. Neg. ant. Nam, si ad formam verborum attendatur, evidenter patet votum esse conditionatum. Insuper, si res dubia foret, nihilominus Hermanus ab obligatione liberandus esset, quia odia seu odiosa sunt restringenda, ut constat ex reg. Juris 15, in Sexto. Ergo bona pace fruatur Hermanus. — *Elbel, de Lege, n.* 424.

CASUS XVI

IRRITATIO VOTORUM 1°

Godilla, 11 annos nata, vovet Religionem ingredi post annum 15, et interim singulis diebus sabbaticis jejunare in honorem B. Virginis pro perseverantia in sancto proposito impetranda. Tum pater ejus, hæc vota rescieus, ea statim irritat; sed paulo post, mortuo patre, Godilla votum renovat de consensu matris, quæ nihilominus post tres annos votum illud et ipsa irritat.

Hinc :

Quær. 1° *Quinam vota irritare possint?*
2° *An vota* Godillæ *irritata fuerint, tum a patre, tum a matre?*

Solutio :

326. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Vota *directe* irritare possunt de jure naturali et divino Superiores qui potestatem dominativam habent in voluntatem subditorum, ut sunt Superiores regulares relative ad inferiores, qui ipsis vi voti obedientiæ perfecte subjacent. De jure autem canonico, vota omnia impuberum, etiam directe, irritari possunt a patre, et, patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et his deficientibus, a matre et probabiliter etiam præsente patre. Effectus autem irritationis directæ cum in ipsam personam voventis cadat, et non tantum in voti materiam, ut irritatio indirecta, est tollere omnem promissionis obligationem, ita ut non reviviscat unquam.

2° Vota *indirecte* irritare possunt Superiores vel domini, quibus materia voti subjicitur, ita ut eorum potestas ex positione hujus materiæ, seu ex voti emissione, lædatur. Hinc maritus irritare potest vota uxoris quæ juri conjugali, vel domus gubernationi præjudicant. Uxor vicissim irritare potest vota famulorum et filiorum quæ obsequium debitum impediunt, imo et vota mariti quæ juribus suis obstarent... Vota autem indirecte irritata reviviscunt quando jam sine alterius præjudicio impleri possunt.

327. — *Resp. ad 2um Quæs.* 1° Vota Godillæ vere a patre irritata fuerunt, cum paterfamilias irritare possit omnia vota filiorum impuberum, ut erat filia 11 annos nata. 2° Potuerunt etiam a matre irritari, licet ab ea approbata fuerint; quia Superior, per consensum voventi concessum, non abdicat potestatem quam in subditos habet. Nec obstat quod mater irritaverit vota filiæ post tres annos, seu quando pubertatem adepta est. Sufficit ut ante pubertatem vota emissa fuerint, sunt enim semper vota ab impubere facta.

CASUS XVII

IRRITATIO VOTORUM 2o

Berta, pia mater, vovet simul cum Bertina, devota filia, jam pubertatis ætatem adepta : 1° aliquam peregrinationem in honorem B. Virginis suscipere intra annum; 2° litanias Lauretanas singulis diebus recitare per totum vitæ curriculum; 3° a jentaculo die sabbati abstinere, quamdiu vires ferent. Titius vero, paterfamilias, rerum moralium haud ignarus, hæc audiens : « Scitote, ait subridendo, omnia hæc vestra vota nullius esse valoris. » Sed, paucis post mensibus, ipse diem supremum obiit.

Hinc :

Quær. 1° *An vota matris et filiæ irritata fuerint ?*
2° *An, mortuo patrefamilias, revixerint?*

Solutio :

328. — *Resp. ad 1um Quæs.* 1° Votum piæ peregrinationis fuit valide irritatum, quia præjudicium evidens contra auctoritatem patrisfamilias inducit.

2° Alia vota, juxta plures, invalide irritantur, quia gubernationi domus minime obsunt. Sed plures etiam Theologi dicunt cum *S. Lig.* maritum probabiliter posse directe irritare vota uxoris. Juxta ipsos, Titius valide irritasset omnia vota Bertæ, non vero Bertinæ.

329. — *Resp. ad 2um Quæs.* 1° Votum piæ peregrinationis certo reviviscit pro Bertina, filia; quia non irritatum est directe a patre, sed tantum indirecte, seu in quantum juri ejus, sive gubernationi familiæ opponebatur. Porro, mortuo patre, jam votum illud juribus ejus opponi nequit. Ergo votum perdurat, seu cessat ejus suspensio, et proinde adhuc urget.

2° An vero reviviscat votum illud pro matre? non liquet. Controvertitur enim inter Theologos, ut modo dictum est. Etenim solutio casus pendet ab illa quæstione, scilicet, an votum fuerit irritatum a Titio directe, vel indirecte. In dubio vero, pro libertate standum est. — *Voit, n.* 600. — *Laymann,* etc. — *V. Comp. n.* 331.

CASUS XVIII

IRRITATIO VOTORUM 3o

1° Adrianus, pupillus annorum 13, vovit se daturum esse calicem certæ Ecclesiæ. Id audiens tutor ejus, votum statim irritat. Adrianus vero novum

votum facit dandi calicem illi Ecclesiæ, quando sui juris plene erit. Sed etiam illud votum a tutore irritatur.

2° Cœlestinus, puer annorum 14, a patre postulat licentiam vovendi piam aliquam peregrinationem. Annuit pater..., sed postea votum illud irritat.

Hinc :

Quær. 1° *An utrumque votum* Adriani *irritatum fuerit?*

2° *An votum* Cœlestini *valide irritatum fuerit a patre, postquam hic consensum suum de voto emittendo dederit?*

Solutio :

330. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia tutor adimplet partes patris ; pater autem ex dispositione Juris canonici irritare potest, etiam directe, omnia vota filiorum impuberum. Nec obstat, 1° quod secundum votum post adeptam pubertatem adimplendum sit, quia ab impubere emissum est. Nec obstat, 2° quod votum factum sit in favorem tertii et forte etiam acceptatum, quia vota impuberis omnia irritari possunt. Igitur, si fiant in favorem tertii, etiam hanc conditionem amplectuntur, scilicet : si pater, vel ille qui tenet ejus locum, consenserit. Proinde, accedente irritatione, obligatio voti corruit, licet invitus ille sit in cujus favorem votum factum est. — *Reuter, n.* 354.

331. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Non obstat enim quod pater prius consensum suum dederit ad votum emittendum, vel illud jam emissum ratum habuerit, quia per consensum non amisit potestatem dominativam. Peccaret saltem venialiter tamen, si absque causa votum a se jam approbatum irritaret. — *S. Lig. n.* 239. — *V. Comp. n.* 331.

CASUS XIX

DISPENSATIO A VOTIS 1°

1° Flavia, puella, animæ prospicere volens, emisit votum ingrediendi in quamdam piam congregationem. Verum postea ad nuptias favorabiles sollicitata, cupit dispensationem a voto suo obtinere, sed nescit a quonam Superiore postulanda sit.

2° Anna, cælebs infirmæ valetudinis, vovet perpetuam castitatem, si sanitati restituatur. Ex infirmitate cum sanata fuisset, advertit se sine mariti auxilio non posse sibi vitæ necessaria procurare. Rem aperit Confessario, qui dicit votum illud a solo Papa solvi posse.

Hinc :

Quær. 1° *Quis a votis dispensare possit?*

2° *A quonam Superiore* Flavia *dispensari valeat?*

3° *An votum* Annæ *fuerit Papæ reservatum?*

Solutio :

332. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Papa potest dispensare a votis quibuscumque. 2° Episcopus vel Prælatus regularis dispensare potest cum suis subditis a votis simplicibus Papæ non reservatis.

Sunt autem reservata : 1° votum castitatis perfectæ et perpetuæ ; 2° votum ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam ; 3° vota piæ peregrinationis Jerosolymam, ad limina Apostolorum Petri et Pauli, et ad S. Jacobum Compostellanum.

333. — *Resp. ad 2^um^ Quæs.* Flavia a solo Papa dispensari posset, si ageretur de Ordine religioso proprie dicto, ut sequitur ex modo dictis. Si vero agatur de simplici congregatione ab Episcopo quidem approbata, non autem a S. Sede recognita et sancita, Flavia solvi potest a voto suo, sive ab Episcopo, sive a Confessario regulari, sive a quolibet delegato ad dispensandum a votis non reservatis.

334. — *Resp. ad 3^um^ Quæs.* seu ad casum Annæ. Erravit Confessarius asserendo votum Annæ a solo Papa solvi posse ; potuit enim ab Episcopo, vel etiam a Confessario regulari commutari. Ratio est, quia votum illud, licet sit perpetuæ castitatis, non est tamen *absolutum*, sed *conditionatum ;* proinde non solus amor castitatis fuit motivum vovendi, sed etiam desiderium recuperandæ sanitatis ; imo principaliter videtur Anna moveri necessitate corporis. Vota autem non censentur reservata, nisi sint *absoluta* et emissa ob solum virtutis aut pietatis amorem, necessitate nulla impellente. Valet quidem votum conditionatum purificata conditione, sed reservationi non subjacet. Ergo casum male solvit Confessarius. — *Ita communiter,* ut asserit *S. Lig., n.* 258. — *V. Comp. n.* 333.

CASUS XX

DISPENSATIO A VOTIS 2°

Florina, puella, annos quindecim nata, votum perpetuæ castitatis emisit. Elapsis autem quinque aut sex annis, fervoris æstu sensim sine sensu imminuto, adauctoque contra mundano amore, inhonestum consortium cum Titio inivit, atque ex illo gravida evasit. Quid misera ? ocius a sancta Sede postulat dispensationem a voto castitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, allegato gemino motivo, scilicet : 1° ut nata proles legitimaretur ; 2° ut maritus posset sublevare matrem Florinæ viduam, infirmam, annosam. Gratia diu exspectata tandem advenit, a Confessario sponsæ applicanda, consueta conditione apposita, scilicet *si preces veritate nitantur.* Sed ecce interea duplex successit inopinatus eventus ! nempe mors tum prolis recens natæ, tum etiam matris Florinæ. En igitur ambages pro Confessario, ad quem litteræ dispensatoriæ remittuntur, quatenus dispensationem exsequi valeat. Dubitat enim utrum cessaverit dispensatio, necne ?

Hinc :

Quær. 1° *An dispensatio cesset in casu ?*

2° *Quid vero, si mors prolis et aviæ evenisset dispensatione jam exsecutioni mandata ?*

Solutio :

335. — *Resp. ad 1^um^ Quæs.* An cesset dispensatio obtenta in hoc casu, in dubium revocari nequit, cum tam proles genita, quam mater vidua,

obierint antequam Confessarius dispensationem exsequeretur. Cessat finis adæquatus seu totalis ejusdem dispensationis : ergo ruit dispensatio, nam Indultum concessum est cum conditione, *si preces veritate nitantur;* atqui, licet fuerit vera gemina causa allegata tempore concessionis gratiæ, jam non est amplius vera quum gratia applicanda est : ergo... Idem absolute tenendum esset, etiamsi conditio in Rescripto expressa non esset, quia semper subauditur, siquidem adest eadem ratio precibus annuendi. Attamen, si Florina matrimonium ineat, illicite quidem, sed valide contrahet, quia votum castitatis etiam perpetuæ non est impedimentum dirimens, sed impediens tantum; verum debitum petere non valebit absque nova dispensatione, quæ tunc ab Episcopo concedi poterit, vel etiam a Confessario regulari, ex privilegiis mendicantibus concessis : si autem alterutra tantum, vel proles, vel alia decessisset, valeret adhuc dispensatio, quia ejus motivum non cessasset adæquate.

336. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Probabilius adhuc valeret dispensatio : ratio est, quia, cum gratia jam concessa fuerit et quidem absolute, non vero ad certum tempus, ut concedi solet infirmis pro esu carnium, non censetur Pontifex velle beneficium retrahere. — *S. Lig. l.* 1, *n.* 196; *l.* 6, *n.* 1132. — *Elbel, de Lege, n.* 456.— *Castropalao, tract.* 3, *disp.* 4, contra *aliquos.* — *V. Comp. n.* 333.

CASUS XXI

DE VOTORUM COMMUTATIONE

Domitilla, virgo adulta, votum emisit singulis sabbatis invisendi quamdam imaginem miraculosam B. Virginis, dimidiæ horæ spatio a domicilio distantem. Postea vero hujus itineris pertæsa, votum istud propria auctoritate in jejunium sabbaticum commutavit. Cum autem vires ad jejunium deficerent, illud in Missam quotidie audiendam immutat; sed cum propter nova negotia tempus ad hoc non suppeteret, obtinuit a Confessario privilegiato, ut illud votum in hebdomadariam confessionem commutaretur. Annuit ille ad cautelam, dicens : « Jam bis cessavit totaliter tuum votum, scilicet quando jejunium et auditio quotidiana Sacri tibi facta sunt impossibilia. »

Hinc :

Quær. 1° *An valida fuerit duplex commutatio ab ipsa* Domitilla *peracta?*

2° *An revera votum in jejunium et auditionem Missæ commutatum cessaverit, ob impossibilitatem utriusque operis ponendi?*

3° *An votum* Domitillæ *potuerit a Confessario in hebdomadariam confessionem commutari?*

4° *An, facta commutatione, potuerit* Domitilla *ad primum opus, seu piam peregrinationem redire?*

Solutio :

337. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia quivis vovens votum suum commutare potest in opus evidenter melius : nam ille qui opus re pro-

missa perfectius peragit, eo ipso servat id quod promiserat; aliunde ex Jure canonico constat; atqui commutatio in jejunium loco brevis peregrinationis et postea in Missam quotidie audiendam, est quid omnino melius : ergo valida fuit utraque commutatio ab ipsamet Domitilla facta. — *S. Lig. n.* 224.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia, quando votum propria auctoritate commutatur, non dissolvitur prior obligatio, sed tantum illi per adimpletionem superabundantem satisfieri potest; secus vero si commutatio a legitima auctoritate peracta fuisset. — *S. Lig. n.* 249.

338. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirm.*, quia Confessarius privilegiatus vota commutare potest, non tantum in opus melius, sed etiam in opus circiter æquale, vel etiam paulo minus : secus enim inutilis foret facultas ipsi concessa, si nihil aliud posset ac ipse vovens; atqui confessio hebdomadaria, utpote animæ voventis valde proficua, non est opus multo minus ac auditio Missæ quotidianæ : ergo. In comparatione enim instituenda, non est tantum attendendum ad rem materialiter spectatam, sed ad ejus utilitatem, etc. Insuper ad commutationem faciendam sufficit ut Confessarius attendat ad primam voti materiam, seu ad peregrinationem, cum in hac sola consistat obligatio, et commutatio novum votum non constituat, sed tantum modum diversum obligationi satisfaciendi; atqui confessio hebdomadaria, imo et menstrua, prædictæ peregrinationi æquivalere potest : ergo... *S. Lig. n.* 244.

339. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirm.*, sive commutatio facta fuerit propria voluntate, sive auctoritate, quia commutatio fit in favorem voventis : ergo, si, facta experientia, malit ad primum opus promissum redire, id liberum esse debet. — *V. Comp. n.* 334 *et seq.* — *S. Lig. n.* 248.

CASUS

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De sanctificatione festorum, de auditione Missæ, de abstinentia ab operibus servilibus, et de causis a Missa et obligatione feriandi excusantibus.

CASUS I

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM

Triphonius, vir forensis, negotiis suæ conditionis non parum implicatus, Missæ privatæ quidem diebus festis sedulo interest; Sacro autem audito, nullo præterea modo, nec mente nec opere, Deo colendo intendit, sed rebus tantum sæcularibus et mundanis studiose attendit. 2° Imo, cum Sacro adest, licet genibus flexis, mentem suam non semel pene integro Sacrificio voluntarie divertit, ad præcipuas tamen Missæ partes velut *in confuso* attendens. 3° Interdum etiam sub Sacri celebratione, licet ad notabiliores Sacrificii actiones attentus, cum quodam suo cliente de suis negotiis sermonem miscuit. Hæc autem omnia in confessione sacramentali candide aperit, interrogans an aliquando contra suam obligationem de festorum celebratione et Missæ auditione graviter deliquerit?

Hinc :

Quær. 1° *An satisfaciat præcepto de festis sanctificandis, qui Missam tantum privatam audit? An vero fideles teneantur ad aliud, nempe ad Missam solemnem vel parochialem, saltem interdum, aut ad Vesperas necnon ad alia pia opera?*

2° *Quænam attentio requiratur ad Missam valide audiendam, an interna aut externa tantum?*

3° *Quid de singulis in casu propositis?*

Solutio :

340. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm. per se* quoad substantiam, scilicet, ita ut a peccato gravi eximatur. Ratio est, quia nihil aliud ab Ecclesia injunctum invenitur. *Ita communiter* contra *aliquos.* Dixi *per se,* quia *per accidens* ad aliud quandoque quis obligari potest, v. gr., ad assistendum concionibus, si instructione necessaria careat, vel si aliquid aliud lege particulari præcipiatur.

Consequenter non datur obligatio, *per se,* neque assistendi Missæ parochiali, neque Officiis vespertinis, nisi ratio specialis urgeat, ut modo dictum est; sed maxime inducendi sunt fideles ut Missæ solemni et Vesperis inter-

veniant, et aliis piis operibus vacent, pro eorum captu et opportunitate. — *Suarez.* — *Elbel,* etc. — *V. Comp. n.* 338 *et seq.*

341. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Utraque sententia *probabilis* est. Hinc argui nequit de peccato mortali ille qui notabili parte Missæ, vel etiam toto tempore voluntarias admittit distractiones, si nihil faciat externe quo attentio impediatur, et sufficienter ad ejus præcipuas partes advertat quid fiat. — *S. Lig.* hoc tenet ut probabile, *n.* 313, cum *Lacroix,* — *Lugo,* etc. — *V. Comp. n.* 345.

342. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. In primo casu* graviter non peccavit Triphonius Missam privatam tantum audiens, ut dictum est. *In secundo casu* probabiliter neque gravis peccati reus evasit, sed venialiter, et forte multoties, peccavit. *In tertio casu* peccasset graviter, si ita cum socio confabulatus esset, ut omnino impediretur attentio ad Missam; hoc tamen non supponitur in casu, cum dicatur Triphonius ad præcipuas Sacrificii partes attendisse.

CASUS II

AUDITIO MISSÆ 1°

Lucianus, pharmacopola, negotiis suæ artis irretitus, sæpe diebus festis Missæ integræ non interest. Interdum enim vel *Epistola,* aut *Evangelio* perlecto, vel *Credo* absoluto, ad Sacrum accedit; interdum autem, vix peracta Sacerdotis Communione, e templo discedit. Die quadam festiva, cum Sacro interesset, ab amico rogatur ut quoddam ei pharmacum præbeat. Abit ille ante Consecrationem, votis amici satisfacturus. Redit vero, non solum expleto illo Sacro, sed dum alius Sacerdos esset consecraturus, adeoque duas Missæ partes eo die a duobus *successive* Sacerdotibus audivit. Tempore autem paschali Lucianus noster provolvitur ad Confessarii pedes, ut integrum conscientiæ statum aperiat, et memoratas supra circumstantias exponit. Quid de his judicabit pater spiritualis?

Hinc :

Quær. 1° *An missa integra audienda sit ex præcepto Ecclesiæ?*
3° *Quænam pars deficiens censenda sit gravis vel levis?*
3° *Quid de singulis in casu sentiendum?*

Solutio :

343. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Licet enim actio proprie sacra consistat tantum ab initio Canonis usque ad Communionem inclusive, ea tamen quæ præcedunt et subsequuntur etiam, ut partes integrales Missæ, præcipiuntur, et *sub gravi,* quidem, *per se,* quia constituunt materiam præcepti gravem.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Omissio notabilis partis Missæ est gravis, seu peccatum mortale constituit. Quænam autem pars Missæ sit notabilis, non facile determinari potest : tertia pars juxta omnes est certe notabilis; sed pars notabilis non tantum ex diuturnitate, sed maxime ex dignitate dijudicanda est. Hinc omissio utriusque Consecrationis gravis merito reputatur.

344. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Non peccavit graviter Lucianus, sed venialiter tantum, cum, perlecta Epistola, ad Sacrum accessit, imo probabiliter, absoluto Evangelio dummodo ante Offertorium advenerit. *S. Lig. n.* 310. — *V. Comp. n.* 342.

2° Controvertitur vero utrum graviter peccaverit omittendo omnia quæ Evangelium præcedunt, et simul omnia quæ Communionem subsequuntur. Probabilius autem venialiter tantum peccasset omittendo omnia ante Epistolam, et omnia Communionem sequentia. *S. Lig. ibid.* cum *Suarez*, etc.

3° Probabiliter præcepto Ecclesiæ satisfecit duas dimidias Missas successive audiendo, prout in casu, quia integro Sacro interfuit. — *S. Lig. n.* 311, *et alii* contra *plures.* — Non tamen satisfecisset, si Consecratio et Communio in eadem parte non convenissent, quia reapse Sacrificio non interfuisset; Sacrificium enim non dividitur. Ecclesia autem fidelibus præcipit, ut integro et perfecto Sacrificio assistant. — *V. Comp. n.* 342 *et seq.*

CASUS III

AUDITIO MISSÆ 2°

Guido, Missam die Dominica auditurus, occurrente casu, invenit medium quam brevissime obligationi satisfaciendi. Etenim, dum advenit ad Ecclesiam, ecce duos celebrantes ad altare cernit, quorum unus Sacrum inchoat, et alter jam dimidiam partem cæremoniæ sacræ peregit. Quid tum Guido? Ad utrumque simul attendit, et integram Missam ex diversis partibus duplicis Sacri eodem tempore peracti audivit. De bono successu gaudens, rem subinde narravit sociis, exoptans ut casus similis frequenter recurreret.

Alio die festo, cum post Consecrationem tantum ad Ecclesiam advenisset, nec aliud Sacrum celebrandum superesset, statim recessit, ex eo quod substantiæ Sacrificii jam interesse non posset.

Hinc :

Quær. 1° *An* Guido *satisfecerit obligationi suæ, duas dimidias partes Missæ a diversis Sacerdotibus simul audiendo?*

2° *An peccaverit graviter, partem reliquam Missæ, quam audire poterat, omittendo?*

Solutio :

345. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Minime gentium. Ratio est, quia sic notabiliter imminuitur opus ab Ecclesia præceptum. Etenim, si hoc admitteretur, posset quis audire Missam tempore quinque minutorum, v. gr., in magna Ecclesia, dum quatuor Missæ simul celebrantur, et Sacerdotes singuli ad diversam partem Sacri pervenerunt; quod absurdum est. Constat præterea ex propositione 53^a^ ab *Innoc. XI* damnata, quæ sic jacet : *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

346. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmant quidam,* quia, aiunt, licet Sacrificio interesse non possit, omittit tamen partem notabilem cæremoniæ sacræ ab Ecclesia præscriptæ.

Attamen opposita sententia est etiam probabilis, quia deficit essentia Sacrificii. Suadendum autem est fidelibus ut, eam saltem partem audiendo, diem festum sanctificent. — *V. Comp. n.* 343.

CASUS IV

CAUSÆ A MISSA EXCUSANTES 1°

Cornelio, Confessario, die quodam festo confessiones excipienti, nescio quo casu, vel dicam potius qua providentia, occurrunt pene innumeri pœnitentes, dubia vel prætextus de omissa Sacri auditione exponentes. Inter alios adveniunt :

1° Bertina, ancilla, raro interveniens Sacro, quia domum custodit, curam infantuli suscipit, victumque domesticum præparare debet.

2° Titiolus, adolescentulus famulus, Missam frequenter omittens, quia pascendo gregi invigilare debet.

3° Robertus, caupo, qui pluries omisit Sacrum, quia propter assiduos hospites, febricitante uxore, non potuit tabernam deserere.

4° Mathurinus, mercator, qui semel vel iterum Missam omisit, gravi detentus negotio, ex quo sibi pingue lucrum erat sperandum, vel saltem damnum præcavendum.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sint causæ excusantes a Missa?*
2° *Quid de singulis judicabit* Cornelius?

Solutio :

347. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Excusant a Missa audienda diebus Dominicis et festis, non solum impotentia physica et moralis, sed etiam causa mediocriter gravis, quæ involvit notabile incommodum in bonis animæ, vel corporis, aut bonorum. Excusat quoque causa caritatis, nempe, ad succurrendum proximo in aliqua necessitate versanti, v. gr., ad custodiendum et curandum ægrotum, etc. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quæ est optima legum interpres. — *Ita communiter S. Lig. n.* 324. — *Lacroix, n.* 671. — *V. Comp. n.* 351.

348. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Sic Cornelio judicandum :

In primo et secundo casu : a peccato excusandi ancilla atque famulus, quia, officio coacti, legitime impediuntur. Attamen, si impedimentum perdurare deberet, alius herus illis esset quærendus, si absque gravi difficultate id fieri posset.

Facile autem peccabunt eorum domini, si curare possint ut domestici sæpius Sacro et concionibus interveniant. Eorum conscientia hac obligatione graviter oneratur : multum cupienti generatim media non desunt.

In tertio casu : excusandus a peccato Robertus, caupo, si uxorem ægrotantem deserere nequeat, nec alii sint qui alio tempore præcepto satisfacere possint et curam uxoris suscipiant, dum ipse vicissim Sacro intererit. Ratio autem tabernæ custodiendæ ut hospites confluant, non sufficit, præ-

sertim si unicum sit Sacrum in hoc loco; tum tabernam claudere debet ut ipse et alii Missam audire queant.

349. — *In quarto casu :* excusandus est probabiliter Mathurinus, sed a periculo hallucinationis caveat. Quot enim inveniuntur qui, lucro inhiantes, sine causa sufficienti præcepta Ecclesiæ omittunt!

CASUS V

CAUSÆ A MISSA EXCUSANTES 2°

1° Aquilinus, auriga, seu dux currus publici, fere nunquam Missæ intervenit, quia in percurrendo velociter itinere die noctuque quin consistere possit, excepto brevi tempore ad corporalem refectionem necessario, totus quantus impenditur. Quod si otium aliquod alterna quaque die obtineat, somno carpendo indulgere debet.

2° Geruntius, senex, Sacrum frequenter omittit, quia pedibus suis vix regi potest, et una circiter hora ab Ecclesia distat. Imo prohibet ne filius vini plus æquo amans, et filia procax ad Missam audiendam pergant, quando non valet eos comitari, ne occasionibus peccandi exponantur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Aquilinus *censeatur semper a Missa excusatus?*
2° *Quid de* Geruntio *statuendum?*

Solutio :

350. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Difficile est ut in omnibus Aquilinus excusetur. Etenim non semper in medio itinere versatur, et si horam unam de somno bis vel semel in mense subtrahat, ut præceptum Ecclesiæ grave adimpleat, hoc parum corporis sanitati nocebit, ac plurimum animæ saluti proderit. Multis quidem impedimentis irretiuntur hujusmodi cursores et alii similes innumeri; sed, contracta consuetudine præcepta omittendi, meris prætextibus sæpe fulciuntur, ad *excusandas excusationes in peccatis.*

351. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Facilius vero cum bono Geruntio indulgentia habenda est; etenim ætas annosa, locorum distantia, et sæpe temporis inclementia, causæ sufficientes sunt cur senex a præcepto Ecclesiæ eximatur. Videat tamen num fortasse quandoque equo, vel currui insidens, ad Ecclesiam tendere possit. Excusari etiam potest *per se,* saltem quandoque, ex eo quod filium, et filiam, ob allatam rationem, impediat ne et ipsi ad Missam audiendam abeant; sed caveat ab aliorum scandalo, si eos sæpe cohibeat; videat an alium committere non possit, qui in eos invigilet. — *V. Comp., n.* 351 *et seq.*

Nota. Inquire ab iis qui de variis prætextibus Missam præceptam omittunt, utrum tot omissiones ægre tulerint; si eos indifferentes reperias, valde tibi præsumendum est eos non semper culpa vacasse.

CASUS VI

OPERA DIE FESTO PROHIBITA

Daniel, sartor, vir conscientiæ parum meticulosæ, jubet sæpe sex sociis, seu famulis suis, ut laborent per horam integram, secreto tamen, die Dominica; et ipse cum eis ad laborem incumbit, ratus se graviter non peccare, quia neque ipse, neque alius quispiam jussu suo, per tempus notabile laborat. Solet etiam, absque scrupulo, labori vacare cum suis, per tres vel quatuor horas post mediam noctem, incipiente die Dominica, aut vespere, nocte recurrente, quia, ait, tempus nocturnum moraliter ad diem festum non pertinet, licet physice dies a media nocte ad mediam noctem computetur.

Hinc :

Quær. 1° *Quodnam tempus, in laborando die festo, ad peccatum mortale requiratur?*

2° *An* Daniel *graviter peccaverit jubendo sex operariis, ut per horam laborarent die Dominica?*

3° *An a peccato gravi excusari possit, ex eo quod tempore nocturno festorum diu laboraverit?*

Solutio :

352. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur.* Sed, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, non est peccatum mortale, secluso scandalo, si labor non protrahatur aliquantulum ultra duas horas. *Ita S. Lig. n.* 305. Imo, referente *S. Ligorio*, nec contradicente, juxta *Lacroix* et alios multos, labor servilis excedere debet notabiliter duas horas, puta, duas horas cum dimidio.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Affirmant plures, quia idem est ac si mandans ipse laboraret, vel unus e famulis, jussu suo, per sex horas laboraret. Hoc præsertim valet, aiunt, si famuli successive per horam labori indulgeant. Attamen sententia probabilior et communior negat, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera illorum non uniuntur in unum, et singuli venialiter tantum peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos inducendo ad opus sub veniali culpa tantum prohibitum. — *Ita S. Lig. n.* 306.

353. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Vana excusatio a Daniele adducitur. Ecclesia enim præcipit abstinentiam a labore servili, die festo, in honorem et reverentiam diei, nec distinguit inter tempus diurnum et nocturnum.

CASUS VII

CAUSÆ EXCUSANTES LABOREM DIE FESTO 1°

Sartor acutus.

Martinus, sartor, ingenio acutus, facile diebus dominicis, ante auroram et post prandium, arti suæ vacare solet : sive quia urget opus sibi

commissum; sive quia proprias ac suæ familiæ vestes reficere debet, deficiente ad id alio tempore; sive etiam ut otium vitet. Cum a Parocho reprehensus fuisset : « Quid? ait, Pater reverende, nonne melius ago domi « honesto labore me occupando, quam, aliorum more, tabernas frequen- « tando, et poculis exhauriendis vacando? Num, si laborem meum conse- « crarem Ecclesiæ, conficiendo casulas aut paramenta, vel si consuerem « vestes pauperibus distribuendas, quis me reprehenderet? Cur, ergo, « eumdem laborem bono meæ familiæ consecrare non possem? »

Hinc :

Quær. 1° *Quænam causæ excusent a præcepto abstinendi ab operibus servilibus die festo?*

2° *An valeant* Martini *excusationes?*

Solutio :

354. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Tres præcipuæ causæ enumerantur ob quas opera servilia die festo, fiant licita :

1° *Necessitas* sive propria sive aliena, sive animæ sive corporis. Sic excusantur pauperes qui se, vel suos, alere non possunt, modo privatim, secluso scandalo, laborent, etc.

2° *Caritas erga proximum.* Sic licet facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos, laborare pro paupere valde indigente, qui ratione gravis necessitatis sibi laborare posset, etc. — *S. Lig. n.* 292.

3° *Pietas erga Deum.* Sic licet facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum et altare, verrere Ecclesiam, etc.

355. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Acutus sartor, acutus philosophus sane non est; pessime enim ratiocinatur, nec logicæ regulas novit. Etenim, licet melius, aut potius minus malum sit labori servili domi vacare quam tabernas cum bibulis die Dominica frequentare, medium quid tamen datur, scilicet, ut neutrum faciat; utrumque enim reprobandum est. Hinc Martinus non potest diebus festivis vestes conficere, vel resarcire, etiam post prandium, quia labor sartorum est vere servilis. Quod vero spectat ad opera pietatis in Deum vel caritatis in proximum, admitti poterit cum *Tambur., lib.* 4, *c.* 3, § 2, *n.* 18, quod aut vestes sacras aut flores, etc., Dei cultui inservientes, aut pauperum vestes conficiat aut reficiat, etc.; neutiquam vero quod laboret ut lucrum inde proveniens aut Ecclesiis aut pauperibus in communi tribuat. Hujusmodi enim opera nisi in casibus particularibus, urgente gravi aut Ecclesiæ aut pauperis alicujus necessitate, permittuntur. Prius illud consuetudo et sensus fidelium admittunt, non autem hoc postremum. — *Elbel, n.* 406. — *Azor et alii plures.*

CASUS VIII

CAUSÆ EXCUSANTES LABOREM DIE FESTO 2°

Rusticis cujusdam pagi, dum tempore messis segetes in terra jacerent, quadam die Dominica repente visa est ingruere tempestas. Alii subito proprio motu ad segetes colligendas, curribusque et equis in horreum eve-

hendas, præcurrunt. Alii a Parocho facultatem id faciendi petiere. Alii tandem etiam dispensationem petere veriti sunt, et a labore abstinuere. Parochus autem primos graviter objurgavit, cum aliis benigne dispensavit, aliorum vero zelum pro Dei gloria dilaudavit.

Hinc :

Quær. 1° *Quid de ratione agendi rusticorum statuendum?*
2° *Quid vero de Parochi sententia?*
3° *An, stante dispensationis casu, Vicarius, absente Parocho, dispensare possit?*

Solutio :

356. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Si revera adfuit periculum, prout sæpe adest, ne segetes in campo diutius relictæ computrescerent, vel notabile damnum paterentur, rustici, eas die festo colligendo, contra præceptum Ecclesiæ non peccarunt; quia Ecclesia, pia mater, non vult filios cum tanto onere ad præcepta adstringere. Nihilominus, cum labor ille servilis fuerit publice susceptus, et causa exemptionis fortasse aliis fuerit dubia, melius sane egissent si licentiam a Parocho postulassent, modo id absque nimio incommodo facere potuissent, tum ad demonstrandam debitam Ecclesiæ submissionem, tum ad præcavendum omne quoad se hallucinationis, quoad alios vero scandali periculum. — *Elbel, n.* 412.

357. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Parochus videtur paulo severius egisse, parochianos increpando ex eo quod absque licentia, hac urgente necessitate, laboraverint, si revera periculum fuerit grave et proximum. Melius fecisset si prior ipse omnes dispensasset in genere, ne forte plures ex conscientia erronea graviter peccarent. Quid vero si ratio, licet sufficiens ad dispensandum, non sit sufficiens ut lex Ecclesiæ cesset? Parochus tunc cum subditis dispensare poterit, siquidem ex consuetudine legitima dispensare potest, et non tantum legem cessantem declarare; insuper adest causa sufficiens, ut dispensare queat. — *Elbel, n.* 413. — *Azor.* — *Tamburinus, etc.*

358. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Distinguendum est. Vicarius poterit dispensare, si a Parocho habeat potestatem delegatam; secus vero, si hanc non habeat. Attamen, si urgeat necessitas, vel damnum notabile immineat, Vicarius, etiam non delegatus, rusticis dicere potest se de pietate Ecclesiæ pie præsumere, quod nolit eos in tali casu obligari ad legem servandam. Etenim, urgente periculo, et deficiente legitimo Superiore, in re simili, sufficit dispensatio rationabiliter præsumpta, ita ut prudenter credere liceat quod Superior, si præsens esset, dispensaturus foret. — *Elbel, n.* 414, *et alii.*

Nota. In Galliis absque difficultate Vicarius Parochi dispensationem præfatam concedere valeret, quia, vi delegationis episcopalis, est communiter delegatus ad universitatem causarum.

CASUS

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De officiis filiorum erga parentes, parentum erga filios, necnon famulorum in dominos, et vice versa.

CASUS I

OFFICIA FILIORUM IN PARENTES 1°

Gaspar, filiusfamilias, dyscolus, sic confitetur : 1° Sæpe contra obedientiam et reverentiam deliqui erga parentes; 2° pluries eos habui odio; 3° eos pluries graviter ad iram et lacrymas commovi; 4° verbis asperis eos non semel compellavi; 5° semel matrem percussi, sed leviter, et bis contra illam manum levavi, sed non percussi. Illum breviter admonet Confessarius ne iterum talia peragat, et confestim eum absolvit.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo in his peccaverit* Gaspar *contra obedientiam, reverentiam et amorem, cogitatione, verbo et opere?*

2° *An sufficiens sit pœnitentis confessio et Confessarii directio?*

Solutio :

359. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Generatim peccata filiorum contra obedientiam non sunt gravia. Igitur qualis fuerit Gasparis culpa contra obedientiam parentibus, ex rei materia, ex fine præcepti, necnon ex circumstantiis variis colligendum est. Sed, cum filius sit dyscolus, facile præsumi potest eum graviter peccasse.

2° Graviter peccavit contra amorem parentibus debitum, seu contra virtutem pietatis, si eos gravi odio fuerit prosecutus, v. gr., si malum grave eis exoptaverit, si exterius eos oculis torvis diu aspexerit..., etc.

3° Graviter peccavit contra reverentiam erga parentes, *per se*, eos ad iram gravem lacrymasque commovendo, et injuriis eos prosequendo, præsertim si illi non facile ad hæc proni sint; item eos percutiendo, licet leviter, sed modo injurioso, imo etiam manum in eos tantum attollendo.

360. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ex dictis patet filium dyscolum confessionem valde incompletam fecisse, siquidem ex ea colligi pluribus in rebus nequit utrum graviter, nec quoties peccaverit. Proin Confessarius suo muneri non satisfecit interrogationes ad integritatem confessionis necessarias omittendo, et tam facile et tam cito absolvendo, quin monita congrua ad pœnitentis emendationem et illatarum injuriarum reparationem præmise-

rit, nisi parentes condonare censeantur. — *V. Comp., n.* 363 *et seq.* — *Voit, n.* 635.

CASUS II

OFFICIA FILIORUM 2°

Hector, artifex, a patre suo seniculo officinam et instrumenta artificialia et varia mobilia obtinuerat, ea lege ut eidem ad dies vitæ honestam et congruam sustentationem tribueret. Suæ obligationi impense satisfacit filius. Verum parens cum assuevisset frequenter extra solitas refectiones bibere, a filio sæpius pecunias postulat, quibus haustum extraordinarium solvere possit : quod plerumque denegat filius, tum quia non habet superfluam pecuniam ad familiam alendam, tum etiam quia nihil aliud promisit, nisi honestam sustentationem, non vero haustum extraordinarium, præsertim frequenter repetitum. Hinc parens mœstus et mussitans abit in cauponam, ut in poculis tristitiam et tædium sedare queat; ibique pecunia credito collecta, potitat, non quidem in filii sanitatem, nec magis in ejus crumenæ valetudinem, sed potius in utriusque infortunium. Denique senex, relictis pluribus debitis, vitæ valedicit. Creditores vero ab Hectore enixe solutionem postulant.

Hinc :

Quær. 1° *An* Hector *debuerit dare pecunias parenti pro haustu extraordinario?*

2° *An debuerit ejus debita solvere*

Solutio :

361. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Hector non debuit patri suo pro haustu extraordinario solvere, saltem generatim loquendo. Etenim, cum ei honestam sustentationem assiduc præbuerit, tum promissis tum virtuti pietatis satisfecit. Insuper pater nihil amplius exigere debuit a filio artifice, qui labore suo vix familiæ suæ necessaria acquirere potest. Secus dicendum foret, si pater multa bona filio dedisset, vel si hic aliunde bonis abundasset; tunc enim pietas postularet ut aliquid amplius de superfluis patri erogaret. — *Elbel, n.* 541.

362. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Neque tenetur filius ad debita patris solvenda. Ratio est, quia obligatio mutuum solvendi personalis est; porro pater solus, inscio quidem filio, mutuum accipit : ergo filius ad hæc debita solvenda minime tenetur. Secus foret resolvendum, si parens filio multa bona reliquisset; quia, succedens in bona, etiam succedere debet in onera præstanda. — *Elbel, n.* 541.

CASUS III

OFFICIA FILIORUM 3°

1° Agatha, puella, ex honestis orta parentibus, petita in matrimonium a quodam milite, sanguine nobili, animo generoso, aliisque naturæ bonis

potius quam divitiis prædito, libentissime annuit. Parens autem puellæ in oppositam abiit sententiam, et protestatus est se nunquam consensurum nec permissurum esse, ut filia nubat huic militi vagabundo et mille periculis exposito. Verum hæc optimi parentis indignatio non valuit a cœpto proposito Agatham retrahere. E contrario, cum pluries consensum patris juxta legales formas frustra petiisset, matrimonio adeo exoptato, genitore contradicente, copulata est.

2° Eulalia, re mature perpensa, Religionem ingredi statuit. Verum dotem simul et facultatem denegat pater. Sed Eulalia, mentis et cordis dotibus instructa, obtinet ut gratis prorsus in quoddam monasterium admittatur, et ocius, non monito genitore, in illud se recipit.

Hinc :

Quær. 1° *An filii obedire debeant parentibus, ubi de vocatione agitur?*
2° *Quid de* Agatha *et* Eulalia *dicendum?*
3° *Quid Confessario agendum in hoc vel simili casu?*

Solutio :

363. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg. per se,* quia homo in vitæ statu eligendo liber est. Hinc graviter peccant parentes qui filios metu ad aliquem statum amplectendum adigunt; possunt tamen parentes justa de causa filiis obsistere.

364. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Quod ad Agatham, res difficultate non caret. Inducenda tamen foret puella ad voluntati patris omnino obtemperandum, vel saltem ad preces enixe iterandas, ut genitorem ad suam sententiam pertraheret. Si neutrum succedit, argui nequit de peccato mortali, quia matrimonium inire vult cum homine digno; imo pater potius noxæ gravis damnandus esset, quia filiam sine justa causa ab honesto connubio impedit; a fortiori id foret asserendum, si illa jam ex consortio cum milite gravida evasisset.

2° Quod ad Eulaliam : absolvenda est, quia statum religiosum ad quem se sentiebat vocatam non est amplexata nisi re mature et diu perpensa, et facultate prius reverenter petita; nec damnanda quod, cum aliud medium ei non suppeteret voluntati divinæ obsequendi, clam aufugerit; sed gravis peccati damnandus est pater, injuste obsistens ac dote filiam inique nudans.

365. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Caute a Confessario in ejusmodi casibus procedendum; conetur omnia utrinque prudenter et suaviter componere, ita ut vel pœnitens nuptiis intentis renuntiet, vel parentes in suam partem adducat. Generatim dissuadenda sunt ejusmodi connubia contra voluntatem parentum, cæco amore potius quam sana ratione contrahenda. Plerumque enim sponsi qui, inordinato libidinis æstu ducti, nuptiis inhiant, infelicem sortiuntur exitum; siquidem, ut lugenda constat experientia, amor ille vesanus, quo primum feruntur, in odium cito et levi de causa converti solet.

Nihilominus, si Confessarius advertat pœnitentes nullis rationibus dissuaderi posse, eosque magnis periculis exponendos fore si a matrimonio impediantur, ipsis indulgere potest, saltem se *permissive* habendo. Si vero

justis de causis parentes matrimonio filiorum obstent, horum contumaciæ Sacerdos connivere non potest. — *V. Comp., n.* 369; *et tom.* II, *n.* 150. — *Elbel, n.* 544.

CASUS IV

OFFICIA FILIORUM 4°

Balduina, matrimonio conjuncta, parenti pauperculo et infirmitatibus variis obruto, quasi continuo deservire cogitur, sed etiam simul ei marito austero et iracundo obsequendum est. Si genitori inserviat, in mariti indignationem incurrit, et ab eo objurgatur severius, quod prolibus et aliis rebus domesticis non satis invigilet; quod si marito obtemperet, patris querimonias et dicteria incurrit. Quid misera inter malleum et incudem posita? Ad tantas angustias redacta, Deum exorat ut vel a parente vel a marito eam liberet, et mortem unius vel alterius exoptat, cum non ipsi videatur posse alio modo vitam ducere.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo peccaverit* Balduina ?
2° *Quid ei a Confessario sit præcipiendum et suadendum ?*

Solutio :

366.—*Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Absque dubio Balduina graviter peccavit, et quidem toties quoties mortem sive patris, sive mariti, exoptavit; nisi forte quandoque ex imperfectione actus, seu advertentiæ defectu, excusetur. Ratio est, quia, intuitu hunc infelicem statum, seu malum temporale evadendi, patri vel marito exoptat mortem, quæ malum longe majus est. Ergo graviter contra caritatem et pietatem peccavit. Minime tamen dubitandum est quin in mediis tot ærumnis, seu tot contradictionibus et querelis, quibus impetitur misera mulier, in iram et impatientiam concitata, pluries a gravi peccato excusanda sit, præsertim cum non inimicitiæ, sed meræ abominationis odio impellatur.

367. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Satagendum est Confessario ut Balduinæ addat animum, et ad patientiam promoveat, proposito Christi patientis exemplo, et meritorum inde colligendorum cumulo, subjectaque necessitate pœnitentiæ in hac vita potius quam in altera peragendæ; caveat Confessarius ne mulierem corripiat durioribus verbis, vel ne aspera increpatione jam satis afflictæ afflictionem superaddat. Tandem eam prius præparatam ac dispositam absolutione muniat ac soletur; quod si alias cum iisdem peccatis iterum iterumque redeat, eodem modo, quantum fieri poterit, accipienda et absolutione solvenda erit. — *Vide Comp. n.* 364. — *Elbel, n.* 547.

CASUS V

OFFICIA PARENTUM 1°

Kilianus, numerosæ prolis pater, exiguo cibo, vestituque vix sufficienti uxori et filiis ægre concesso, quidquid labore acquirit ocius inter pocula cum

aliis bibulis dilapidat. Uxori vero adhortanti et lacrymis efflagitanti, ut majorem curam filiorum suscipiat, ait : « Nudus ego ingressus mundum, nudus inde egrediar; a parentibus nihil obtinui, sed labore et industria quæsivi unde me sustentarem. Filii exemplum patris sequantur, et sibimet-ipsis provideant. »

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid parentes teneantur erga filios in ordine temporali?*
2° *An teneantur bona augere, vel intacta servare debeant?*
3° *Ad quid teneantur ratione educationis?*
4° *Quid de* Kiliano *statuendum?*

Solutio :

368. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Tenentur sub gravi parentes in ordine temporali alere filios, et sustentare modo familiæ congruo, necnon eis procurare statum in quo honeste pro conditione sua vivere possint.

Resp. ad 2^um *Quæs.* Diligentiam saltem mediocrem adhibere debent, ut bona sua pro filiis servent, imo et alia etiam acquirant, ex quibus filiis in futurum provideant. Constat ex jure naturali, necnon ex Apost. 2. *Corinth.* 12, 14 : *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

369. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Majori obligatione urgentur adhuc parentes, ut educationem spiritualem filiis procurent : *Anima* enim *plus est quam esca. Luc.* 12, 23. Id etiam eruitur ex verbis Apostoli, 1. *Tim.* 5, 8 : *Si quis suorum... curam non habet..., est infideli deterior.* Adde alia plura Scripturæ sacræ testimonia.

Resp. ad 4^um *Quæs.* Kilianus graviter contra pietatem peccavit, nec inde excusari potest, quod nudus mundum ingressus fuerit, nihil a parentibus acceperit; etenim attendendum non est ad id quod parentes Kiliani fecerint, sed ad id quod facere debuissent, si potuissent, et quod et ipse paterfamilias de jure naturæ præstare debuerit.

CASUS VI

OFFICIA PARENTUM 2°

Mathurinus, *impius paterfamilias,* sedulo providet filiis circa temporalia, sed satis incurius apparet circa debitam eorumdem educationem. Natu majorem, christiana instructione prorsus destitutum, secum in negotiis peragendis adhibet; alium in officina a juvenibus dyscolis frequentata, artis discendæ causa, collocat; tertium collegio ratione morum et Fidei minime tuto committit, uxore frustra renitente, dehortante et dictitante ibi esse cathedram pestilentiæ ac fomentum iniquitatis.

Hinc :

Quær. *Quid de* Mathurino *dicendum in singulis casibus?*

Solutio :

370. — *Resp.* Mathurinus damnandus sane est de peccato mortali propter agendi rationem relative ad singulos filios : 1° quia non curavit ut natu major instructione sufficienti imbueretur; 2° quia alterum cum juvenibus dissolutis in officina immorali collocavit; 3° quia tertium filium Satanæ tradidit, eum collegio, ubi sedes ejus est, committendo. « O Mathurine ! crudelis et impie pater! siccine filios genuisti, ut eos in æternum Orco devoveres! Sanguis eorum clamat in cœlum! Animam pro anima requiret a te Deus justus judex! » — Hac vel simili adhortatione Confessarius Mathurinum increpare poterit. Heu! quot cernuntur hisce temporibus parentes, qui, anima filiorum prorsus neglecta, unice ad eorum commoda temporalia attendunt!

CASUS VII

OFFICIA FAMULORUM

Ernestus, famulus, herum suum sæpe acerbe alloquitur, irridet, detractione offendit, ejusque præcepta prætermittit. Domino absente, labori sæpius pepercit; tandem, cum dominus partem stipendii subtraxisset ex eo quod per notabile tempus ægrotaset, occulte se compensavit.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam officia famulorum?*
2° *Quomodo peccaverit* Ernestus ?
3° *Quid, si famulus ante finem anni discedat?*

Solutio :

371. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Famuli dominis præstare debent obsequium et obedientiam in iis omnibus ad quæ vi contractus se obligarunt, et in iis quæ ad mores spectant. Obligationes autem illæ, *per se,* sub gravi urgent; quare peccati mortalis rei evadere possunt famuli, si eas in materia gravi violent, v. gr., si dominos aspernentur, illorum defectus occultos manifestent, si insolenter ipsis respondeant, præceptum laborem notabili tempore omittant, etc. etc.

372. — *Resp. ad* 2^am^ *Quæs.* Ernestus *per se* in his omnibus graviter peccavit, nisi ex materiæ levitate, vel actus imperfectione, ut facile evenire potest, excusetur. Solutio plerumque ex solis circumstantiis pendet. Ernestus sibi compensare non potuit de stipendii subtractione facta, ob morbum diuturnum quo detentus est. Herus enim pro obsequio non præstito non tenetur solvere mercedem, imo sumptus pro curatione factos repetere potest; si tamen morbus sit levis et sumptus leves, herus nihil retinere debet. — *S. Lig. n.* 342 *et* 864.

373. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si famulus ante finem anni discedat, *per se* jus habet ad salarium fere pro rata temporis famulatus, paulo minus tamen; sed si dominus grave detrimentum patiatur ex discessu famuli, partem proportionatam stipendii retinere potest. — *S. Lig. n.* 345.

CASUS VIII

OFFICIA DOMINORUM

Titius, vir propriæ salutis incurius, famulorum nullam moralem curam habet. In ipsos nullatenus invigilat. Domestici diversi sexus liberiora consortia inter se et cum externis habent; Missam et concionem die Dominica omittunt; tempore Paschali neque ad confitendum, neque ad communicandum accedunt. Hæc omnia cernit Titius et tacet.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sint officia dominorum?*
2° *Quid de* Titio *dicendum?*

Solutio :

374. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Domini tenentur famulos suos benigne tractare, id est decenter et humane cum eis egere, alimenta convenientia ipsis tribuere, nec plus æquo operibus eos gravare. Debent quoque eos instruere, per se vel per alios, in rebus ad salutem necessariis, eosque corripere quoties ad eorum emendationem opus est. Dominus enim est caput famulorum, sicut totius familiæ; capiti autem recta ordinatio incumbit. Insuper a dominis justa merces famulis retribuenda est, ut obligationi justitiæ et æquitatis naturalis satisfiat.

375. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Titius, herus malus, imo pessimus habendus est, et multis mortalibus peccatis irretitur; in singulis enim casibus enuntiatis graviter deliquit. Nam domini locum parentum erga famulos tenent, et fere ut proprios filios quoad officia spiritualia curare debent. Heu! quot domini nostris temporibus Titio similes! quot domini, ob neglectam domesticorum curam, æternum patientur incendium! Ait enim Apost. 1. *Tim.* 5, 8 : *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Loquitur quidem Apostolus de omnibus qui ad familiam pertinent et patrifamilias subsunt, sed eo ipso famuli et servi inter *domesticos* adscribi debent.

CASUS

DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De occisione sui indirecta. — De occisione aggressoris vitæ, bonorum, famæ. — De abortu. — De duello. — De bello.

CASUS I

OCCISIO SUI INDIRECTA 1°

Gordianus, fur et latro insignis, captus et in altissima turri inclusus, capitis pœnam merito timens, e carcere statuit exire, et imminenti morti se eripere. Perfracto igitur et terebrato muro, sese dimittit fune quodam, qui ne medietatem quidem turris æquabat, inde in terram prosiliturus, non obstante evidentissimo vitæ discrimine, ut certam mortem a sententia judicis imminentem effugeret. Ast infeliciter admodum successit eventus. Vix enim funem cratibus ferreis affixum apprehendit, ut, eo rupto, ab altissima turri decidendo, sibi cervicem fregerit, et animam efflaverit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quando liceat se indirecte occidere, seu certo mortis periculo se exponere?*

2° *An in casu graviter peccaverit* Gordianus ?

3° *Quid si actum fuisset, non quidem de morte vitanda, sed de carcere durissimo effugiendo?*

Solutio :

376. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Certum est nunquam esse licitum se directe occidere; si vero veneramur aliquos qui hoc fecerunt, dicendum est eos id fecisse ex inspiratione divina. — *S. Lig. l.* 4, *n.* 367. Licet vero aliquando se indirecte occidere, id est aliquid facere vel omittere ex quo, præter intentionem, mors secutura sit. Ratio est, quia præceptum servandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter aliquam necessitatem, vel maximam utilitatem, scilicet quando, ex actione periculosa quæ ponitur, alius effectus bonus, qui periculum compenset, immediate sequitur et ab agente intenditur; tunc enim mors suiipsius permittitur quidem, non vero procuratur. — *S. Lig. n.* 366 *et* 367. — *Recole dicta de act. hum., n.* 7, *et seq.* — *V. Comp. n.* 9 *et* 389.

377. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia Gordianus desiliendo non intendit seipsum occidere, sed potius mortem ex sententia judicis imminentem evadere : etenim, licet desilire nequeat absque evidenti mortis

discrimine, nihilominus desiliens, per hoc non censetur voluisse seipsum occidere, sed infame potius mortis supplicium evadere. Hinc potest quis ex incensa domo per fenestram prosilire, vel ex conflagrante navi in mare se conjicere, non quidem ad mortem petendam, sed ad duriorem evadendam. *Elbel, n.* 13. — *Sættler, de* 5° *Præc. art.* 1, *quæs.* 2.

378. — *Objicies :* Ergo, ad mortem duriorem evadendam, Gordiano licuisset etiam seipsum gladio transfigere?

Resp. Neg. Nam ille qui transfigit seipsum, suiipsius mortem directe assumit et intendit tanquam medium ad mortem duriorem evadendam : e contrario, qui prosilit e fenestra, vel e navi, minime suiipsius necem intendit, sed majoris periculi fugam : si vero mors sequatur, *per accidens* præter fugientis intentionem accidet. Revera, si quis in aliis circumstantiis id faceret, merito quidem de voluntate se interficiendi argueretur; si quis autem id faciat mortis durioris necessitate compulsus, argui nequit quod propriam mortem intenderit. — *Elbel, n.* 14.

379. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Etiam tunc probabiliter de peccato gravi damnandus non esset Gordianus, quia in his circumstantiis prosiliendo non intenderet seipsum occidere, sed tantum per fugam se liberare a squalore perpetui carceris, sæpe morte ipsa duriore. — *Elbel, n.* 16, *cum Bonacina.* — *Sporer.* — *V. Comp. n.* 389.

CASUS II

OCCISIO SUI INDIRECTA 2°

Audifacius, gravissimi criminis reus, et capite plectendus, dum esset ad supplicium cum aliis damnatis jam deductus, in cubiculo quodam cum Confessario constituitur, dum ministri justitiæ circa alios morte plectendos detinebantur. Advertit Audifacius januam cubiculi non esse obseratam. « Pater, ait Confessario, haberem nunc optimam occasionem effugiendi et « extremum supplicium evadendi. Quid mihi suades? Fugiam, vel hic « adstabo mortem exspectans, et infame supplicium subiturus? » Confessarius, ad hanc inopinatam quæstionem attonitus, respondit : « Fac quidquid tibi placet; si effugeris, non te detinebo. » — Verum, paulo post : « Hic remanebo, inquit Audifacius, et pœnam quam meritus sum, in peccatorum pœnitentiam subibo. »

Hinc :

Quær. 1° *An* Audifacius *potuerit licite sive fugere, sive mortem exspectare?*

2° *An recte responderit Confessarius?*

3° *An Confessarius irregularitatem incurrisset, si reum induxisset ad remanendum?*

4° *An sontes possint se supplicio offerre?*

Solutio :

380. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Utrumque potuit; etenim :

1° Potuit fugere, quia damnatus ad mortem, supplicium infame cum facile vitare queat, exspectare non tenetur, siquidem hoc heroicum est; actus autem heroici *per se* sub lege non cadunt.

2° Potuit etiam remanere, quia quivis damnatus aut damnandus ad mortem potest, amore justitiæ, se judicis sententiæ conformare.

381. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Etenim ex dictis Audifacius potuit vel fugere, vel remanere, ut mortem exspectaret; ergo libertatem ac electionem ei Confessarius concedere potuit.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Neg.*, quia in tali consilio Confessarii nullus apparet defectus *lenitatis*, et illud consilium datum fuisset, illæsa rei libertate, absque respectu directo ad ejus mortem; consilium enim ejusmodi non tendit ex natura sua *directe* ad mortem, sed *indirecte* tantum, et velut *per accidens*. Ita saltem probabilius et communius. — *S. Lig. l.* 7, *n.* 464 *et seq.*

382. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia reus, se offerendo neci, seipsum non occidit, sed tantum justa de causa vitam producere omittit, vel saltem mortem legitimo motivo sibi inferendam procurat. Hoc autem a recta ratione alienum non censetur; non repugnat enim rectæ rationi, justæ sententiæ executionem procurare ex amore justitiæ, pœnitentiæ, vel etiam æternæ beatitudinis intuitu.

Objicies : Ergo licet se martyrio offerre etiam absque speciali inspiratione, vel gravi causa, ad martyrum aureolam consequendam?

Resp. Neg. paritatem et consequentiam; quia reus, se judici offerendo, nullius peccati causa vel occasio evadit : e contrario, innocens qui sine causa urgenti, vel sine motu speciali gratiæ, se offert tyranno ad martyrium, eum quodammodo ad injustum homicidium allicit; secus vero si id gloria Dei vel propagatio Fidei exigeret. — *Elbel, n.* 18. *V. Comp. n.* 390 *et* 391.

CASUS III

MIRA VIRGINIS INDUSTRIA

Eulalia, virgo pia, et castitatis amantissima, cum die quadam a milite ad luxuriam cogeretur, nec periculum ullo modo evadere posset, sic lascivum hominem effata est : « Audias verbum tantum, et rem miram tibi indicabo. » Consistit ille : « Ecce, inquit Eulalia, si mihi peperceris, do-« cebo te artem vi cujus in bellis lædi non poteris unquam. En ego hoc un-« guento ungo collum meum : tu stringe gladium, percute collum meum, et « certum artis meæ habebis experimentum. » Miles, curiositate et rei novitate captus, rem ocius experitur, et uno ictu amputavit caput Eulaliæ quæ, hac industria, a summo periculo amittendæ virginitatis erepta est.

Hinc :

Quær. 1° *An* Eulalia *licite egerit? seu, an potuerit mortem suam procurare ad castitatem servandam?*

2° *An potuisset ab altissima fenestra se præcipitem dare, ut e manibus impuri violatoris eriperetur?*

Solutio :

383. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg. per se* loquendo, id est, secluso casu cœlestis inspirationis, vel bonæ fidei. Ratio est, quia isto modo occisionem

sui *directe* procuravit, vel eidem *directe* cooperata est. Nunquam autem licet mortem sibi *directe* inferre, vel modo directo morti suæ cooperari. Stante autem casu, ut jacet, *per accidens*, Eulalia ab omni peccato excusanda est, quia optima fide processisse omnino videtur. — *Voit, n.* 662. — *Sættler, de* 5° *Præc. art.* 1. *quæs.* 2.

384. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Tunc enim occisio, si sequeretur, non esset *directe* volita, sed *indirecte* tantum, seu potius permissa : quia objectum proprium et directum voluntatis esset fuga a periculo, et absolute fieri posset ut morti subtraheretur. Sic immunes habentur ab omni peccato suicidii, illi qui, ad flammas incendii effugiendas, ab altissima domo se deorsum demittunt. *Recole dicta ad primum casum, n.* 376 *et seq.*

CASUS IV

VITA VOLUNTARIE BREVIATA

Anselmus, Carthusianus, graves cruciatus in suum corpus exercet, parcoque cibo reficitur, prævidens se ideo citius moriturum. Graviter autem ægrotans recusat medicinas sibi propositas, et omittit manducare carnes, licet medicus eas tanquam medium ad valetudinem recuperandam ei præscripserit.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam media homo tenetur adhibere pro valetudine et vita conservanda ?*

2° *An* Anselmus *peccaverit vitam abbreviando per corporis cruciatus, et cibi abstinentiam ?*

3° *An peccaverit recusando medicinas et carnes sibi a medico præscriptas ?*

Solutio :

385. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Homo adhibere tenetur media ordinaria pro vita sua conservanda, quia non habet dominium directum, sed tantum utile vitæ suæ. Proinde eam curare debet tanquam fidelis custos et administrator. Non tamen tenetur adhibere media extraordinaria, aut pretiosa, saltem *per se;* quia id officium prudentis administratoris non requirit, et obligatio major nimiis anxietatibus eum exponeret.

386. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia, hoc non obstante, is adhibet curam sufficientem corporis, ut mors non proxime sequi possit. Licet enim carnem vigiliis et inedia moderate affligere, et abstinere etiam a parte cibi communis, quamvis mors citius sequi debeat; quia sic non tollitur, sed non producitur vita, ad quod *per se loquendo* nemo tenetur.

Insuper, utilitas spiritualis exinde proveniens corporali prævalet. Alias tot Sancti graviter peccassent, nedum sanctificati fuissent. Peccarent etiam tot homines qui per artes laboriosas, v. gr., in fodinis, in officinis ferreis, vitreis, etc..., vitam consumunt et abbreviant. Hinc potest quis Religionem ingredi, licet valetudine debilis, nec tenetur e Novitiatu exire, aut victum a communi diversum petere, neque mutationem loci requirere, licet prævideat vitam suam sic fore abbreviandam. — *S. Lig. n.* 371.

387. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Anselmus, licet ob bonam fidem excusandus sit, non potuit tamen licite respuere medicinas communes, si morbus fuerit non solum gravis, sed periculosus, quia sunt media ordinaria et facile parari queunt. 2° An vero potuerit licite abstinere a carnibus, quibus vitam valeat conservare? Controvertitur : affirmant alii, quia Religiosus ille pro bono communi Ordinis, et ex amore regulæ, bene potest vitam negligere; negant vero alii, quia non apparet in ista abstinentia tantum Ordinis bonum. — *S. Lig.* dicit primam sententiam probabiliorem, *n.* 370 *et in Hom. ap. de quinto Præc. n.* 2. Igitur sub illo respectu minime inquietandus est Anselmus.

CASUS V

OCCISIO INNOCENTIS

Eustachius, belli dux, obsidens urbem, huic excidium minatur, nisi Ugolinus, quem in regem suum esse reum criminis læsæ majestatis existimat, morte plectatur, aut sibi extradatur. Magistratus autem urbis, re perpensa, eum prorsus innocentem reperit. Hæret igitur anceps et anxius, nesciens an licite mandato ducis obtemperare possit. Interea Eustachius pergit oppugnare urbem, et innocentes non pauci occiduntur.

Hinc :

Quær. 1° *An magistratus potuerit plectere* Ugolinum *capitali supplicio, aut saltem eum extradere?*

2° *An* Eustachius *peccaverit occidendo innocentes in urbis expugnatione?*

Solutio :

388. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Non potuit eum occidere. Ratio est, quia nunquam licet directa intentione occidere innocentem, nisi Deus facultatem concedat. Nec obstat quod sit licitum amputare membrum corporis toti corpori nocivum, quia in casu nostro Ugolinus non est nisi membrum morale communitatis, quod ab ea esse et vivere non accepit, sicut membrum physicum a corpore. Hinc similiter non licet occidere obsides, etsi illi qui eos miserunt non servent fidem, quia sunt innocentes. — *S. Lig. n.* 393.

2° An vero magistratus potuerit innocentem tradere? *Controvertitur.* Alii *negant,* quia esset cooperari ejus morti injustæ. Sed *probabilius affirmant* alii, quia respublica jubere potest ut ipse exeat, et adeat ducem a quo civitas excidenda est, et si nolit exire, eum tradere potest, quia tenetur quisque privatus vitam suam ponere pro republica ab interitu conservanda; sicque, si nolit, fit nocens, et alioquin mors ejus sequitur præter intentionem reipublicæ vel magistratus. — *S. Lig. n.* 393. — *Reuter, part. tertia, n.* 38. — *Lessius.* — *Molina.* — *Layman,* etc...

389. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Generatim licet, quando necessarium est ad urbem justo bello expugnandam, vel victoriam reportandam, tormenta in hanc urbem dirigere, licet in ea sint multi innocentes, quia horum mors præter intentionem sequitur. Proinde in nostro casu a peccato excusandus est Eustachius, licet innocentes plures occiderit urbem expugnando, quia

debuit obtemperare mandato justo principis; fuit autem justum mandatum, si crimen UGOLINI probatum fuerit, licet error in probationibus irrepserit.

CASUS VI

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM AGGRESSOREM 1°

MARTIALIS et HECTOR, milites, imo et duces, nescio qua de causa, litem inter se movent, et verbis asperis contendunt. Verum post verba ventum est ad verbera. HECTOR, sui impotens, coram pluribus viris conspicuis spectantibus, insignem sodali suo inflixit alapam. MARTIALIS pari cum dexteritate argumentum retorsit. Crescebat procella, cum ab aliis mediatoribus duo certantes alius ab alio fuere avulsi. Verum sequenti die MARTIALIS injuriam sibi illatam perferre non valens, in HECTOREM, districto gladio, occurrit. HECTOR autem, ictum præveniens, adversarium vix congredientem transfigendo prostravit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MARTIALIS *peccaverit repercutiendo* HECTOREM, *seu alapam retorquendo?*

2° *An* HECTOR *peccaverit agressorem occidendo in præfatis circumstantiis?*

3° *An liceat injustum aggressorem prævenire ipsius occisione?*

Solutio :

390. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Juxta aliquos non peccavit MARTIALIS alapam retorquendo, quia id postulabat honoris reparatio. Etenim, aiunt, miles qui alapam infligit, huic honorem aufert, ita ut in morali hominum æstimatione percussus habeatur imbellis et effeminatus miles, nisi par pari referat; si vero repercusserit, honorem in æstimatione vulgi recuperat. Sed oppositum tenendum est, ut ait recte *S. Lig. n.* 382. Ratio est, quia : 1° repercutiendo sumitur vindicta; porro dicit Deus : *Mihi vindicta, et ego retribuam.* 2° Quia tali modo verus honor reparari nequit, sed vesanus et vanus honor apud homines improbos tantum reparari dicitur. 3° Quia ista doctrina aperte reprobata videtur in prop. 30ª ab *Inn. XI* damnata, ut asserit *S. Lig. n.* 382. — *Lugo.* — *Viva,* etc. 4° Quia repercussio periculi plena est, siquidem aliam repercussionem provocabit, et inde conflictus lugendus, infensissimæ iræ, et etiam homicidia facile subsequentur, ut in casu nostro accidit. Ergo MARTIALIS omnino de gravi peccato damnandus est.

391. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* HECTOR non peccavit se defendendo in actuali invasione contra injustum aggressorem; omnia enim jura *vim vi repellere permittunt.* Hinc, si non possit propriam vitam tueri, nisi adversarium occidendo, minime incusandus est; secus vero, si potuit se alio modo defendere, v. gr., eum lædendo, etc., quia *moderamen inculpatæ tutelæ* prætermitteret. — *S. Lig. n.* 380. — *V. Comp. n.* 395.

392. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Per se neg.* Ratio est, quia prævenire ini-

micum solum paratum ad aggrediendum, non est defensio, quia nulla est adhuc aggressio. Excipiunt plures casum in quo quis ex aliqua actione novit inimicum esse determinatum ad invadendum, v. gr., si certo sciret illum jam ad hoc parasse arma, etc., nec locus esse fugæ, quia tunc inutiliter exspectaretur aggressio, si jam repelli non amplius possit. — *S. Lig. n.* 687, relata hac sententia, recte concludit eam, etiam cum limitatione apposita, vix in praxi admitti posse, propter hallucinationis periculum, quod in hujusmodi re adesse potest.

CASUS VII

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM INVASOREM 2°

Gerardus, Parochus, auream argenteamque Ecclesiæ suppellectilem domi asservabat in arca bene obserata, cum ea quæ ipsi in proprios usus inserviebat. Hoc duobus furibus innotuit. Ecce intempesta nocte, armis instructi et simulato vultu, in ædem Parochi irrumpunt, et vitam se ei erepturos minantur, nisi sibimetipsis quidquid auri vel argenti domi habet, ocius tradat. Gerardus, in certo vitæ discrimine constitutus, furibus id omne quod requirunt expromere cogitur. Verum Parochus e periculo ereptus, ad rem totam recuperandam, e fenestra tormentum in fures explodit. Heu! frustra. Ex ictu corruit quidem mortuus unus e furibus, sed ille qui res ablatas minime ferebat; alter vero prorsus incolumis cum furto evasit. Die sequenti Missam celebraturus, Gerardus anxius dubitat an fortasse irregularitatem incurrerit. Nihilominus, spreto dubio, Sacrum peragit.

Hinc :

Quær. 1° *An, et quando liceat occidere invasorem bonorum?*
2° *Quid de casu* Gerardi *sentiendum?*
3° *An irregularitatem incurrerit?*

Solutio :

393. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Licet occidere invasorem bonorum magni momenti, si alio modo bona servari nequeant : ita communiter et probabilissime, ait *S. Lig. n.* 383. Ratio est, quia quisque jus habet conservandi bona magni momenti relative ad statum suum, et media ad id absolute necessaria adhibendi. Porro si hoc laicis licitum est, quare Clericis prohiberetur? Etenim, si clericis licitum non esset sicut et aliis, pravis hominibus cresceret animus Clericos bonis suis spoliandi.

2° Quamvis illicitum sit occidere, post factum, injustum invasorem sive vitæ sive bonorum, quia esset vindicta, non vera defensio, licet tamen occidere furem cum re magni pretii aufugientem, si alio modo res recuperari nequeat; quia effectu perdurat aggressio. Ergo etiam Clericis idipsum licebit, cum nulla lege speciali prohibeatur.

394. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Gerardus, Parochus, damnari non potest de peccato homicidii, sicut ejus loco laicus non damnaretur; sequitur ex dictis. Si autem frustra latroni mortem intulerit, illud omnino per accidens evenit: bene igitur fecit dubium spernendo, atque, ex conscientia tamen formata,

Missam celebrando. — *S. Lig. n.* 384. Consulendum tamen ipsi videtur, ut, nisi urgeat aliqua obligatio specialis, ob reverentiam Christo mitissimo debitam, per aliquot dies a celebratione Missæ abstineat.

395. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Gerardus minime irregularitatem incurrit propter homicidium; etenim ex dictis non peccavit : ergo pœnam ob peccatum incurrere non potuit. Hæc enim irregularitas est ex delicto, non vero ex defectu, siquidem irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi ob occisionem quæ fit a ministris justitiæ, vel a militibus in bello justo offensivo, ut ex Jure canonico colligitur; nec obstat quod aliquis Religiosus declaratus fuerit irregularis propter furum occisionem, ut habetur ex cap. *Suscepimus, de homicidio,* quia Religiosus ille excessit moderamen inculpatæ tutelæ, fures jam vinctos occidendo. — *S. Lig. l.* 7, *n.* 389. — *V. Comp. n.* 397.

CASUS VIII

DEFENSIO CONTRA INJUSTUM AGGRESSOREM 3°

Saladinus, vir in suo loco præcipuus, audit, et ex certis indiciis advertit sibi a Gabino parari magnam calumniam. Putans autem non esse aliam viam hanc injuriam propulsandi, quærit occasionem eum occidendi. Paucis post diebus, ecce obvium habet ipsum Gabinum, cui mortem minatur. Gabinus, ut notam ignominiæ non sibi inurat, primum subsistit, animo occidendi Saladinum, licet sine dedecore fugere posset; deinde timens ne ipse succumbat, impingit ei alapam et fugit. Saladinus eum insequitur, et gladio transfodit.

Hinc :

Quær. 1° *An liceat occidere injustum aggressorem famæ, si calumnia alia via impediri non possit?*

2° *An* Gabinus *licite substiterit, aut fugere obligatus fuerit?*

3° *An fugientem* Saladinus *licite sit insecutus, et gladio transfoderit?*

Solutio :

396. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* prorsus. Ratio est, quia talis licentia in maximam reipublicæ perniciem cederet. Homines enim ex sinistro affectu odii, invidiæ, vel judicii præoccupatione, facile sibi persuaderent ab hoc vel illo homine sibi imminere maximum infamiæ periculum, sicque cædibus omnia permiscerentur. Quare, licet aliquando evidens esset gravem tibi imminere infamiam ab alio, quæ alio modo declinari non posset quam occisione agressoris, rectus tamen ordo postularet, ut defensio illa occisiva prohiberetur, quia hac in re homines sibi facile evidentiam fingerent. Constat etiam ex propositione 30^a^ ab *Inn. XI* damnata, quæ sic jacet : *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat. — *S. Lig. n.* 381.

397. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Gabinus non licite substitit ad Saladinum

occidendum, sed fugere debuit. Ratio est, quia aggressio vitæ non erat adhuc actualis, sed minæ tantum intentabantur. Non est autem licita defensio, præsertim mortem inferendo, ubi non est aggressio. Insuper nunquam licet aggressorem etiam vitæ occidere, nisi alia via mors propria vitari nequeat. Sed in casu nostro supererat alia via, nempe fuga capessenda. Potuisset autem GABINUS resistere, etiam defensione occisiva, si fugiens animadvertisset ad periculum sibi imminens, quod jam declinari non posset. — *S. Lig. n.* 387.

398. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Nequaquam. Ratio patet ex dictis. Etenim non poterat GABINUM occidere ad vitandam calumniam, ut in responsione ad 1^um^ Quæsitum jam dictum est; deinde non poterat eum occidere ratione aggressionis actualis, siquidem ille fugit, nec fuit aggressor. Ergo SALADINUS, ut homicidii reus, omnino est damnandus.

CASUS IX

DE ABORTU 1°

GASPAR, medicus, generalem vitæ præteritæ confessionem instituens, sequentia Confessario aperit : 1° se olim cuidam mulieri gravidæ pharmacum dedisse ad conceptionem impediendam, ut gravissimum removeret mortis periculum, quod illi imminere ex experientia noverat : id tamen solum directe intendit, scilicet ut mulieris salutem procuraret; 2° se alteri mulieri gravidæ, alioquin certo perituræ, medicinam salutarem præbuisse ad morbum efficaciter depellendum, sed prævidebat prolem etiam enecandam fore; 3° se mulieri tertiæ, quæ secus in certo mortis periculo versabatur pharmacum præbuisse ad fœtum occidendum, simulque expellendum, ut liberata mater e morbo convalescere posset. Interrogatus vero a Confessario an in hoc postremo casu pro certo haberet, fœtum, etiam secluso pharmaco, absque Baptismo extinctum iri, respondet affirmative, scilicet sibi visum fuisse æquale abortus periculum futurum esse, sive medicinam sumeret mater, sive illa abstineret.

Hinc :

QUÆR. 1° *An aliquando liceat abortum procurare ?*
2° *Quid de singulis casibus sentiendum?*
3° *An* GASPAR *in aliquam censuram inciderit?*

Solutio :

399. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Nunquam licet abortum procurare *directe*, sub quocumque prætextu mortis vitandæ... Ratio est, quia, si fœtus fuerit animatus, est homicidium proprie dictum; si animatus nondum sit, est homicidium anticipatum.

Licet autem aliquando abortum permittere, administrando matri remedia fœtui nociva, si conditiones sequentes concurrant : 1° ut agatur de morbo lethali matris; 2° ut mors infantis non intendatur, neque directe procuretur; ideoque remedia fœtui nociva sint *per se* ad morbum matris curan-

dum *directe* et *immediate* efficacia; 3° ut nulla sit spes Baptismum proli procurandi, v. gr., si certum sit eam simul cum matre morituram. — *S. Lig. n.* 394. — *Lacroix, n.* 826 *et seq.*

400. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu,* peccavit graviter Gaspar, quia jura naturæ graviter violavit, impediendo quominus homo concipi posset; neque verum est eum non intendisse *directe* conceptionem impedire; *mentitur* enim *iniquitas sibi,* siquidem ad hoc expresse remedia dirigit, sicut media ad finem.

In secundo casu, non est reprehendendus Gaspar, dummodo fuerint simul omnes conditiones supra requisitæ.

In tertio casu, peccavit graviter, homicidium verum *directe* patrando : etenim, licet bonum finem sibi proposuerit, volendo matrem e summo periculo liberare, id tamen per remedium de se graviter illicitum attentavit : *non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona,* nec obstat quod proles sit etiam peritura, quia est semper verum homicidium patrare.

401. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Gaspar incurrit tum irregularitatem, tum excommunicationem, *in tertio casu,* si fœtus fuerit animatus, ut censetur esse quando adeo valetudini matris nocivus est. Attamen excommunicatio non est Papæ reservata, sed ab Episcopo absolvi potest. — *V. S. Lig. n.* 395. — *V. Comp. n.* 402 *et seq.* — *V. Constit. Apostol. sedis.*

CASUS X

ABORTUS 2°

Salus matris in jactura prolis.

Pelagia, mulier, a quatuor vel quinque mensibus prægnans, in summo vitæ periculo constituitur, et videtur jamjam animam efflatura. Præter medicum ordinarium, tres alii advocantur consilii capessendi causa. Re sedulo perpensa, sic unanimiter resolvunt : si ope artis medicalis procuretur ejectio fœtus, hic quidem peribit, sed probabiliter poterit baptizari antequam exstinguatur, et mater certo mortis periculo eripietur. E contrario, nisi ita fiat, actum est tum de matre, tum de prole, et hæc beneficio Baptismi carebit. His statutis, concludunt ad abortum procurandum. Eventus prævisionem medicorum probavit : proles enim ejecta, et baptizata, illico exstincta est, et Pelagia salva e tanto periculo evasit.

Hinc :

Quær. *Quid juris? Seu an, stante casu, ut jacet, abortus procurari potuerit?*

Solutio :

402. — *Resp. Neg.* omnino. Nam abortus ex se et ex natura sua est verum homicidium. Assumitur autem et intenditur *in se* a prædictis medicis, tanquam medium ad matrem salvandam; et, ut ipsi aiunt, ad procurandum baptismum prolis; ergo, licet illum ad bonum finem referant, *directe* tamen intendunt atque procurant homicidium; ergo graviter peccant. —

Magnum est igitur discrimen inter casum præsentem et id quod 2° loco proponebatur in casu præcedenti. Quando enim remedium aliquod, seipso, unaque et eadem efficacia, utrumque effectum simul producere potest, sanandi matrem et prolem occidendi, effectus sunt sibi invicem paralleli, unusque non assumitur necessario, re aut intentione, tanquam medium ad alium obtinendum. At vero, quando abortus prius in se intenditur et procuratur, ut ejus ope postea salvetur mater et puer baptizetur, quæritur malum ut eveniat bonum, quod nunquam licuit, neque unquam licebit.

403. — *Objicies* 1° Non intervenit in casu directa occisio fœtus; hic enim tantum amovetur a loco in quo vivere non potest, et statuitur in alio loco in quo magis vitam producere nequit, et proinde in pejori conditione minime constituitur, atque aliunde beneficio Baptismi donari potest.

Resp. Imo et directa intervenit fœtus occisio. — Etenim quibuscumque tandem utamur circumlocutionibus, si quis actione positiva et voluntaria, directe et immediate statuatur in eo loco in quo vi legum naturalium vivere nequeat, v. gr., quia ibi suffocabitur, is vere et directe occiditur, sive reponatur, sive non reponatur in pejori conditione, sive id optima, sive pessima fiat intentione. Quis unquam dicat infirmum jam agonizantem ac certo moriturum, qui projicitur in flumen ne pestem, v. gr., circumstantibus communicet, non vere occidi, eo quod in pejori conditione non constituitur, aut statuitur in loco in quo vitam magis producere nequeat?

Objicies 2° Mater in nostro casu justa de causa mere cessat a vita prolis custodienda. Porro, ut scite observat *Lugo, de justitia et jure, disp.* 10, *n.* 133, mater non tenetur cum tanto vitæ suæ periculo et detrimento fœtum conservare.

Resp. Neg. antec. Neque enim Pelagia mere cessat a vita prolis conservanda, sed ei vitam adimit, procurando actione positiva et voluntaria, ut nondum matura ex utero ejiciatur. Verba autem *Lugonis* non sunt ad rem, cum ipse loco cit. questionem tractet a nostra plane diversam. Id nempe tantum asserit, non teneri matrem cum vitæ suæ periculo et detrimento relinquere, ad fœtum conservandum, remedium, quo *immediate* sanabitur, quamvis *per accidens* secuturus sit abortus.

Objicies 3° Fœtus est injustus aggressor; aut saltem æquiparari potest innocenti, qui, una cum injusto aggressore, legitime occiditur.

Resp. Neg. utrumque assertum. Namque 1° qui ex solo causarum naturalium cursu, fit alteri causa mortis, dici nequit aggressor sive formaliter, sive materialiter injustus. 2° Quidquid sit de comparatione cum innocente, certum est nunquam posse innocentem prius occidi, ut postea repellatur injusta aggressio; id autem fit in præsenti casu. — *V. Comp. n.* 402 et 403.

Huc facit recens de Craniotomia S. C. Inquisitionis responsio ad E. Card. Archiepiscopum Lugdunensem quæ his concipitur verbis :

« Eminentissime ac Reverendissime Domine,

« Eminentissimi PP. mecum inquisitores generales in Congregatione ge-
« nerali habita Feria IV, die 28 labentis Maii, ad examen revocarunt du-
« bium ab Eminentia tua propositum : *An tuto doceri possit in scholis*

« *catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam* « *appellant, quando scilicet ea omissa mater et filius perituri sint, ea e* « *contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte?* Ac omnibus diu « et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quæ hac in re a peri- « tis catholicis viris conscripta, ac ab Eminentia tua huic congregationi « transmissa sunt, respondendum esse duxerunt : *Tuto doceri non posse.*

« Quam responsionem cum SS. D. N. in audientia ejusdem Feriæ ac diei « plene confirmaverit, Eminentiæ tuæ communico, tuasque manus humil- « lime deosculor.

« Romæ, 31 Maii 1884.

Humillimus et addictissimus servus verus,

« R. Card. Monaco. »

CASUS XI

DE DUELLO 1°

Philemon, officialis bellicus, Confessarium adit : « Pater, inquit, cupio confiteri, ut ad mortem me disponam. Etenim sum provocatus ad duellum ab alio officiali, nec ullatenus pugnam recusare possum ; quia imprimis alias honor meus graviter lædetur, ineptusque deinceps ad officia bellica habebor ; insuper, nisi compaream, nullus militum amplius sub me militabit ; imo ab officio meo secedere cogar ; uxorem proinde et liberos alere non potero. Velis igitur, Pater, confessionem meam excipere. Volo enim confiteri perinde ac si hodie ante tribunal Christi comparere debeam, cum certaminis exitum prorsus ignorem. » Confessarius, audita confessione, Philemonem absolvit, et in pace dimittit.

Hinc :

Quær. 1° *An in tanta extremitate positus* Philemon *pugnam non detrectare, et absolvi potuerit?*

2° *Quid, si recusanti adversarius arma proponat, mortem minitando, nisi acceptet?*

Solutio :

404. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Minime gentium ! Ratio est, quia occisio alterius, privata auctoritate, est semper quid intrinsece malum ; repugnat enim rectæ rationi medium istud adhibere ad ignominiam vel alia incommoda vitanda. cum evidenti æternæ vitæ suæ aut alterius periculo. Vera æstimatio non in judicio perversorum hominum consistit ; ex quo vera gloria nullam patitur jacturam apud sensatos homines : verum, etiamsi Philemon famæ et bonorum detrimentum quam maximum subiret, non ideo ipsi licitum foret, ad incommoda temporalia vitanda, facere id quod intrinsece malum est. Nec dicas provocationem ad duellum esse injustam aggressionem, contra quam se defendere cuique licitum est ; nam provocatio ad

duellum non est actualis aggressio, et facile per non-acceptationem declinari potest.

Constat etiam ex quinque propositionibus a *Benedicto XIV* damnatis, præsertim ex tertia quæ sic jacet : *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii.* — *V. S. Lig. n.* 400, contra *Elbel*, etc.

405. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si adversarius absolute congredi velit, armaque proponat, et mortem minitet nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi, pugnare licet ad injustam aggressionem repellendam. Sed nefas est se conferre ad alium locum, requirere testes, differre certamen ad tempus determinatum, quia tunc duellum proprie dictum interveniet. — *V. Comp. n.* 404.

CASUS XII

DE DUELLO 2°

1° Sulpitius, inveterato odio ardens contra Crispinum, stricto ense, mortem huic intentat, nisi statim se conferat extra portam civitatis ad duellandum. Crispinus, metu adactus, duellum acceptat et Sulpitium occidit.

2° Fredericus, vir nobilis, arundine percussus a Flavio pariter nobili, pro honore suo recuperando, eum provocat ad duellum, loco et tempore condicto. Hic acceptat, sed animo non duellandi, sciensque certo pugnam esse impediendam.

Hinc :

Quær. 1° *An* Crispinus *licite duello pugnare potuerit in primo casu?*
2° *An* Flavius *licite duellum acceptaverit in secundo casu?*

Solutio :

406. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Crispinus minime duellum acceptare potuit, ne quidem ex gravissimo metu mortis, quia duellum est quid intrinsece malum, quod nulla ratione excusari potest. Neque dicas esse licitum *vim vi repellere*, seu se tueri contra injustum aggressorem; quia duellum non est defensio, sed pugna privata, jure naturali prohibita. Accessus enim ad locum designatum non est necessarius ad justam sui defensionem. Sed potuit Crispinus auxilium implorare, verbis amicis animum adversarii insanientis placare, vel ei dicere : Ego me tuebor, ubicumque invasus fuero. Et reapse, si invadatur ab altero, nec possit vitam salvare nisi ejus occisione, eum licite occidere potest. Tunc enim nullatenus duello confliget.

407. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Neque Flavius duellum acceptare potuit animo non pugnandi, vel ex prævisione obstaculi opponendi. Ratio est, quia illi qui duellum in loco designato suscipiunt, ab aliis credi possunt se duello concertaturos, et ita iis scandalum præbent. Præterea leges Ecclesiæ non tantum prohibent cædes, sed etiam intendunt *detestabilem* duellorum usum exterminare; huic autem fini repugnant duella etiam ficta. *Reuter*,

part. 3, *n.* 380. — Probabile est tamen ipsum excusari a censuris in duellantes latis. — *V. Compend. t.* II, *n.* 998, *q.* 2°.

CASUS XIII

CASUS BELLI

Recaredus, rex, putans sibi competere jus saltem probabile in terras regno suo affines, ab alio rege possessas, coadunato exercitu, bellum indicit, repugnantibus tamen civibus non paucis et conspicuis, qui judicant non esse *casum belli*. Inchoatur pugna. Strenue decertant hinc et inde milites. Tandem Recaredus, exhaustus, paciscitur cum rege adversario, jure suo qualicumque remisso. Verum, an sincere aut ficte, nescio. Quidquid sit, reparatis viribus, resumit bellum, putans se non teneri fœdere inito, ex eo quod ad illud coactus fuerit, et sibi injuriosum sit.

Hinc :

Quær. 1° *An bellum indici possit cum jure tantum probabili?*
2° *An rex teneatur servare pacta publica vi extorta?*
3° *Quid de casu?*

Solutio :

408. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Non licet regi bellum indicere cum opinione minus probabili, quia rex succedit judici qui non potest judicare secundum opinionem minus probabilem. *Ita communiter Theologi.*

2° Nec licet bellum gerere cum æquali probabilitate juris, si pro parte adversa stat possessio certa ac legitima, quia in hoc casu judex possessorem a sua possessione deturbaret, contra receptissimum axioma : *In dubio seu in paritate juris, melior est conditio possidentis.* Ita *communiter* contra *plures.*

409. — 3° Quid vero, si major probabilitas non possidenti faveat? *Controvertitur.* Alii dicunt id satis esse ut bellum licite fiat, quia in eo casu majus est jus non possidentis, et revera in judicio res, de qua lis moveretur, huic tribueretur; nec est judex qui ei favere possit. Ergo ipse jus suum bello repetere potest. *Ita Suarez*, etc... Sed alii requirunt moralem certitudinem juris, quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, quæ ex bello sequuntur, habenda est juris certitudo. *Ita Elbel.* — *Tambur.*, etc. — *S. Lig., n.* 404, dicit hanc posteriorem sententiam longe probabiliorem esse; et licet admittat probabilitatem prioris sententiæ, speculative loquendo, concludit cum *Roncaglia* et *Salmant.*, quod, cum bellum ferat secum maxima incommoda, flagitia et damna reipublicæ, Religioni, innocentibus, practice loquendo, vix unquam justum videri potest, si ex solis probabilibus rationibus, et non certis inferatur.

410. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia fœdera publica per jus gentium, omni humano generi commune, introducta sunt, sic exigente bono communi generis humani. Etenim, nisi pacta publica inter tot principes diversos, et subditos, omnimode servanda essent, nulla pax aut so-

cietas stabilis consistere posset; sed via perpetuis bellis et cædibus aperiretur.

411. — *Nec obstat* 1° quod forte altera pars per vim ad fœdus injustum, seu sibi perniciosum adacta fuerit, quod in bellis plerumque fit : nam, si hæc ratio valeret, cum quisque bellum gerens arbitretur plerumque jus sibi competere, posset pars quælibet postea dicere sibi vim fuisse illatam, ideoque fœdus a se rescindi posse, quod vergeret in maximam generis humani perniciem. Etenim nulla pax jam iniri, neque bella perpetua vitari possent.

Nec obstat 2° quod fœdus initum sit tali principi, vel tali reipublicæ perniciosum : nam bonum unius regni, principatus vel reipublicæ, bono communi universali totius generis humani cedere debet.

412. — *Nec obstat* 3° quod ex injuria nasci nequeat jus illi a quo infertur, neque obligatio illi qui eam patitur. Nam : 1° jus et obligatio non nascuntur immediate ex injuria, sed ex consensu quem victa pars præstat, eligens minus malum præ graviore. 2° Præterea, vel vere consentit in pacem eamque sincere juramento firmat, vel non : si prius, remittere debet injuriam saltem conditionate, seu, nisi exsurgat alia causa justi belli, si posterius, mendax et perjurus fuit, nec a fœdere potest recedere ob rationem datam, sed adhuc debet consensum præstare pro universali bono communi. — *Reuter, part.* 3, *n.* 510.

413. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Recaredus non potuit bellum gerere, si habuit minorem aut æqualem probabilitatem juris, imo, neque si credat habere majorem probabilitatem, juxta doctrinam quæ dicitur a *S. Ligorio* practice tenenda. 2° Neque potuit resumere bellum, postquam fœdere publico cum adversario pacem sanciverit, et jus quod putabat habere omnino et palam remiserit.

SEXTUM ET NONUM
DECALOGI PRÆCEPTUM

Non mœchaberis. — *Non concupisces.* (Exod. 20, 14 et 17.)

Hoc duplici præcepto vetatur quæcumque luxuria : prius actus externos, posterius internos directe prohibet. Ea autem quæ directe ab alterutro, etiam indirecte ab altero vetantur. Quamvis non videatur, stricte loquendo prohiberi sexto et nono præcepto, nisi solum adulterium, quod sub nomine *mœchiæ* in sacris Scripturis venit, nihilominus, ex communi interpretatione SS. Patrum et Doctorum, prohibentur etiam fornicatio et alia quælibet impudicitia, quæ aliunde in aliis S. Scripturæ locis, et jure naturali specialiter proscribi demonstratur.

Inutile prorsus nobis videtur casus de sexto et nono Decalogi præcepto proponere. Etenim, quæ ad lubricam et putridam illam materiam spectant, cum sint in praxi adeo frequentia, sat obvia apparent, nec tot difficultatibus scatent. Sufficiat igitur ut benevolus lector, quoad doctrinam necessario addiscendam, remittatur ad Compendium nostrum Theol. mor. *de sexto Præcepto,* a *n.* 410 ad *n.* 436.

Attamen, in Tractatu de Matrimonio, nonnullos casus statuemus de iis quæ ad statum conjugalem referuntur.

SEPTIMUM ET DECIMUM

DECALOGI PRÆCEPTUM

Non furtum facies. (Exod. 20, 15.) — *Non concupisces domum proximi tui,* etc. (*Ibid.* 17.)

Prohibetur, hoc utroque præcepto, actus proximo injuriosus in bonis fortunæ : prius præcipue et directe actus externos, et posterius internos afficit. Quatenus negativum, duplex illud præceptum prohibet non solum furtum, sed etiam quamlibet rei alienæ ablationem et usum, invito rationabiliter domino, et etiam quamlibet juris alieni læsionem. Quatenus affirmativum, obligat ad restitutionem, ad damna compensanda, ad debitorum solutionem, et ad justitiam in contractibus servandam.

Hic nullos ponimus casus de furto, de variis injustitiis, earumque reparatione, quia in Tractatu speciali de Justitia et Contractibus, his de rebus, casus multiplices statuentur.

CASUS

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De mendacio et restrictione mentali. — De detractione et calumnia. — De secreti violatione.

CASUS I

DE MENDACIO ET RESTRICTIONE MENTALI 1°

1° Jovianus, facetus æque et obsequiosus homo, rerum theologicarum non omnino ignarus, sæpius, non illæsa veritate, loqui solet, sive ad lepide cum sociis jocandum, sive etiam ad proximo obsequendum, ratus se in his ne levissime quidem peccare. Contendit enim : 1° verba jocosa contra veritatem non esse mendacia, cum desit in loquente decipiendi intentio ; 2° nec verba mere obsequiosa, cum absque ullius detrimento proferantur.

2° Bertina, ancilla, jubente domino, extraneis hunc requirentibus dicit : *Dominus abest, domo egressus est, domi non est.* Sed anxia interrogat Confessarium, qui respondet esse locum deserendum, et potius moriendum quam mentiri unquam.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quænam restrictio mentalis liceat?*
2° *Quid de* Joviano *et* Bertina?

Solutio :

414. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Nunquam licet uti restrictione *stricte mentali,* seu locutione duplicem sensum habente, si sensus loquentis percipi nequeat ; neque licet uti amphibologia humano modo *non perceptibili,* quia hoc est simpliciter mendacium : nunquam autem mentiri fas esse potest. *Vide dicenda in casu sequenti.*

415. — 2° Aliquando vero, ex gravi causa licet uti restrictione *late mentali,* et verbis æquivocis, quorum sensus a loquente intentus facile intelligi possit. Ratio est, quia modus ille loquendi non est mendacium, cum proximus sic non necessario decipiatur, sed ex gravi causa ejus deceptio permittatur. Deinde hoc ad bonum societatis necessarium est, ut modus celandi secretum magni momenti habeatur. Nam aliquando non minus noxium est societati verum dicere, quam falsum proferre ; valde enim commercio humano perniciosum esset, si hæc industria deesset, non solum personis publicis, sed etiam privatis. Constat insuper ex exemplo Christi Domini, qui pluries his restrictionibus usus est. Sic *Joan.* 7, 10, interrogatus

utrum ascenderet Jerosolymam ad diem festum, respondit : *Non ascendo ad diem festum istum,* id est, *manifeste* vel *hic et nunc;* nam paulo post occulte ascendit. Alias interrogatus de die judicii (*Marc.* 13, 32), ait : *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater;* id est, *ad manifestandum,* ut petebant discipuli. Et *Joan.* 11, 11 : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum;* id est, *mortuus est,* quod discipuli non perceperunt, ut in ipso Evangelio declaratur : *Illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret... Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.* Et *Joan.* 2, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud :* id est, *templum corporis sui,* quod Judæi non percipiebant. — *S. Lig. n.* 152.

416. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu :* Errat Jovianus contendens verba jocosa et obsequiosa contra veritatem non esse mendacia. Nec refert quod absque proximi detrimento proferantur, quia sequitur ex hoc tantum ea non esse contra justitiam et caritatem; sed non impedit quin veritati repugnent : excipe tamen, quoad verba jocosa, si intentio jocandi ita pateat ut facillime percipi possit, sive ex re ipsa quæ dicitur, ut sunt Vasconum locutiones, sive ex tono vocis lepido, sive ex aliis circumstantiis. Hinc collige quandonam peccaverit Jovianus, vel a peccando sit excusandus. Cæterum in his nullatenus de peccato gravi arguendus est, quia deordinatio levis tantum apparet.

In secundo casu : Confessarius potius culpandus est quam pœnitens. Hæc enim locutio communissimo usu recepta est, ita ut mera sit formula ad significandum dominum videri non posse. Reperiuntur quidem Theologi id ut mendacium prohibentes; sane quia, eorum tempore vel in eorum regione, usus ille non adeo invaluerat. — *S. Lig. l.* 3, *n.* 165.

CASUS II

RESTRICTIO MENTALIS 2°

1° Theofridus, hæres factus, cum bona occultasset, ex quibus non tenebatur creditoribus satisfacere, respondit se nihil prorsus occultasse. Alias, cum mutuo accepto jam satisfecisset, a judice interrogatus an illud accepisset, negavit se accepisse. Alias etiam a præposito gabellarum interrogatus utrum res tributo subjectas deferret, respondit se nihil deferre.

2° Anna, cum adulterium commisisset, viro de hoc suspicanti et sciscitanti respondit prima vice, se matrimonium non fregisse; secunda vice, cum jam a peccato fuisset absoluta, respondit *: Innocens sum a tali crimine.* Tandem tertia vice, adhuc instante viro, adulterium prorsus negavit dixitque : *Non commisi,* intelligendo adulterium tale quod tenear revelare; seu : *Non commisi adulterium tibi revelandum.*

Hinc :

Quær. 1° *An de mendacio damnandus sit* Theofridus?
2° *An damnanda* Anna?

Solutio :

417. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.*, seu ad casum Theofridi.

1° Theofridus non peccavit contra veritatem *in primo casu*, quia revera nihil occultavit in sensu interrogantis, seu in sensu in quo juste interrogari poterat. Hinc, respondendo se nihil occultasse, idem est ac si dixisset se nullam injuriam erga creditores commisisse, siquidem, in hoc solo sensu, judex vel ipsi creditores interrogare possunt. — *S. Lig. n.* 158.

2° Neque peccavit *in secundo casu*, ob eamdem rationem ; quia de solo debito interrogatur, scilicet utrum acceperit mutuum, et illud non restituerit. — *S. Lig. l.* 4, *n.* 159.

3° Neque censendus est peccasse *in tertio casu*, saltem in sententia probabili et communi, quæ tenet leges hujusmodi tributorum, seu ratione rerum quæ transferuntur de loco in locum, esse mere pœnales. Hinc dicere : *Nihil defero*, significat, *quod sponte manifestare debeam; tuum est investigare, non vero interrogare.* Clericis tamen suadendum est ut veritatem candide aperiant, ne, ea denegata, et negatione forte cognita, scandalum subsequatur.

418. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.*, seu ad casum Annæ. In triplici memorato casu, *Anna* a mendacio excusari potest. Etenim :

In primo casu, dicere potuit se matrimonium non fregisse, siquidem adhuc subsistit.

In secundo casu, potuit dicere se innocentem esse ab adulterii crimine, siquidem, peracta confessione, et recepta absolutione, ejus conscientia ab illo non amplius gravabatur, cum certitudinem moralem haberet illud sibi remissum fuisse. Imo potuit hoc asserere etiam cum juramento, juxta *S. Lig. n.* 162. — *Less.* — *Salm.* — *Suar.*, — *cum sententia communi.*

In tertio casu, potuit etiam *probabiliter* negare se adulterium commisisse, intelligendo, ita ut peccatum marito revelare deberet ; eodem modo quo reus potest dicere judici non legitime interroganti : *Crimen non commisi*, id est intelligendo se non commisisse, ita ut teneatur illud ei manifestare. Sic ad hæc omnia *S. Lig., n.* 162, *cum aliis bene multis.*

CASUS III

RESTRICTIO MENTALIS 3°

Carolina, matrona, dum, sæviente acri persecutione, Sacerdotem ad mortem requisitum domi occultasset, aperte respondet nebulonibus postulantibus utrum ibi lateret aliquis Sacerdos : *Nullus est, nullum vidi;* vel: *Aderat aliquis, sed abiit.* Sed postea timet ne mentiendo Deum offenderit.

Hinc :

Quær. *An* Carolina *mendacii rea evaserit ?*

Solutio :

419. — *Resp.* Carolina a peccato mendacii excusanda est. Etenim interrogantes in his circumstantiis nullum jus habent ad responsum verum

obtinendum ; insuper facillime suspicari possunt illud veritati non esse conforme : quare voluntarie decipiuntur, si fidem verbis adhibeant. Hujusmodi igitur responsio est mera formula qua utitur Carolina ad nebulones dimittendos ; perinde ac si diceret : *Utquid me de hoc interrogatis?* vel : *Nullus ibi est Sacerdos, quatenus tenear vobis manifestare ;* sicut reus non legitime interrogatus, seu ne quidem semiplene convictus, potest crimen negare, subintelligendo : *ita ut manifestare debeam. — S. Lig., ibid. n.* 163. — *V. Comp. n.* 443 *et seq.*

CASUS IV

DETRACTIO 1°

Caprasius sic confitetur : « Frequenter sermones cum sociis miscendo de « aliis detraxi, et vicissim aurem detrahentibus præbui. Dum audirem « verba valde diffamatoria, licet mihi displicerent, non contradixi, imo « potius subrisi. Tandem, aliquando aliorum delicta non quidem affirmavi, « sed ut ab aliis audita retuli, absque tamen intentione detrahendi, aut « proximo nocendi, sed solum discursus gratia. »

Hinc :

Quær. 1° *Quid judicandum de* Caprasio *in his casibus? et quid Confessario sit agendum?*

2° *An pœnitens declarare debeat numerum personarum de quibus detraxit, et etiam numerum audientium?*

3° *Quomodo reparandum sit famæ damnum, tum per detractionem, tum per calumniam illatum?*

Solutio :

420. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Caprasius *per se* graviter peccavit, tum detrahendo, tum detractionem audiendo, et quidem toties quoties id fecit. Sed male confitetur, quia numerum peccatorum, si gravia sint, exprimere debet in quantum fieri potest. Neque ex hujusmodi confessione satis colligi potest utrum, vel quando graviter peccaverit. Hinc Confessarius supplere debet, pœnitentem interrogando de necessariis ad confessionis integritatem procurandam, et rectum de reo judicium efformandum.

2° Peccavit graviter Caprasius audiendo verba valde diffamatoria cum externa approbatione, licet intus in iis minime sibi complacuerit, propter scandali rationem. Non tamen videtur graviter peccasse ex eo quod non contradixerit : plerumque enim persona particularis a peccato gravi excusatur, si detractionem non impediat, quia plerumque constare nequit correctionem profuturam esse. — *S. Lig. n.* 979-981. — *V. Comp. n.* 453.

3° Peccavit etiam graviter, si audita referat coram iis qui verisimilius sunt crediturі, v. gr., si asserat se audivisse a persona fide digna, quia præbet causam sufficientem malum credendi. Secus, si audita non referat tanquam ex fide dignis accepta, ita ut audientes ad credendum parum commoveat. — *S. Lig. n.* 977.

421. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Pœnitens declarare debet numerum personarum de quibus detraxit in materia gravi, quia tot injurias commisit quot sunt personæ in fama læsæ. 2° Non tenetur autem probabiliter declarare numerum audientium, quia detrahere coram pluribus est circumstantia mere aggravans; jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. — *S. Lig., de Peccatis, n.* 49. — *V. Comp., t.* I, *n.* 165.

422. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Calumniator tenetur dicta retractare et quidem, *per se,* cum jactura famæ propriæ, si aliter reparatio fieri nequeat, quia *melior est conditio innocentis quam nocentis.* 2° Detractor simplex dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed famam ablatam restituere debet alio modo, in quantum potest, v. gr., dicendo se male locutum esse, etc. etc., vel saltem, data occasione, prudenter laudando et extollendo eum cui detraxit. — *S. Lig. n.* 992. — *V. Comp., n.* 445 *et seq. et* 458.

CASUS V

DETRACTIO 2°

Paschalis, sciens occultissimum crimen a Petro commissum, illud Paulo manifestavit, et quidem adhibito juramento ad fidem sibi conciliandam. Exegit tamen a Paulo, sub pari juramenti religione, ne rem ulli prorsus unquam aperiret. Secretum autem citissime fregit Paulus, facinusque Petri revelavit quibusdam domesticis suis, qui subinde aliis atque aliis patefecerunt. Pœnituit postea Paulum tum de violata juramenti fide tum de infamia quam Petro intulerat, et jam erat determinatus ad Petrum, in quantum fieri posset, redintegrandum, palam professurus in iis quæ de Petro asseruerat se omnino fuisse deceptum. Sed certior subinde factus est se paulo antea a Petro fuisse gravius etiam infamatum. Decernit proinde se non daturum esse operam famæ Petri reparandæ, nisi prius Petrus suam propriam famam resarciat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Paschalis *graviter peccaverit, crimen* Petri *uni soli viro manifestando?*

2° *An contra Religionem peccaverit, utendo juramento ad confirmandum* Petri *crimen?*

3° *Quomodo peccaverit* Paulus, *proprium juramentum violando?*

4° *An cesset, vel suspendatur obligatio famam restituendi, si infamatus magis vel æqualiter suum detractorem infamavit?*

Solutio :

423. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Paschalis peccavit sane graviter, si præviderit saltem in confuso Paulum revelaturum esse secretum ipsi commissum. Secus, *controvertitur; probabilius* quidem affirmant communius Theologi : attamen *probabiliter* etiam negant magni ponderis auctores; quia non præcise violatur fama per detectionem uni viro factam, siquidem fama in communi hominum æstimatione consistit. — *S. Lig. hoc probabile dicit, n.* 973.

424. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Affirmative*, quia sine causa, seu sine judicio juravit, et nomen Domini inutiliter invocavit. Non tamen videtur hoc veniale excedere, cum juramentum ad veritatem confirmandam adhibitum fuerit. Graviter autem peccaret contra Religionem, qui juraret se crimen patraturum esse; quia nomen Dei invocaret in testimonium rei illicitæ peragendæ, et sic Deum quasi sponsorem iniquitatis efficeret. Paulus autem graviter peccavit tum contra Religionem, violando in re gravi juramentum proprium; tum contra justitiam, secretum propalando cum detrimento famæ Petri. — *S. Lig. l.* 4, *n.* 146.

425. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Paulus peccavit graviter tum contra Religionem, tum contra justitiam. Commisit enim detractionem in re gravi, crimen Petri omnino occultum domesticis suis manifestando; quia damnum grave intulit famæ Petri, eum diffamando apud plures, et prævidendo hanc infamationem ab eis propagatum iri. Ergo violavit justitiam in re gravi. Ergo eodem modo violavit etiam Religionem, cum idem in casu sit objectum detractionis et obligationis juramenti.

Resp. ad 4^um *Quæs. Controvertitur* utrum detractor excusetur a restitutione famæ, saltem ad tempus, donec alter, qui ipsi detraxit, etiam damnum famæ reparare velit. Alii *affirmant*, alii vero *negant*. Utraque sententia *probabilis* dicitur a *S. Lig. n.* 999. — *V. Comp. n.* 448-461.

CASUS VI

DETRACTIO 3°

1° Sylvia, famula, derelicto domino, spectabili viro, cum audisset Veronicam, honestam puellam, eidem domino sua addixisse officia, eam ab illo famulatu avertere conata est, asserendo eum esse virum valde singularem ac difficilem. Verum, cum Veronica dictis suis fidem non adhiberet, dixit aperte eum esse moribus perditum, et ancillis ipsi inservientibus periculosissimum.

2° Balduinus nuptias Octaviæ, puellæ divitiis et animi dotibus præclaræ, ambit. Contractis sponsalibus, jamjam ineundum est matrimonium, cum interea Octavia rescit a Barbara Balduinum in iram et ebrietatem valde proclivem esse. Hoc audito, Octavia Balduini nuptias respuit.

Hinc :

Quær. 1° *An peccaverit* Sylvia *herum diffamando ?*

2° *An* Barbara *peccaverit defectus graves* Balduini Octaviæ *manifestando ?*

3° *Quid generatim de his qui aliorum defectus revelando impediunt matrimonium, consecutionem hæreditatis, aut alterius beneficii ?*

Solutio :

426. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Sylvia minime peccavit herum apud Veronicam diffamando. Etenim detractio importat injustam proximi denigrationem; atqui denigratio facta a Sylvia non fuit injusta, siquidem ex gravi,

et proinde ex justa causa habita est, nempe ad bonum animæ, seu ad salutem Veronicæ. Ergo... *S. Thom.* 2. 2. *q.* 73, *art.* 2.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Nego. Ratio patet ex dictis ; Barbara enim officio caritatis erga Octaviam fungitur. Ergo a peccato detractionis omnino excusanda est. Secus foret dicendum, si manifestaret leves defectus, quales facile in omnibus reperiri possunt, sed ita ut animum Octaviæ a Balduino averteret.

427. — *Resp. ad* 3^am^ *Quæs.* Distinguendum est. 1° Si ex motivo caritatis vel ex ratione gravi, v. gr., ad bonum communitatis, familiæ, vel etiam personæ privatæ agant ii qui aliorum veros defectus, licet graves, aperiunt, minime peccant; tunc enim illi quorum defectus revelantur, jus non habent ut non detegantur.

2° Si vero defectus, etsi leves, agglomerentur vel exaggerentur, vel si graves supponantur, aut veri, sine ratione vel malevolo animo manifestentur, si motiva dolosa subjiciantur, ita ut inde mutetur animus personæ beneficium concessuræ, detractores graviter peccant, tum contra caritatem, tum contra justitiam, et *per se* ad damnorum reparationem tenentur. — *V. Comp. n.* 447-671. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 1208.

CASUS VII

DETRACTIO ET CALUMNIA

Martinus, quoties adest occasio ut cum Menandro, familiari suo, de Paulo, nepote illius, loquatur, semper aliquod leve istius vitium, modo verum, modo falsum, refert. Hinc Paulus paulatim e gratia Menandri decidens in periculo versatur amittendæ hæreditatis, jam ab eodem sibi, ut magis propinquo consanguineo promissæ. Hujusmodi periculi mox admonitus Paulus, illud propulsare statuit. Quamobrem Martini epistolam a se olim dolose subreptam, et contra Menandrum acerbissime scriptam, huic ipsi legendam exhibuit. Quid tum Menander? Martinum, tanquam nebulonem pessimum, e domo sua perpetuo exclusum voluit ; Paulo vero pristinam benevolentiam restituit, et eum universalem bonorum suorum hæredem declaravit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Martinus, *ob leves detractiones et calumnias contra* Paulum, *graviter peccaverit?*

2° *An* Paulus, *ad vitanda damna sibi ex detractionibus* Martini *imminentia, licite uti potuerit epistola ejusdem* Martini *dolose subrepta?*

Solutio :

428. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia congerendo tot defectus, licet leves, in miserum Paulum, graviter ei nocuit apud Menandrum, ita ut hujus benevolum animum injuste ab illo averteret. Etenim Martinus causa fuit cur Paulus famam adhuc simpliciter bonam amitteret,

haud secus ac si quis vulnerato multoties leviter vulnus leve adderet, quo accedente, vulnus lethale efficeretur. Hoc merito dicendum est, si defectus leves propalati, sint veri; sed a fortiori, si falsi sint. *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 1208. — *Lugo, D.* 15, *n.* 22.

429. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Generatim non licet uti notitia injuste acquisita ad nocendum alteri; quia, juxta pervulgatum axioma : *Nemini fraus sua patrocinari debet.* Insuper quicumque injuriam intulit, tenetur eam tollere, vel saltem eam non continuare; atqui utens secreti alieni notitia injuste acquisita in damnum proximi, non solum non tollit, sed continuat injuriam : ergo hac utendo graviter peccat, et contrahit obligationem restituendi pro rata spei quam habuit proximus ad quoddam beneficium obtinendum. Præterea, si injuste aliquam notitiam accepisti, non est moraliter tua : ergo te gerere debes perinde ac si eam non haberes.

430. — 2° Sed hic occurrit specialis difficultas, ex eo quod Paulus non utatur notitia injuste acquisita, nisi ad magnam injuriam ex parte Martini propulsandam, seu ad se redimendum a vexatione gravissima et injustissima. Propterea exceptio in ejus favorem admittenda est, et proinde ipse ab omni peccato absolvendus. Etenim dantur circumstantiæ in quibus licite revelatur crimen verum alterius, et licite acquiritur notitia secreti alieni, v. gr., ad avertendum damnum grave proprium, quod alio modo propulsari nequit. Sic potes aperire alterius litteras, quæ casu in manus tuas incidunt, si graviter suspiceris eas esse contra te injuste scriptas, vel eas rationem injuriam declinandi continere. Ergo, si prius illicite litteras aperuisti, vel obtinuisti, iis nunc uti potes licite ad te redimendum ab injusta vexatione, alio modo deficiente. Notitia enim quam habes, nunc justificatur, et moraliter fit tua in ordine ad usum; quemadmodum si furatus fueris aureum, et postea incidas in necessitatem in qua aureum licite eriperes, licite uteris aureo furtivo, quia usus ejus per præsentem necessitatem justificatur. Ergo pariter, si litteræ Martini nunc in manus Pauli inciderent, et suspicaretur Paulus eas rationem continere qua damnum injustum a Martino allatum effugiat, sane eas aperire et adhibere posset. Ergo etiam Paulus notitia prius illicite acquisita, nunc licite uti potest. Ergo... *Lacroix, n.* 1232 *et* 1233. — *Lugo, D.* 14, *n.* 148. — *V. S. Lig. n.* 969.

CASUS VIII

INFAMIÆ PROPAGATIO

Guido, illegitimus viri nobilis filius, postquam adolevit, successit in Hispaniam, ubi macula nativitatis ejus illegitimæ ignota prorsus erat, ut ad altiora quam in solo natali promoveretur. Postquam jurisprudentiæ sedulo se applicasset, ad senatoriam promotus est dignitatem, et uxorem duxit prædivitem, ex qua duos genuit filios. Hucusque bene. Sed ecce infelici Guidoni calamitosus intervenit casus! In eam regionem venit Ascanius ejus concivis, et natales ejus illegitimos vulgavit. Unde cœpit Guido vilescere, et exortæ sunt dissensiones graves inter eum et uxorem, ac hujus consanguineos.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quandonam infamatio dicatur publica seu notoria?*

2° *An liceat infamiam, publicam in uno loco, divulgare in alio loco ubi latet?*

3° *An* ASCANIUS *peccaverit contra justitiam, et ad aliquam compensationem teneatur?*

Solutio :

431. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Tripliciter infamatio potest esse publica, scilicet : 1° jure, seu per sententiam judicis; 2° facto, quando res infamans coram tam multis habita est, ut nulla tergiversatione celari possit; 3° quando fama de crimine vel re infamante, ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tam multos de communitate, ut, spectatis circumstantiis, certo divulganda sit, et ejus notitia brevi perventura est ad majorem partem communitatis, seu civitatis, pagi, parochiæ, monasterii. Porro crimen notum majori parti communitatis, pagi, parochiæ, etc., non censetur publicum absolute et respectu omnium, sed tantum respectu illius communitatis, etc... Juxta *Lugo, Laymann et alios,* ad publicitatem criminis in communitate sufficit, si communitas 500 habeat incolas, ut 30 cives, vel 40 dispersi id intellexerint. Si pagus habeat 40 domos, satis est ut id sciant 10 vel 8 ex diversis domibus. Et sic de aliis locis, eadem servata proportione; sed quod multi complices criminis illud sciant, per hoc non est notorium. — *S. Lig. n.* 975.

432. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Si crimen fit publicum per sententiam judicis absolute et publice latam, licet illud manifestare in quibuscumque locis, verbo, scripto, typo, saltem citra peccatum contra justitiam. Ratio est, quia, hoc ipso quod judex ferat sententiam in reum, intendit eum spoliare jure suo ad famam, in criminis vindictam, et dare omnibus licentiam illud ubique promulgandi, ut cæteris ubique sit in exemplum et terrorem. — *S. Lig. n.* 974.

2° Si vero sit publicum publicitate facti vel famæ, potest per se revelari sine injuria aliis nescientibus, tum in eodem loco, tum in loco vicino, ubi facile et brevi pervulgandum est. Ratio est, quia infamatus jam amisit jus ad famam in iis locis. An vero divulgari possit crimen in aliis locis ubi latet, nec moraliter publicandum est? *Controvertitur.* Sic videtur distinguendum cum *S. Lig. n.* 974. *Probabilius* potest evulgari crimen ingens valde probrosum, vel scandalosum, aut societati nocivum, ut homicidium, proditio, etc... Ratio est, quia expedit bono communi facinorosos homines non ignorari, ut ab eis caveant omnes. Secus vero, si agatur de aliis peccatis, quia reus adhuc servat jus ad famam, nec ratio boni publici invocari potest, et proinde iste injuste fama sua spoliaretur.

433. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* ASCANIUS certo peccavit graviter contra caritatem et justitiam, infamiam GUIDONIS in Hispania ubi erat ignota propalando.

Dicunt quidem plures Theologi non esse grave manifestare defectus naturales aliorum, etiam vitium nativitatis, quia isti defectus non sunt morales. Hoc probabiliter in multis circumstantiis admitti potest. Sed saltem intel-

ligendum est, modo non sequatur inde notabile detrimentum infamato. Porro in nostro casu maximum sequitur damnum misero Guidoni, ut patet. Nec requirit bonum publicum ut ii defectus manifestentur, cum sint mere naturales, nec a voluntate hominis pendeant, nec proinde eorum manifestatio inservire queat ad homines a sceleribus deterrendos. Ergo Guido fuit injuste diffamatus. Ergo Ascanius injuriæ auctor tenetur ad damnum, in quantum fieri potest, reparandum. — *Reuter, part.* 3, *n.* 411.

CASUS IX

CONTUMELIA

Julia, rixans cum Rufina, huic objicit quod sit illegitime nata. Id ferre non valens Rufina, eam ad magistratum defert. Non desunt testes, veritatem injuriæ illatæ confirmantes, cum mulierum rixa in media platea locum habuerit; Julia, de injuriosa appellatione convicta, damnatur a magistratu ad mulctam, necnon ad expensas itineris ad urbem a Rufina factas, ei refundendas. Obtemperat quidem mandato judicis Julia, cum aliter facere nequeat. Sed postea clam subducit Rufinæ tantum quantum ei solvit, eo quod a pluribus audierit revera esse illegitimam, et proinde se injuste damnatam fuisse.

Hinc :

Quær. 1° *An* Julia *graviter peccaverit dicendo* Rufinæ *coram aliis bene multis, quod sit illegitima?*

2° *An potuerit se compensare licite?*

Solutio :

434. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* videtur. *Per se* quidem, juxta multos, non est grave revelare defectus naturales alterius, nec excluso vitio nativitatis, nisi aliud damnum sequatur quia non sunt morales, nec proinde censentur infamare apud prudentes. Verum in nostro casu agitur de contumelia seu de convicio gravissimo, et cum contemptu ingesto, quod per se grave est. Nec videtur excusanda a peccato gravi Julia, licet vitium nativitatis verum sit et notorium quia peccati gravitas ex ipsa contumelia, seu ex gravi læsione honoris in hoc casu repetenda est. Secus vero dicendum foret probabiliter, si Julia vitium nativitatis, Rufinæ incognitum, aliis manifestasset, secluso tamen alterius damni periculo. Esset autem gravis infamatio, si illud de persona valde honorata diceretur, nec res notoria foret; quia, etiam secluso alio damno quocumque, magnam famæ jacturam apud alios pateretur. Hæc igitur omnia pendent a circumstantiis, ut dicit *S. Lig. n.* 967.

435. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia justa magistratus sententia damnata est. Judex enim eam juste damnare potuit ad mulctam et ad expensas itineris alterius mulieris resarciendas, quia læsit caritatem, honorem et pacem, et expedit ut alii a similibus conviciis deterreantur. Ergo Julia id quod Rufinæ surripuit restituere debet. Si nolit in posterum simile damnum incurrere, linguam majori sedulitate custodiat.

CASUS X

DE SECRETO

AMANDUS juramento promittit MARINO, se nulli unquam manifestaturum esse neque homicidium, quod, se vidente nec viso, latenter MARINUS patraverat, neque furtum, quod non viderat quidem, at sub fide secreti servandi ab eodem MARINO esse patratum audierat. Sed, cum exorta esset ea de re suspicio quædam, AMANDUS noster ad judicium ut testis compellitur, et juridice interrogatus duplex revelat secretum.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quænam sit obligatio secreti servandi, sive promissi, sive commissi?*

2° *An* AMANDUS *potuerit duplex secretum judici manifestare? An id debuerit?*

Solutio :

436. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Secretum *promissum* obligat *per se* sub gravi, pro quantitate materiæ et suscepta obligatione; sed plerumque ex fidelitate tantum promittentem adstringit, quia simplicis promissionis obligatio sic communiter accipitur. — *S. Lig. n.* 970.

2° Secretum *commissum*, seu communicatum, rigorosius urget, et sub gravi, *per se* ex justitia, quia præter obligationem naturalem adest etiam obligatio ex contractu suscepta. — *S. Lig.* — *V. Comp. n.* 469.

3° Nullum secretum etiam juramento firmatum, sive mere naturale, sive ex contractu, excepto sigillo sacramentalis Confessionis, obligat quoties bonum publicum exigit ut manifestetur; quia jus naturale, vel obligatio suscepta servandi secreti, cum detrimento reipublicæ vel Religionis adstringere nequit.

437. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Quoad *secretum promissum.* Tenetur AMANDUS, sub gravi, ex obligatione justitiæ et Religionis, ad secretum illud promissum generatim extra judicium servandum; quia promissio juramento firmata induit naturam veri contractus, quum significet promittentem velle quam maxime se obligare : ergo non ex sola fidelitate, neque leviter in re gravi. Sed in casu, seu quum AMANDUS in judicio, ut testis, a judice ipso interrogetur, non tantum potest, sed debet veritatem totam manifestare, non obstante secreti promissione. Etenim quid promissio, quid juramentum operatur? Te obligant ad tacendum, quoties, seclusa promissione jurata, posses quidem, sed non deberes secretum aperire quia per promissionem ad hoc tantum te obligasti, quod licite præstare poteras : atqui non poteras promittere contra obedientiam judici seu Superiori debitam; quia, quando crimen novisti, jam contraxisti obligationem naturalem illud manifestandi, si judex vel Superior id requireret. Ergo promissio subsequens secreti non potuit priorem obligationem destruere. Ergo in casu AMANDUS bene fecit. — *S. Lig. n.* 970. — *Lugo.* — *Bon.* — *Salm.*, etc.

438. — 2° Quoad *secretum commissum*. Amandus non potuit judici interroganti manifestare furtum sub *secreto commisso* cognitum, sed debuit respondere : *Nihil hac de re scio*, id est, *ut manifestare debeam*, utendo scilicet restrictione mentali licita. Secretum enim ejusmodi de jure naturali urget in omni casu, seclusa boni publici necessitate ; superior autem seu judex obligare nequit ad jus naturale violandum : ergo... Neque hic urget boni publici ratio, quia non ideo periclitabitur communitas, ex eo quod aliquod furtum patratum non manifestetur. Ergo Amandus est damnandus de peccato gravi contra justitiam et Religionem, cum secretum commissum, et sub fide juramenti repromissum, palam in judicio revelaverit. — *S. Lig.* *n.* 970. — *V. Comp. n.* 470.

CASUS XI

APERITIO LITTERARUM

Olivarius, lubrico amore Rosæ captus, cum ea pluries turpiter egit. Paulo post ei asseveravit Rosa se gravidam ex eo evasisse, et ei minatur se ejusdem crimen propalaturam esse, nisi ducentos aureos sibi donet pro sumptibus subsecuturis. Olivarius jamjam pecuniam postulatam Rosæ erogaturus erat, cum rescivit hanc puellam cum Titio jamdudum familiariter conversari. Hoc audito, cœpit dubitare an ea ex illo conceperit. Quid autem faciet Olivarius, ut veritatem assequatur? Cum suspicaretur adesse inter Titium et Rosam commercium litterarum, data occasione, scriniolum puellæ clam aperit, epistolas inde exemptas legit; et ecce! reperit unam epistolam, vi cujus æmulus ille suspectus, Titius scilicet, fatebatur se esse patrem prolis, et esse insuper paratum ad eam alendam, et alias expensas necessarias ad ejus educationem subministrandas. Statuit illico Olivarius publice epistolas manifestare ad prodendam injustitiam Rosæ ejusque mendacium; sed antea quærit a Theologo an id facere possit?

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

2° *An* Olivarius *graviter peccaverit litteras ad* Rosam *missas legendo, et an iis uti possit ad se defendendum?*

3° *An possit litteras præfatas aliis manifestare, et publicas efficere?*

Solutio :

439. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm. per se.* Ratio est, quia jure naturali et jure gentium datur obligatio gravis secreta litterarum illæsa relinquendi ad publicam securitatem, et communem fiduciam; secus enim commercium humanum pessumdaretur. — *S. Lig., Tr. de Pecc. n.* 70.

Excipe : 1° si adsit consensus tacitus, aut præsumptus scribentis, vel ejus ad quem scribitur; 2° si justa causa fiat, v. gr., ad damnum publicum vel privatum avertendum; 3° si merito præsumatur res in litteris contentas esse levis momenti : tunc enim legens a peccato gravi excusatur. — *S. Lig., Tr. de Pecc., n.* 70. — *V. Comp. n.* 471.

440. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Olivarius non peccavit neque graviter neque leviter litteras Rosæ aperiendo et legendo. Ratio est, quia id ex justa et gravissima quidem ratione fecit, nempe ad damnum grave a se avertendum. Etenim communiter docent Theologi fas esse alterius litteras legere, vel secretum revelare, quando necessitas id postulat, vel ad proximum aut seipsum juste defendendum.

441. — *Objicies :* Ille qui notitiam alieni criminis acquisivit injuste, v. gr., aperiendo litteras secretas illius, non potest uti illa notitia; sed se gerere debet perinde ac si illam nunquam comparavisset, quia notitia quam quis injuste acquirit non est moraliter sua.

Resp. Neg. suppositum, scilicet notitiam illam fuisse ab Olivario injuste acquisitam. Etenim id fecit ex gravissima ratione, seu ut injustam vexationem a se averteret; ergo non egit injuste. Imo aliquando fas est uti notitia injuste accepta, si postea adsit causa justa ea utendi, quia tunc res habetur perinde ac si notitia juste acquisita fuisset, ut supra dictum est in casu 7, *n.* 430.

442. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Olivarius non potest statim litteras clam acceptas manifestare. Sed debet prius Rosam admonere, ut sileat, nec amplius quidpiam repetat pro alenda et educanda prole, quia ipse habet medium probandi falsam esse accusationem. Ratio est, quia non licet crimen alterius propalare coram aliis, ubi non est necessarium. Porro in nostro casu non urget illa necessitas, siquidem ope correctionis fraternæ, seu privatæ admonitionis, malum quod timetur impediri potest. Ergo... Quod si, tali comminatione facta, Rosa nihilominus præsumat Olivarium accusare, is poterit præfatam epistolam ostendere in quantum erit necessarium ad se indemnem faciendum, quia fas est crimen verum detrahentis manifestare, ad auctoritatem illius elidendam, quoties injusta accusatio vel detractio aliter impediri nequit. — *Elbel, n.* 399. — *Lugo,* etc.

CASUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

SEU

De confessione annua. — De Communione paschali. — De abstinentia a carnibus, et de jejunio.

CASUS I

ANNUA CONFESSIO 1o

Octavius confessus est Dominica Palmarum, die 4 Aprilis, nec ad confitendum rediit nisi Dominica in albis anni sequentis, die 24 Aprilis. — Alias confessus est die præcedente tempus Paschale, aut paucis ante diebus, nec ante diem solemnem Paschæ anni sequentis peccata in Sacramento Pœnitentiæ deposuit. In utroque casu de peccato mortali a Confessario arguitur.

Hinc :

Quær. 1o *Quomodo computandus sit annus relative ad obligationem annuæ confessionis ?*

2o *An* Octavius *peccaverit contra præceptum Ecclesiæ, tum in primo, tum in secundo casu?*

Solutio :

443. — *Resp. ad* 1um *Quæs. Per se loquendo,* annus computandus esset ab initio mensis Januarii, ad finem Decembris; sed, spectata universali consuetudine, computatur ab initio ad finem temporis Paschalis, quo Communio peragenda est. *S. Lig. l.* 6, *n.* 662. Igitur cum Pascha non incidat in idem tempus, sed modo maturius, modo tardius occurrat, sequitur posse aliquem quandoque legi Ecclesiæ satisfacere, licet tempus anni completi excedat. Attamen non datur stricta obligatio confitendi tempore Paschali, quia Ecclesia tempus illud non determinat ad Confessionem, sed ad Communionem. Quare, si quis uno vel altero mense confessus fuisset ante tempus Paschale, nec peccati mortalis conscius esset, ad confessionem Communioni præmittendam non teneretur. Consuetudo autem tunc confitendi, et decreta episcoporum, vel Synodorum id exigentium necessitatem supponunt, seu intendunt tantum præcipere debitam dispositionem ad Eucharistiam suscipiendam, vel non urgent præcise nisi eos qui toto anno non sunt confessi. — *Gousset, de Pœnit. n.* 410, contra *Collet.*

444. — *Resp. ad* 2um *Quæs.* Octavius satisfecit obligationi suæ in utroque casu, quia revera confessus est intra annum, juxta consuetudinem receptam in anno computando ratione præcepti confessionis. Nec obstat quod

non fuerit confessus nisi a 13 circiter mensibus, quia annus physice non est tunc computandus, sed moraliter, ut ex dictis apertum est. Ergo non damnandus est OCTAVIUS, sed potius Confessarius.

CASUS II

CONFESSIO ANNUA 2o

1° VERONICA, tempore Paschali, pergere solet ad confitendum extra parochiam, vel etiam extra diœcesim, in cujus limitibus versatur. Confitetur autem alias Regularibus, alias sæcularibus Sacerdotibus, invito Parocho, imo et ipso Episcopo, qui subditis suis sub pœna nullitatis absolutionis prohibuit ne alio, præsertim extra diœcesim, ad peragendam annuam confessionem pergant.

2° RUFINUS, consuetudinarius, regulariter singulis annis in Paschate confitetur, cum signis ordinariis contritionis; cum autem hoc anno, Confessario id exigente, alias redire per annum promittere noluisset, sine absolutione dimittitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An confessio annua fieri possit extra parochiam, extra diœcesim, præsertim invito Parocho vel Episcopo?*

2° *An absolvi possint qui renuunt confiteri pluries in anno, licet id Confessarius præscribat?*

Solutio :

445. — *Resp. ad* 1um *Quæs. Affirm.*, modo confessio fiat Sacerdoti ab Episcopo loci approbato. Sic expresse *Bened. XIV, de Synodo, l.* 7, *c.* 64. — *S. Lig., n.* 564, ubi dicit : *Fideles possunt libere confiteri cuique Confessario approbato. Ita communiter.* — Ergo validæ sunt confessiones omni tempore, etiam Paschali, invito Parocho, imo etiam invito Episcopo, saltem in locis ubi Episcopus non contradicit expresse sub pœna nullitatis confessionis, etiamsi prohiberet ne quis alium adiret præter Parochum, vel de Parochi consensu, quia censetur consuetudini universali se conformare, et velle suadere potius quam præcipere, aut saltem non præcipere sub pœna nullitatis.

446. — Imo ex Decreto *S. Congr. Episc.*, apud *S. Lig.*, non posset Episcopus tale decretum ferre. Saltem Episcopus præcipere nequit sub pœna invaliditatis ne diœcesani in alia diœcesi confiteantur, quia jurisdictionem Sacerdotum non sibi subditorum restringere nequit. *V. Gousset, de Confessione, n.* 412. Regulares autem, etiam tempore Paschali, valide confessiones audire possunt in quovis loco ubi sunt approbati, nec ab Episcopo impediri possunt. Sic ex Clem. X, *Superna;* apud *Lacroix, de Pœnit. n.* 1506. Ergo VERONICA valide et licite in subjectis casibus confessa est.

447. — *Resp. ad* 2um *Quæs. Affirm. per se*, si aliunde sint dispositi; imo absolvi debent, quia ex præcepto Ecclesiæ ad aliud non tenentur, nisi ad annuam confessionem. Dixi *per se*, quia aliud dicendum foret, si con-

fessio frequentior judicaretur omnino necessaria ad relapsum præcavendum. Attamen etiam in hoc casu expedit magis pœnitentem enixe adhortari ut crebrius confiteatur, quam illum rigoroso præcepto ad id adstringere, ne impositæ obligationi deficiat, et a confessione deterreatur.

CASUS III

DE COMMUNIONE PASCHALI 1°

Hyparcus 1° Cum omisisset tempore Paschali ad sacram Synaxim accedere, decurrente anno, in aliena parochia communicat, ratus præceptum in parochia communicandi urgere tantum Paschali tempore. 2° Anno sequenti sacrilege communicavit in propria parochia, et, cum crimen fuisset confessus, a Confessario jubetur iterum in parochia communicare ad satisfaciendum duplici Ecclesiæ præcepto, cum sacrilega Communio pro nulla sit habenda; at, cum consensisset ad denuo communicandum ubilibet, non autem in parochia, sine absolutione dimissus est. 3° Alio anno communicavit quidem tempore Paschali, sed in Ecclesia metropolitana de manu Episcopi, et alias de manu proprii Parochi, putans quod ita præcepto satisfaceret.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo obliget præceptum Communionis paschalis, tempore Paschali et postea?*

2° *Quid de agendi ratione* Hyparci *in hisce variis casibus?*

3° *Quis in hoc præcepto dispensare possit quoad circumstantiam temporis et loci?*

Solutio :

448. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Præceptum Communionis paschalis triplex esse videtur, scilicet : 1° præceptum communicandi, saltem semel in anno, ut eruitur ex *Conc. Later. IV, ex Concil. Trid.*, etc.; 2° præceptum communicandi tempore Paschali : constat ex *Concil. Trid.* et ex variis Decretis SS. Pontific.; 3° præceptum communicandi in propria parochia, ut constat ex variis SS. Pontific. Constitutionibus, et omnibus Ritualibus, et universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. — *S. Lig. n.* 300.

Tempus autem Paschale, ex Declaratione Eugenii IV, currit a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis; sed Episcopi illud anticipare et producere possunt. Nunc plerumque incipit Dominica Passionis, et completur secunda Dominica post Pascha. Ratio autem communicandi in propria parochia est fidelium ædificatio, et proprio Pastori submissio. Completo tempore Paschali, perdurat obligatio communicandi, si non fuit impleta; quia, ut dictum est, præceptum respicit non solum tempus Paschale, sed, illo elapso, integrum annum : statutum enim videtur tempus non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam. Plures tamen graves auctores contendunt non dari obligationem communicandi in anno, sed tantum tempore Paschali. *S. Lig., n.* 297, versus finem, sic ait : « *Hanc sententiam*

« *non contemnendam puto, saltem quia ex neutro præcepto divino ac* « *ecclesiastico constat hæc obligatio communicandi, transacto tempore* « *Paschali; hoc tamen non obstante, nolo recedere a prima sententia.* »

Cæterum doctrina communis confirmari videtur ex praxi Romæ vigenti : etenim qui præcepto Communionis non satisfecerunt ante festum Ascensionis Domini, casum reservatum incurrunt : et si in contumacia perseveraverint usque ad Assumptionem B. Virginis, excommunicationem incurrunt, pluriumque eorum notissimorum nomina ad valvas Ecclesiæ S. Bartholomæi, in insula Tiberina, affiguntur.

449. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* seu ad triplicem casum.

In primo casu : Hyparcus præcepto non adæquate satisfecit, quia lex communicandi in parochia est generalis, nec restringi videtur ad tempus Paschale, sicut ipsa obligatio Eucharistiam suscipiendi ad hoc tempus non limitatur. Etenim Episcopi, legis interpretes, requirunt communiter ut dispensatio petatur ad Communionem extra parochiam peragendam, etiamsi tempus Paschale transierit, nisi Parochi licentia præsumi possit. *Bouvier*, etc.

450. — *In secundo casu :* 1° Hyparcus fuit quidem obligatus ad iterandam Communionem, quia non satisfit præcepto per Communionem sacrilegam. Ecclesia enim præcipiens Communionem, præcipit sumptionem Eucharistiæ, qua fidelis cum Christo uniatur; et, quamvis finis legis non cadat sub præcepto, attamen, quando finis est intrinsecus, qualis hic habetur, sub lege cadit. Constat insuper ex prop. 15^a^ ab *Innoc. XI* damnata. 2° Hyparcus satisfecit saltem quoad circumstantiam loci; quia, sub illo respectu, finem præcepti consecutus est, siquidem Communio, licet interne sacrilega, externe tamen ad ædificationem cessit. Ergo erravit Confessarius, eum invitum ad iterum communicandum in ipsa parochia adigendo. *Lacroix, de Euch. n.* 630.

451. — *In tertio casu.* Hyparcus non satisfecit præcepto Ecclesiæ, quia Ecclesia cathedralis non erat parochia ejus propria. Nec refert quod de manu Episcopi, vel sui Parochi communicaverit, quia finis primarius præcepti communicandi in propria parochia, est mutua fidelium ejusdem parochiæ ædificatio. *Ita communiter cum S. Lig.*, contra *plures.*

452. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Episcopus dispensare potest a præcepto quoad circumstantiam temporis, de justa ratione, tum ad tempus prævertiendum, tum ad illud differendum. 2° Non solum Episcopus, vel Vicarius generalis, sed etiam ipse Parochus dispensare potest, quoad circumstantiam loci, quia lex in ejus favorem lata est. Insuper ex consuetudine generali constat. *V. Comp. n.* 480 *et seq.* — *S. Lig. n.* 295, etc.

CASUS IV

COMMUNIO PASCHALIS 2°

Hedvigis, mulier, graviter decumbens, sacrum Viaticum Dominica Palmarum suscepit. Paucis vero diebus elapsis, sanitati restituta, Communioni paschali se satisfecisse existimat; sed a Parocho jubetur iterum

in Ecclesia parochiali communicare, ad Ecclesiæ præceptum adimplendum.

2° Emporius, mercator, tempore Paschali, extra parochiam communicat. Sed domum redux, dubitat an in Ecclesia parochiali iterum communicare debeat. Alias, iter agens tempore Paschali dubitat an tunc sibi sit communicandum, aut exspectandum donec ad parochiam sit reversus.

3° Marcantius, cum, in media Quadragesima, in dissitam regionem iter aggredi deberet, nec post plures menses esset reversurus, confitetur, ut præcepto Communionis paschalis in antecessum satisfaciat. Evenit autem postea, ut iter intentum suscipere non potuerit. Attamen rursus communicare non curavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Hedvigis *in Ecclesia communicare teneatur?*
2° *Quid* Emporio *interroganti respondendum?*
3° *An* Marcantius *præcepto Ecclesiæ satisfecerit?*
4° *Quid si communicasset sabbato pridie Dominicæ* Passionis, *vel aliam Communionem die* Ascensionis *Domini fecisset?*

Solutio :

453. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Non videtur obliganda Hedvigis ad Communionem in parochia iterandam; quia præcepto satisfecit in quantum satisfacere poterat. Adde obtentum fuisse etiam finem legis, Communionem in parochia faciendam præcipientis; finis enim est communis ædificatio, et proprio Pastori submissio : porro utrumque obtinetur, si ægrotus modo publico domi e manu Parochi vel ejus delegati Communionem suscipiat. Ergo...

454. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Emporius *in primo casu* non tenetur iterum communicare, quia peregrini, ut sunt mercatores iter agentes, præcepto satisfaciunt ubi tempore paschali degunt, vel qua transeunt. Nec tenentur redire ad parochiam ut ibi communicent, nisi facile possint, v. gr., si in loco vicino commorentur, nec ibi quasi-domicilium habeant.

2° Emporius *in secundo casu* communicare debet extra parochiam, si non est ad eam reversurus ante finem temporis Paschalis, quia obligatione satisfaciendi præcepto Ecclesiæ premitur. Si vero reversurus est ante finem temporis Paschalis, exspectare potest. — *S. Lig. n.* 300.

455. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Marcantius præcepto Ecclesiæ non satisfecit per anticipatam Eucharistiæ sumptionem; nemo enim legem implere potest, antequam ejus obligatio urgeat. Ergo non factus est immunis ab obligatione iterum communicandi tempore Paschali. — *S. Lig. n.* 297 *et* 298.

Resp. ad 4^um *Quæs.* Neque Marcantius legi Ecclesiæ satisfecisset communicando pridie diei quo præceptum urgere incipit, propter eamdem rationem, scilicet, quia nemo obligationem non adhuc existentem implere valet. Si autem aliam Communionem die Ascensionis fecerit, tunc satisfecit annuæ Communioni; sed propter dilationem jam graviter peccavit. — *V. Comp. n.* 480, etc. — *S. Lig. n.* 295 *et* 297.

CASUS V

COMMUNIO PASCHALIS 3o

Longinus 1° accedit ad confitendum ultima die temporis Paschalis, et quidem vespere, ita ut communionem die sequenti tantum peragere possit. 2° Accedit ultima die temporis Paschalis omnino ad absolutionem imparatus, cum intentione alias redeundi et confessionem perficiendi, et putat id sufficere ut a culpa gravi eximatur. 3° Accedit quidem pluries tempore debito, sed prava consuetudine detinetur, nec sufficienter emendationis signa præbens, qua de causa ad aliud tempus experimenti gratia remittitur. 4° Alias tandem, etsi sat dispositus tempore opportuno accesserit, rogat Confessarium ut ad octo vel quindecim dies remittatur, quod ipsi ultro conceditur.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo peccaverit* Longinus *in his casibus contra Ecclesiæ præceptum?*

2° *An in ultimo casu Confessarius illi absolutionem et Communionem differre potuerit?*

Solutio :

456. — *Resp. ad* 1um *Quæs.* 1° Longinus peccavit graviter *in primo casu,* quia tardius ad confitendum accessit. Etenim non satis est confessionem incipere ultima die temporis Paschalis, sed ipsa Communio hac die facienda est, si præcepto Ecclesiæ non adhuc satisfactum fuerit. Dilatio autem, etiam unius diei, gravis est, quia lex sub gravi obligans infringitur. 2° Peccavit quoque graviter *in secundo casu,* si emendationi studere insigniter neglexit. Etenim qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad illum consequendum, ita ut graviter peccet qui hæc adhibere omittit. Atqui dispositio ad absolutionem est res omnino requisita, ut quis ad Eucharistiam accedere possit : ergo hæc illi adhibenda erat. Ergo peccavit contra præceptum Eucharistiam sumendi tempore præscripto. 3° Peccavit etiam *in tertio casu,* propter rationem jam modo allatam, scilicet quia debebat se ad Sacramentum Pœnitentiæ disponere, tollendo impedimenta proxime impedientia legis exsecutionem : atqui prava cordis dispositio est impedimentum proxime impediens absolutionem et Eucharistiæ susceptionem. Ergo, etc. *Tamb. de tertio Præcepto Ecclesiæ, c.* 3. — 4° Non peccavit autem *in quarto casu,* quia dispositionibus requisitis ad absolutionem et Communionem non caruit, et dilationem postulando se judicio et beneplacito Confessarii commisit.

457. — *Resp. ad* 2um *Quæs. Affirm.* Confessarius enim est judex non solum dispositionis ad Communionem requisitæ, sed opportunitatis majoris ad SS. Sacramentum suscipiendum. Potest igitur aliquam dilationem permittere vel imponere, si judicet majus bonum pœnitentis id requirere, saltem si hic non sit invitus.

CASUS VI

DE JEJUNIO 1°

1° Didymus de more jentaverat, septem vel octo uncias panis vel casei manducando, cum admonetur diem esse jejunii; nihilominus prandium solitum media die sumit, ratus non esse sibi omittendum quod omnibus est licitum. Imo cœna integra stomachum vespere reficit, ex eo quod jejunium mane violatum in integrum restitui non possit.

2° Gabinus, cum bona fide duplicem refectionem die jejunii sumpsisset, advertens ad obligationem jejunandi, non tamen a tertia refectione abstinuit, quia jejunium jam violatum non amplius servari poterat.

Hinc :

Quær. 1° *In quo consistat jejunii essentia?*

2° *An* Didymus *jejunium violaverit, cœnam integram sumendo? — Aut quid facere debuisset?*

3° *An duplex peccatum mortale commiserit?*

4° *An* Gabinus *in secundo casu graviter peccaverit, tertiam refectionem sumendo?*

Solutio :

458. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Essentia jejunii in hoc præcipue sita est, ut unica refectio proprie dicta fiat. Usus vero invaluit, ut præterea refectiuncula sub vespere sumi possit.

459. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Peccavit graviter *per se* Didymus duplicem refectionem sumendo, præter jentaculum. Ipsi enim remanebat adhuc possibile jejunium, scilicet prandium ad vespertinum tempus remittendo, vel a cœnula abstinendo. Si refectionem transmittere noluerit aut non potuerit, et omnino abstinentia a cibo vespere nimis molesta esset, posset Didymo permitti ut aliquid cibi, v. gr., unam vel alteram unciam degustaret. Dixi *per se*, quia, si supradictis industriis minime uti potuit, tunc a jejunii lege fuit excusatus.

460. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia unicum jejunii præceptum violavit; proinde unicum posuit actum contra obedientiam erga Ecclesiam. Igitur ille qui tres refectiones sumit die jejunii, non plura peccata gravia committit quam ille qui duplicem tantum refectionem facit, siquidem unica est obligatio jejunii prætermissa.

461. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex est sententia *probabilis*, juxta *S. Lig. n.* 1030.

I^a^ Sententia negat Garinum peccasse mortaliter, quia reapse ita violatum est jejunium ut ejus essentia destructa fuerit, licet ex inadvertentia id evenerit. — *Ita Bonacina, — Elbel, — Sporer,* etc.

II^a^ Sententia affirmat. Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum fregit, non vero *formaliter*. Quare, cum primum advertit ad legem jejunii, tenebatur illam servare, ne formaliter læderet. — *Ita Azor, — Sa, — Na-*

varrus, etc. Si vero GABINUS, detecto errore, consilium postulasset, sane adhortandus fuisset ut ab ulteriori refectione abstineret. — *Recole dicta de leg. n.* 87.

CASUS VII

DE JEJUNIO 2°

PUBLIUS jejunavit quadragesimali tempore, modo prandium sumendo hora decima matutina, cœnulam vero hora septima vespertina; modo ordinem inverso sequendo. In refectiuncula autem 8 vel 10, aut aliquando 12 uncias panis vel lactucarum, etc., deglutiit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An, vel qualis anticipatio aut inversio refectionis sit gravis?*
2° *Qualis sit quantitas permittenda in refectiuncula?*
3° *Qualis sit qualitas admittenda?*

Solutio :

462. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Stante consuetudine, vel accedente rationabili causa fieri potest cœnula versus meridiem, imo etiam versus horam decimam, et refectio vespere. Si hæc praxis neque consuetudine, neque justa causa justificari queat, non vacabit culpa, non gravi tamen, quia hæc transpositio non videtur essentiam jejunii afficere. An vero peccet graviter ille qui refectionem sumit hora decima matutina, vel decima cum dimidio? *Affirmat S. Lig.* cum aliis multis; *negant alii*, cum *Elbel* et *Laymann*, non *improbabiliter*. In praxi, priori sententiæ standum videtur, nisi legitima consuetudo aliud permittat.

463. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. S. Lig.*, cum aliis, octo uncias cibi circiter permittit omnibus, et paulo amplius iis quibus hoc satis non esset, ut jejunium absque nimio incommodo sustinere possint. Dicit *S. Lig.* decem uncias permitti posse *Germanis*, qui, ob regionis rigorem, majori quantitate cibi indigere videntur; et addit hoc etiam concedendum omnibus qui *stomachum* habent *germanum*.

464. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Permittuntur tantum panis, fructus, olera quæcumque, varia dulciaria, et alia similia. *Per se*, excluduntur pisces, et ea quæ originem ex carne ducunt, ut ova et lacticinia. Sed attendendum est ad varias locorum consuetudines. Sic plerumque ova et lacticinia extra Quadragesimam non amplius prohibentur. Imo in ipsa Quadragesima dispensatio generalis semper conceditur, si forte pauci dies excipiantur. — *S. Lig.* permittit in cœnula pisciculos, vel exiguam partem majoris piscis. Invaluit etiam communis consuetudo ut sumatur offa (*soupe, potage*).

CASUS VIII

DE JEJUNIO 3°

CASTOR non semel tantum, sed iterum et sæpius fauces recreat potu vini, cerevisiæ, aut vini meracissimi, innixus hoc axiomate : *Liquidum*

non frangit jejunium. Hinc fit ut jejunii molestiam pene nullam sentiat. Imo toties quoties frustulum panis scypho immittit, *ne potus noceat*. Item tuendæ sanitatis, potius quam recuperandæ gratia, sumit mane præsertim chocolatum, vel theam, aut cafæum, saccharum, etc., cum frustulo panis, quia hæc *per modum medicinæ* sumuntur.

Hinc :

Quær. 1° *An potus vini, vel cerevisiæ, vel alterius liquoris, frangat jejunium?*

2° *An liceat sumere mane poculum cafæi*, etc.?

3° *Quid de agendi ratione* Castoris?

Solutio :

465. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Liquidum enim non frangit jejunium, juxta communem sententiam. Per *liquidum* autem intelligitur illud quod præcipue potus rationem habet, et per modum potus ex usu communi sumitur. — *S. Lig. n.* 1021.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirm.*, si modica quantitas sumatur : constat ex generali consuetudine quæ viget, non solum in Italia, ut testatur *S. Lig., n.* 1023, sed in plerisque aliis regionibus. Frustulum panis etiam cum cafæo vel cum parvo cyatho chocolati addi solet, ita ut tamen quantitas totalis cibi illius duas uncias, præcisa aqua, non excedat. Non licet tamen usum introducere ubi non est. — *V. Comp. n.* 492.

466. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Castor virtutem temperantiæ violare potest in potu excedendo, non vero legem jejunii ecclesiastici. Peccat vero frustulum panis potui toties quoties superaddendo, et quidem graviter, si id sæpius iterat, quia finis jejunii intrinsecus jam obtineri non posset. Hoc igitur semel tantum in die permitti potest, ut supra dictum est. Vana autem est excusatio tua, o Castor! *Potus tibi nocet sine cibo*. Remedium facile tibi suadeo : mi bone, a bibendo abstineas. Plus æquo etiam tibi indulges, Castor mi, chocolatum, saccharum et panem per modum medicinæ adeo facile sumendo. Theologi, fateor, concedunt ut tibi liceat sumere electuaria, seu ea quæ *rationem medicinæ* habent, sed in parva quantitate, ita ut stomachus adjuvetur, absque jejunii detrimento; verum a periculo hallucinationis caveto. Sed qua de causa ipsi pani *rationem medicinæ* tribuis? Panis est solidus cibus *sanorum*, non medicina *infirmorum*.

CASUS IX

DE JEJUNIO 4°

Menander non raro diebus jejunii, per duas, tres vel quatuor horas prandio cum aliis assistit; interea vero, urbanitatis, aut etiam necessitatis causa, e mensa surgit, exit, cum aliis per mediam horam conversatur, etc., redit, et denuo ac strenue inceptum prandium prosequitur. Alias parum quid, sed sæpiuscule in die comedit. Die quadam, cum jam e mensa sur-

rexisset, animo non amplius comedendi, immutata sententia, assedit iterum ut comederet, ne, ut aiebat, injurius in coquum esse videretur.

Hinc :

QUÆR. *An* MENANDER *in casibus expositis jejunium violaverit ?*

Solutio :

467. — *Resp.* MENANDER jejunii legem violat cum refectionem ultra duas horas producit; item cum frequenter in die parum quid comedit. Quandonam vero graviter peccet, ex cibi quantitate colligendum est. Non videtur graviter peccare, ille qui duas, tres, vel quatuor cibi uncias edit. — *Billuart* ad materiam gravem requirit quantitatem cœnulæ æquivalentem. Non autem peccat MENANDER refectionem breviter interrumpendo, v. gr., per quartam horæ partem, etiam sine ratione. A gravi peccato excusandus est, si interruptio fiat per horam et etiam amplius; non vero, si interruptio duarum horarum intercedat. Nec videtur peccare, si iterum sedeat ad comedendum postquam e mensa surrexit cum animo non amplius comedendi. *V. Comp. n.* 491 *et seq.*

CASUS X

CAUSÆ EXCUSANTES A JEJUNIO 1°

1° MELCHIOR, Confessarius, obligat, *sub gravi,* ad jejunium adolescentes robustos a 18 annis, et omnes qui annum 21 incœperunt, item senes bene valentes, etiam octogenarios, quia lex Ecclesiæ attingit et ligat omnes homines qui illius absolute capaces sunt; damnat Theologos contra sentientes, præsertim illos qui viros sexagenarios et mulieres quinquagenarias a jejunio eximunt; imo et Parochos vel alios qui semi-infirmos dispensant.

2° RUSTICUS, agricola, labori terræ addictus, se accusat quod non jejunaverit, quamvis firma gaudeat valetudine imo quod jejunium aliquando omiserit, licet una die, vel etiam pluribus continuis diebus, a labore abstinuerit. Propterea graviter a Confessario carpitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quinam ad jeiunium teneantur?*

2° *An, vel quales juvenes, vel senes excusentur?*

3° *An a jejunio eximendi sint operarii duris laboribus vacantes, licet optime valeant?*

4° *Quid ad varios casus, seu quid de* MELCHIORE *Confessario, et de* RUSTICO *agricola?*

Solutio :

468. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Fideles omnes, a vigesimo primo anno ætatis completo, tenentur ad jejunium servandum statutis diebus, nisi legitime excusentur vel dispensentur. Constat ex variis Catechismis ab Episcopis approbatis, necnon ex universali Ecclesiæ consuetudine.

469. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Juvenes omnes qui ad ætatem 21 annorum non

adhuc pervenerunt, a lege jejunii excusantur, licet robusti sint, ut patet ex dictis.

Omnes senes sexagenarii etiam, *probabiliter,* ab eadem lege eximendi sunt, licet viribus pollere videantur. Ratio est, 1° quia sic fert generalis consuetudo, ut testantur Doctores; 2° quia, alias, res foret nimis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit sufficienter robustus, necne, ad onus jejunii sustinendum; 3° quia vires in sexagenario paulatim deficiunt, et in interitum prolabuntur. Proinde illorum robur facile illusivum est : *senectus* enim, ut fert axioma, *ipsa morbus est.* Ita *multi* contra *alios non paucos. S. Lig.* dicit utramque sententiam *probabilem.* Plures eximunt mulieres quinquagenarias a jejunio; sed *S. Lig.* non audet hoc dicere probabile.

470. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirm. probabiliter.* Ratio est, quia consuetudo eximit generatim a jejunio eos omnes qui ejusmodi artes exercent. Leges autem non respiciunt id quod raro et *per accidens* evenit, sed id quod *per se* et *communiter* contingit. — *Ita S. Lig. n.* 1041. — *V. Comp. n.* 510.

471. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Melchior, Confessarius, errat, tum urgendo juvenes robustos ad jejunandum ante ætatem 21 annorum, tum obligando ad jejunium septuagenarios vel octogenarios qui robusti videntur; imo et sexagenarios benevalentes, cum hoc controversiæ subjaceat; tum carpendo Theologos contrarium sentientes, et Parochos justa de causa dispensantes : quin potius ipse carpens carpendus est.

2° Rusticus nullatenus inquietandus videtur, saltem *probabiliter,* neque ex eo quod omittat jejunium, licet firma gaudeat valetudine, ut patet ex dictis; neque ex eo quod, aliqua die interposita tantum, a labore et simul a jejunio abstineat, juxta communem sententiam; quia ipsi opus est vires reficere, ut sequentes labores sustinere possit, nisi manifeste absque gravi incommodo his diebus jejunare valeat. — *S. Lig. n.* 1044. — *V. Comp. n.* 510.

CASUS XI

CAUSÆ EXCUSANTES A JEJUNIO 2°

1° Bernardus, concionator egregius, tempore quadragesimali singulis hebdomadis ter quaterve, non minori corporis defatigatione quam animarum fructu, ad populum dicere solet; gaudet in Domino de laboris sui successu; sed, ut eum facilius prosequi valeat, quotidie sumit alteram refectionem, licet cæteroquin latera firma, naturamque satis robustam a Deo acceperit. Attamen, nonnullis anxietatibus animum ejus pulsantibus, a Theologo inquirit an tutus in conscientia esse possit?

2° Morinus, theologiæ professor, docet omnes sacrarum scientiarum professores, pietatis causa, a jejunio ecclesiastico eximi, etiam diebus quibus scholæ vacant, doctrinamque suam exemplo confirmat. Discipulos autem omnes, non obstante studiorum ratione, ad jejunium rigorose adstringit.

Hinc :

Quær. 1° *Quid* Bernardo *respondendum?*

2° *Quid, si in audiendis confessionibus præcipue, vel unice se impenderet?*

3° *An professores scientiarum, vel grammaticæ, excusentur a jejunio, an discipuli?*

Solutio :

472. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Bernardo respondebit ipse *S. Lig. Hom. ap. tr.* 12, *n.* 34 : « Excusant Doctores a jejunio concionatores qui in Quadra-« gesima quotidie concionantur, ratione studii et corporis agitatione. Præ-« cipue hoc valet pro missionariis, qui vehementiori agitatione præ-« dicant. *Ita communiter.* Cæterum, ex me dico quod sacri concionatores, « qui potius exemplo quam verbis prædicare debent, pro viribus efficere « deberent ut jejunium observarent. Nec assentiri possum, generaliter lo-« quendo, iis Doctoribus qui etiam excusant eos concionatores qui ter aut « quater in hebdomada concionantur. » — Attamen plures cum *Elbel* magis Bernardo indulgent.

473. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Confessarius, *per se*, a jejunio non excusatur ; sed, *per accidens* excusari potest, si ad laborem extraordinarium incumbat, ita ut jejunando muneri suo satisfacere non possit. — *S. Lig. Hom. ap. tr.* 12, *n.* 34, *in fine.*

474. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Magistri scientiarum excusantur, etiamsi per unam horam singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones præparandas ; non vero si lectiones jam prius ordinatas, vel sæpius repetitas exhibeant. Excusandi sunt etiam *probabiliter* magistri grammaticæ, si in die per quinque horas doceant cum magna defatigatione. — *Sanchez*, — *Azorius*, etc. Discipuli autem excusandi non sunt a jejunio, generatim loquendo ; quia ad studium adeo arduum non tenentur, vel de eo aliquid remittere possunt. Videntur tamen excusandi si secus studium necessarium vel magni momenti tempore Quadragesimæ omittere deberent. — *Azor*, — *Castropalao.*

CASUS XII

EXCUSATIO A JEJUNIO 3°

Strigonius nollet sane jejunii legem infringere, licet ea valde ipsi onerosa sit. Sed ecce ! industriam excogitavit qua tum liberius stomacho indulgeat, tum a peccato immunis evadat. Quomodo faciet ? accipe multifariam calliditatem : 1° Aliquando suscipit durum laborem sibi prorsus insuetum, et jam propter nimiam defatigationem impotens ad jejunandum efficitur. 2° Alias pergit tota die ad venationem valde arduam per montes et saltus et valles, nec proinde jejunare valet. 3° Alias piam suscipit peregrinationem pedester, pro qua peragenda 15 vel 20 milliaria percurrere debet, et iterum a jejunio ob impotentiam saltem moralem excusatur.

Hinc :

Quær. 1° *An labor insuetus susceptus ex causa honesta, vel etiam indifferente, a lege jejunii excuset ?*

2° *An pia peregrinatio, longa et pedibus suscepta, a jejunio liberet?*
3° *An* Strigonius *a jejunio sit immunis in prædictis casibus?*

Solutio :

475. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Neg. per se loquendo,* seu, nisi adsit aliqua ratio gravis determinans ad laborem suscipiendum, v. gr., aliqua necessitas sua vel aliena, occasio lucri extraordinarii, etc... Ratio est, quia, ad se eximendum a gravi obligatione, requiritur ratio proportionate gravis. Ergo non sufficit causa simpliciter honesta, vel indifferens, ut est ratio recreationis, v. gr. ad venandum, ludendum pila, ad itinerandum pro invisendis cognatis aut amicis, etc... Si quis, suscepto illo labore, sit adeo defatigatus ut jejunare nequeat, non tenetur quidem ad jejunandum; sed graviter peccavit ponendo causam proximam jejunium impedientem, si impedimentum præviderit. Secus vero dicendum de eis qui exercent artes laboriosas cum jejunio insociabiles; quia damnum grave subirent, si a labore consueto abstinere deberent, quoties jejunandum est. — *S. Lig. n.* 1046. — *V. Comp. n.* 511.

476. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Neg. per se,* quia ratio pie peregrinandi non est causa necessaria, neque valde gravis, saltem si pia hæc peregrinatio ad aliud tempus remitti possit. Excusat *S. Lig. n.* 1048, peregrinationem ad loca sacra susceptam in magnum Dei honorem, aut communem ædificationem valde notabilem, v. gr., si peregrini sint magnæ auctoritatis. Attamen, si peregrinatio jam suscepta fuerit, et interim dies jejunii occurrat, non est obligatio eam intermittendi, ut jejunium servetur. — *S. Lig. ibid. et alii communiter.*

477. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Strigonius in nullo ex dictis casibus excusari potest a jejunii obligatione ob duplicem rationem, scilicet : 1° Quia egit in fraudem legis; *fraus autem nemini patrocinari debet.* Etenim apposuit causam directam ad legem jejunii eludendam; porro nunquam licet apponere impedimentum *directe* impediens aliquam obligationem; seu, nunquam licet agere cum *directa intentione* legem omittendi. Nam, dum aliquis subjacet imperio legis, non potest velle eam infringere, cum talis voluntas jam sit ipsius legis violatio. — *V. Comp. de Leg. n.* 110. 2° Quia, etiamsi Strigonius non poneret causam *directe* impedientem jejunium, sed ex alio fine laborem susciperet, attamen non excusaretur ob defectum rationis proportionate gravis, ut jam dictum est.

CASUS XIII

ABSTINENTIA A CARNE 1°

1° Nicodemus, absque scrupulo, frustulum unum vel alterum carnis, diebus prohibitis, manducat; quia, ait, *parum pro nihilo reputatur.* — Alias facile comedit pulmentum, offam, aut lactucas, jure ex carne, aut sagimine, vel larido liquato conditas; nec in hoc graviter peccare putat, quia carnes solæ præcise ab Ecclesia prohibentur. Alias carnes reliquas ex convivio die Jovis instaurato, die sequenti comedit, quia in diem Dominicam asservari nequeunt.

2° PERPETUA, paupercula, confitetur se præparasse pro se suisque prolibus cibum sagimine conditum diebus prohibitis, ex eo quod butyrum nec oleum habuerit; item se manducasse frustula carnis in eleemosynam accepta. A confessario graviter reprehenditur.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quænam sit materia gravis vel levis in hac lege?*
2° *Quænam sint carnes prohibitæ?*
3° *Quid de* NICODEMO? *Quid de cauponibus qui die Veneris carnis reliquias comedunt?*
4° *An pauperes carnibus vesci possint? Quid de* PERPETUA, *et de aliis qui sagimine utuntur, quia minoris emitur quam butyrum?*

Solutio :

478. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur.* Gravis est, juxta omnes, materia quæ satis nutrit, ita ut finis legis graviter deficiat. — *S. Lig. n.* 102, dicit gravem materiam reputandam esse eam quæ octavam unciæ partem excedit. — *Voit* admittit ut levem materiam eam quæ æquivalet nucis avellanæ quantitati (*une grosse noisette*).

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Nomine carnis prohibitæ veniunt omnia animalia, in terra viventia, juxta regulam a sancto Thoma traditam. Hinc non prohibentur pisces, ranæ, limaces, etc. — *S. Lig. n.* 1011.

479. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* NICODEMO ingerendus est scrupulus. Etenim, 1° quidem errat innitendo axiomate: *Parum pro nihilo reputatur.* Etenim in violatione legis parum est materia levis, et proinde peccatum veniale, nisi adeo exigua sit materia, ut revera minime ad finem legis conducat. 2° Deinde graviter peccat, si frustulum carnis quod comedit non sit adeo leve, juxta superius dicta, præsertim si uni frustulo alterum superaddit. 3° Peccat mortaliter, *per se,* manducando offam vel alia sagimine aut jure carnis condita; hæc enim sub Ecclesiæ prohibitione cadunt. Excipe, nisi reapse minima quantitas condimenti illius adhibetur. 4° Peccat etiam mortaliter, reliquas carnes ex convivio pridie habito, die Veneris comedendo. Nec valet excusatio quam adducit, ne scilicet pereant: ratio enim adeo exigua a gravi lege excusare nequit. Idem de cauponibus similiter facientibus dicendum est.

480. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Permittitur pauperibus mendicantibus carnibus vesci, quando nihil aliud habent. Illis ergo licet dare reliquias ciborum, qui certis diebus prohibentur. Hortandus igitur NICODEMUS et supradicti caupones ut carnes ex die Jovis superfluas in eleemosynas erga pauperes erogent, ne pereant. PERPETUÆ vero est omnino indulgendum, et de nimio rigore arguendus Confessarius. Peccant autem graviter ii qui utuntur sagimine ex eo quod minoris ematur quam butyrum, nisi adeo sint pauperes ut aliter facere nequeant absque magno incommodo. Ipsis suadendum est ut rem deferant Parocho qui, si opus sit, dispensabit. — *V. Comp. n.* 485 *et seq. n.* 502.

CASUS XIV

DE ABSTINENTIA A CARNE 2°

Eduardo, Confessario, occurrunt varii generis pœnitentes, qui variis prætextibus abstinentiæ legem posthabere non dubitant: 1° Viatores, præsertim mercatores, qui carnes comedere solent, ex eo quod, ut aiunt, nihil aliud inveniant, vel nimis in itinere defatigentur, vel ab aliis dissentire non audeant. 2° Mulieres prægnantes aut lactantes, et operarii magno labori operam dantes, ideoque a lege abstinentiæ sicut a lege jejunii se exemptos existimantes. 3° Aurigæ et muliones, qui carnibus se reficiunt, ex eo quod magnas experiantur defatigationes, et vix ad buccellam deglutiendam, in cauponis, tempus habeant. 4° Milites carnibus vescentes, non solum in castris aut in contubernio, sed etiam in itinere, in domo paterna, aut apud alios. Item duces militum, qui extra contubernium propriis expensis aluntur, præsertim præpositi inferiores, qui cum aliis societatem mensæ ineunt ut minores expensas faciant, et modica pensio a Gubernio accepta ipsis subvenire possit.

Hinc :

Quær. 1° *An peregrini a lege abstinentiæ excusentur?*
2° *An mulieres prægnantes, vel lactantes? An operarii duris laboribus vacantes?*
3° *An aurigæ, muliones, et alii similes?*
4° *An milites in contubernio, vel extra contubernium?*

Solutio :

481. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Peccant graviter peregrini qui, timore ducti, ne scilicet ab aliis dissentire videantur, carnes in diversoriis publicis comedunt, ut patet. Nonne de omni lege actum esset, si hujusmodi excusatio admitteretur? Plerumque graviter etiam peccant prædicti peregrini carnibus vescentes, sub prætextu quod nihil aliud reperiant, vel nimis defatigentur, quia plerumque sunt vanæ excusationes. Numquid cibos licitos petierunt, et quidem enixe instando? Numquid hospitatoribus significarunt sese recessuros, nisi petitioni obtemperarent? Qui fit ut viri religiosi generatim absque tanta difficultate legem Ecclesiæ adimpleant? Quod autem ad defatigationem spectant, quot sunt qui domi legem abstinentiæ servant, licet in duros labores incumbant, et multo magis defatigentur! Quid igitur sæpius deficit? vera voluntas. Attamen admittendum est peregrinos ad legem Ecclesiæ non teneri cum valde gravi incommodo : esset autem incommodum valde grave, si nihil aliud reperirent nisi panem et caseum, vel si notabiliter stomachus labefactaretur.

482. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Mulieres prægnantes aut lactantes certo quidem a jejunio excusantur, non vero *per se* a lege abstinentiæ. Facile tamen prægnantibus indulgendum est, si carnibus refici multum cupiant, ne repulsam ægre ferant, et inde fœtus detrimentum patiatur. 2° Neque

operarii duris laboribus vacantes sunt *per se* ab eadem lege excusandi, licet ad jejunium minime teneantur. Sed admittendæ sunt exceptiones. Sic indulgendum erit iis qui in officinis vitreis vel ferreis, aut in fodinis metallicis, carbonariis et similibus, vitam degunt.

483. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Non excusantur *per se* rhedarii et muliones, quia plerique currus, equos aut mulos ducentes, et in cauponis pernoctantes, non tantam experiuntur defatigationem, ut a lege abstinentiæ dispensari possint. Attamen excipiendi videntur ii qui itinera longa et difficillima, præsertim hiemali tempore, peragunt. — Item qui currus publicos diu noctuque plurimis continuis diebus dirigunt, quibus vix tempus buccellam unam vel alteram festinanter deglutiendi suppetit.

484. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Excusantur milites qui in castris vel contuberniis versantur, et expensis Gubernii in communi nutriuntur, quia carnes semper ipsis ministrantur, et absque nimia difficultate alii cibi præberi non possent. — Secus autem dicendum de militibus iter agentibus privatim et propriis sumptibus, saltem *per se*. — Item de militibus in domo paterna degentibus, licet ad breve tempus. — A fortiori idem dicendum est de officialibus proprio peculio se reficientibus, nisi forte excipias officiales secundarios exiguum stipendium percipientes, et, ratione necessariæ parcimoniæ, communi mensæ assidentes cum pluribus aliis legi Ecclesiæ obtemperare recusantibus. — *V. Comp. n.* 487.

CASUS XV

DE ABSTINENTIA A CARNE 3°

TORQUATUS, ruricola, diebus quibus carnes prohibentur, sæpius tendit in urbem, a qua tribus horis distat, cum curru onusto lignis in foro publico vendendis. Tunc autem carnibus se reficit, his ductus rationibus : 1° quia caupo ad quem divertit solas carnes hospitibus ministrat; 2° quia socios habet itineris et conditionis, qui in hoc hospitium se recipiunt, et difficile ab iis separari potest; 3° quia prandium remittere debet ad horam tertiam vel quartam pomeridianam, negotiorum causa, cum magna stomachi defatigatione, et summo mane ante profectum jentare debuit. Sed notandum TORQUATUM domi versantem aliis abstinentiæ diebus absque ullo incommodo abstinere a carnibus, licet duris agricolæ laboribus operam jugiter impendat.

Hinc :

QUÆR. *An* TORQUATUS *a peccato excusari possit ? — Et an absolvendus sit, nisi legem Ecclesiæ se servaturum esse promittat ?*

Solutio :

485. — *Resp. Neg.* ad utrumque. Etenim rationes a TORQUATO adductæ non sufficiunt. Nonne cibos licitos facile obtineret, si intentionem hospitium nunc et in futurum derelinquendi manifestaret, nisi eæ dapes sibi ministrarentur? Numquid rationem hanc expertus est? Non apparet; sed

esto, reapse hospitium derelinquat, et a sociis impiis divertat : quare adeo difficile ab iis separari potest, nisi respectu humano inductus? Si serius refectionem sumpturus sit, non carent rustici modis quibus stomachum interea corroborent. Hæc omnia agendi ratione Torquati domi degentis plane confirmantur. Ergo neque excusandus est Torquatus neque absolvendus, nisi firmum propositum de futura emendatione emittat.

CASUS XVI

DE ABSTINENTIA A CARNE 4o

Epipodius, caupo, carnes diebus prohibitis hospitibus etiam non petentibus, ministrat, ob varias rationes, nempe : 1° quia aliis cibis caret; 2° quia omnes fere viatores carnibus tantum vesci solent; 3° quia, cum redeant sæpius iidem hospites, novit illos alios cibos respuere. Admonitus autem a Confessario ut saltem cibos licitos simul cum carnibus in mensa apponat, obtemperare abnuit ob nimias expensas quas ad hoc facere deberet.

Hinc :

Quær. 1° *An caupones carnes omnibus petentibus, imo et non petentibus ministrare possint?*

2° *An requiratur, vel satis sit ut cibos licitos apponant?*

Solutio :

486. — *Resp. ad* 1um *Quæs.* 1° Non licet generatim cauponibus carnes ministrare die vetito, advenis non petentibus, quia esset vera cooperatio peccatis aliorum sine ratione sufficienti. 2° Licet autem ex consuetudine universali carnes præbere petentibus, quia inter peregrinos confluentes possunt reperiri non pauci qui, præ infirma valetudine, stomachi debilitate, aut etiam obtenta dispensatione excusentur; et insuper nimium foret incommodum, si singuli, de causis propriis carnes edendi, interrogari deberent.

487. — *Resp. ad* 2um *Quæs.* Omnino requiritur, et generatim satis est, in majoribus diversoriis in quæ confluunt multi hospites, ut cibi liciti simul et carnes in mensa apponatur. Saltem caupones se ostendere debent benevolos et paratos ad tales cibos omnibus requirentibus statim concedendos. — *Bouvier, de Præcept. Eccl.* — *Gousset, de Virtut., n.* 305. — *V. Comp. de Virt. n.* 255.

CASUS XVII

DE PROMISCUITATE CARNIS ET PISCIUM

Pancratius, non minus piscium quam carnium appetens, epikeia utendum esse ratus circa legem Ecclesiæ qua prohibetur carnis et piscis promiscuitas, toto quadragesimali tempore carnibus varii generis immiscet, condimenti instar, pisciculos sale siccatos, cancros (*écrevisses*) cum aquo-

sis limacibus, et infumatos harengos, arida testacea marina, ut ostreas (*huîtres*).

Alias autem, ob valetudinem sat infirmam, tota Quadragesima naturaliter dispensatus a lege jejunii, ut videbatur, nulli carnium et piscium generi pepercit, ratus quod, interveniente dispensatione, nulla ligaretur conditione. Postea vero, quum paulo magis convalesceret, postulata ad tutius dispensatione ad esum carnis, jure tantum ex carne utitur, ut esui piscium indulgere possit.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quando et quomodo urgeat præfata lex Ecclesiæ?*
2° *An in his omnibus* PANCRATIUS *noster bene suæ conscientiæ veluti stomacho consulat ?*

Solutio :

488. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* — Lex vetans ne dispensati in esu carnium pisces simul cum carnibus misceant, urget non solum decurrente quadragesimali tempore, sed etiam cæteris diebus quibus est jejunandum de præcepto Ecclesiæ, non vero aliis diebus quibus servanda est carnis abstinentia absque jejunio. Sic ex epistola *Bened. XIV, In suprema,* et ex responsione *S. Pœnit.* 1834. — *V. S. Lig. n.* 1015. Sic autem intelligenda est præfata prohibitio, scilicet, ne quis in eadem refectione pisces simul et carnes manducet. Verum licet pisces edere in alia refectione in qua carnes non manducantur, etiamsi eadem die id fieret, v. gr., ab eo qui a jejunio est dispensatus.

489. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Nimis ampla utitur epikeia PANCRATIUS noster. Non potest enim edere simul cum carnibus pisciculos sale siccatos, neque harengos, cancros, ostreas, aliave testacea marina, ut constat ex decisione *S. Pœnit.* 16 Jan. 1834. Eadem ratione limaces et ranæ prohiberi debent, cum instar piscium edantur, quando esus carnium prohibetur. 2° An vero naturaliter PANCRATIUS a lege jejunii et abstinentiæ dispensatus, potuerit licite pisces carnibus admiscere, *controvertitur. S. Pœnitentiaria* hac de re interrogata respondit : « Consulat quisque probatos auctores. » Hinc probabiliter non peccavit [1]. Tandem utrum, dum convalesceret, obtenta dispensatione ad carnis esum, jure tantum carnis utendo, simul piscibus refici potuerit, respondendum est *affirmative,* ut constat ex Declaratione *S. Pœnitentiariæ* 1828. — *V. Comp. n.* 504, 514, 515.

CASUS XVIII

DISPENSATIO A LEGE ABSTINENTIÆ

DRUSUS : 1° dispensatione in sua diœcesi tempore Quadragesimæ generaliter concessa utitur, etiam iter agens extra diœcesim, licet nulla ibi vigeat dispensatio ; 2° cum autem ratione infirmitatis jejunare non valeat, pluries

[1] Prohiberi permixtionem carnium et piscium etiam iis qui propter ætatem, impotentiam vel laborem excusantur a jejunio, declaravit S. R. et U. Inquisitio, die 23 junii 1875 et 15 mart. 1841. — *V. Comp.* (edit. Mame, 1881, n. 514, 5°).

in die carnibus reficitur ; 3° præscriptam eleemosynam, vel oratiunculam ex incuria omittit, ratus obligationem hanc, legi abstinentiæ subrogatam, levem esse, ut ipsam materiam.

Hinc :

Quær. 1° *An* Drusus *potuerit edere carnes extra diœcesim, licet nulla ibi concessa fuerit dispensatio ? et quid, si ipsemet ob infirmitatem fuisset dispensatus ?*

2° *An pluries potuerit refici carnibus, si pro infirmitate ad jejunandum impotens fuerit?*

3° *An graviter peccaverit omittens eleemosynam vel præscriptam orationem, licet utraque materia in se levis appareat?*

Solutio :

490. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Dispensatio generaliter concessa est *territorialis*, nec extra diœcesim valet, nisi ibidem eadem dispensatio impertita fuerit. 2° Si vero ipsemet sit dispensatus, etiam extra diœcesim dispensatione uti poterit, quia dispensatio *personalis* ipsi personæ dispensatæ inhæret, eamque comitatur.

491. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.*, quia restrictio ad unam vicem in die afficit tantum jejunantes, qui semel tantum in die carnibus refici possunt. Nihil igitur obstat quominus illi qui jejunium ratione infirmitatis servare nequeunt, pluries in die, et quidem toties quoties volunt, carnibus vescantur. Constat etiam ex Declaratione *S. Pœnit.* an. 1834.

492. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Aliqui *affirmant,* quia, aiunt, Episcopus dispensando, ex delegatione Summi Pontificis, censetur facere quamdam commutationem inter obligationem abstinentiæ et opus facilius, et proinde opus subrogatum obligationem abstinentiæ repræsentat, eamque induit, nisi de mente diversa Superioris constet. Episcopi nonnulli hanc esse mentem suam in Litteris pastoralibus declararunt[1]. Attamen generatim non videntur Episcopi velle rigorosam commutationem facere ; sed *probabilius* dicendum est eos intendere *principaliter* dispensare, et *accessorie* aliquod opus pium in quamdam satisfactionem levem imponere. Sic generatim a fidelibus dispensatio apprehenditur, ita ut illi mirentur si mentio de culpa gravi fiat pro omissione rei in se levis. Vide insuper dicenda de satisfactione in *Tract. de Pœnit. tom.* II *Compendii,* ubi asseritur, cum *S. Lig. et aliis,* materiam levem non esse capacem obligationis gravis, etiam probabilius, si hæc materia levis locum operis gravis teneret ; quia obligatio secundum materiam mensuratur, et magis attenditur ad *materiam in se spectatam* quam ad ejus *causam. S. Lig. n.* 517.

CASUS XIX

DISPENSATIO SABBATICA

Cornelius, caupo, versans in diœcesi in qua facultas edendi carnes die sabbati singulis petentibus conceditur, hac obtenta, privilegium extendit

[1] Mandement de Mgr l'évêque de Montpellier pour le Carême de 1861.

ad familiam integram, ad amicos et cognatos a quibus invisitur, licet veniant ex alia diœcesi in qua ea dispensatio non conceditur; imo ad omnes hospites, qui ad suam tabernam divertunt. Ipse autem hac licentia utitur, non domi tantum, sed etiam peregrinando extra diœcesim, per loca diversa, in quibus hujusmodi dispensatio inaudita est.

Hinc :

Quær. 1° *An* Cornelius *potuerit extendere licentiam quam obtinuit, ad familiam, cognatos, vel amicos?*

2° *An ad extraneos, qui propriis expensis in caupona reficiuntur?*

3° *An etiam iter agendo extra diœcesim carnes edere possit?*

Solutio :

493. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative,* seu potest Cornelius facultatem obtentam extendere ad integram familiam, ad domesticos, atque ad omnes amicos aut alios quos gratuito hospitio in domum admittit. Sic enim privilegium istud communiter intelligitur in locis quibus concessum est. Sic etiam a variis Episcopis declaratum fuit. Satis est igitur si caput familiæ facultatem edendi carnes die sabbati petat, ut tota familia, amici, famuli, operarii et hospites titulo gratuito, in privilegio communicare possint. Potest etiam membrum familiæ quodcumque facultatem eamdem pro tota familia obtinere. Ergo Cornelius sub illo respectu non est inquietandus.

494. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Negative.* Peregrini qui propriis expensis in hospitio reficiuntur, ejusdem dispensationis participes fieri nequeunt; quia de mensa patrisfamilias non edunt, cum ipsimet pecuniam pro victu retribuant, nec proinde de familia, etiam in latissimo sensu, esse censentur. Ergo caupones dispensati, ut carnes die sabbati edant, eodem titulo carnes hospitibus suis ministrare nequeunt. Ergo in hoc casu culpandus est Cornelius.

495. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Cornelius non potest uti facultate accepta extra diœcesim. Ratio est, quia prædicta dispensatio censetur primario localis, et obligatio petendi facultatem pro singulis, vel saltem pro familia, est conditio sine qua non ad usum dispensationis generalis, ut per eam ostendatur submissio et reverentia erga Ecclesiam. Etenim Summus Pontifex, concedendo variis Episcopis facultatem generalem in esu carnis cum suis subditis dispensandi die sabbati, attendit ad difficultates et necessitates locorum. Ergo Cornelius non potuit carnes edere extra diœcesim die sabbati, vi facultatis in suo loco obtentæ, nisi eadem gratia concessa sit in loco per quem transit.

496. — Confirmatur etiam Decisione *S. Cong. Inquisit.*, data pro *Belgio,* die 10 Jun. 1855, quæ ad alia loca applicanda est propter causæ paritatem; sic autem perhibetur postulatum cum data responsione :

« Beatissime Pater,

« Illustrissimi Episcopi Belgii petierunt, anno 1853, a Sua Sanctitate, ut « dignaretur auferre legem qua prohibetur esus carnium in die sabbati. « Sua Sanctitas non abrogavit legem illam; sed dignata est concedere Illus-

« triss. Episcopis Belgii facultatem dispensandi circa illam, cum illis qui « peterent dispensationem.

« Inde exponitur humillime infrascriptum dubium : *Utrum, obtenta dis-* « *pensatione, peregrinantibus extra Belgium liceat comedere carnes in locis* « *in quibus viget ista lex?* »

« *Feria* IV *die* 10 *Januarii* 1855.

« In Congregatione generali *S. Rom. et universalis Inquisitionis* habita « in conventu S. Mariæ supra Minervam, coram *EE. ac RR. DD. S. R.* « *E. Cardinalibus,* contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitori- « bus, proposito suprascripto dubio, et præhabito voto DD. Consultorum, « iidem EE. DD. decreverunt : *Negative.*

« Angelus Argenti,

« *S. Rom. et univers. Inquisitionis Notarius.* »

(*Analecta Juris pontificii.* — 23e livraison, Nov. 1857.)
Recole dicta supra, de Leg. n. 140.

CASUS XX

DISPENSATIO IMPLICITA

Bertoldus, paterfamilias, justa de causa nominatim dispensatur a lege abstinentiæ pro occurrentis Quadragesimæ tempore. Hoc cognito, uxor ejus jubet ancillæ ut paret quidem carnes pro viro, cibos autem esuriales pro se, filiis et familiaribus cæteris. « Quid est hoc? exclamat mussitans Ber- « toldus. Ego sum dispensatus, et volo ut tota familia meo privilegio « utatur. » Uxor autem anxia quærit a confessario utrum obtemperare possit?

Hinc :

Quær. *An reapse tota familia carnibus vesci possit in prædicto casu?*

Solutio :

497. — *Resp. Affirm.* Constat ex responsione *Pœnitentiariæ,* data die 16 Jan. 1834. Etenim sic quæsitum fuerat : « Utrum, cum paterfamilias « qui a lege abstinentiæ a carnibus, tempore Quadragesimæ, dispensatur, « non potest aut non vult cibos utriusque generis parari, ejus filii, aut fa- « miliares, carnes edere possint? »

S. Pœnit. respondit : « Posse personis, quæ sunt in potestate patris- « familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis « patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis at- « que interdictis epulis, et de unica comestione in die, pro iis qui jejunare « tenentur. » — *V. Comp. n.* 513.

CASUS
DE JUSTITIA ET JURE
DE DOMINIO
SEU

De dominio filiorumfamilias, uxorum, Clericorum. — De modis acquirendi dominium, scilicet de occupatione, inventione, præscriptione et accessione.

CASUS I

DE DOMINIO FILIORUM 1°

Leopoldus, mercatoris filius, post patris obitum in domo paterna commorans, commercium indefesso labore ita prosecutus est, ut per octo annos duo millia scutorum lucratus fuerit. Postea autem, matre absque testamento defuncta, majorem hæreditatis partem sibi deberi contendit. E contrario duæ ejus sorores juniores et infirmæ, quæ nihil labore proprio lucratæ fuerant, æqualem partem cum fratre sortiri prætendunt, ex eo quod, coram lege, filiorum jura sint æqualia, quoties parentes ab intestato decedunt. Leopoldus vero cum frustra reclamaret, notabilem pecuniæ summam sororibus incognitam, et quam penes se habebat, sibi servavit.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sint jura filiorumfamilias?*

2° *An* Leopoldus *majorem partem hæreditatis repetere possit, et, sororibus id denegantibus, se compensare valeat?*

3° *Quid Confessario in pari casu agendum?*

Solutio :

498. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Varia sunt jura filiorumfamilias pro variis legibus diversarum gentium; unde unica regula definiri nequeunt. Ex Jure Gallico, filiusfamilias perfectum habet dominium bonorum industria separata acquisitorum, vel ipsi soli donatorum. Directum autem tantum dominium habet in cætera bona ante annum 18 vel emancipationem; pater vero, et, eo deficiente, mater, eorum usumfructum percipit. Quoad bona ex hæreditate paterna et materna, ea æqualiter inter omnes filios dividenda sunt, nisi parentes testamento vel expressa donatione aliquid amplius uni vel alteri e filiis erogaverint, juxta limites juris ipsis a lege concessi.

499. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° De jure *positivo,* Leopoldus nihil amplius ac sorores requirere potest. Etenim, cum in sinu familiæ remanserit, ac nomine familiæ, et ope communis pecuniæ mercaturam exercuerit, et nihil amplius ipsi a parentibus concessum fuerit, ut patet ex casu, nulla ratione legali commodum majus ac alii hæredes reportare potest.

2° De jure *naturali*, videtur Leopoldus posse majorem partem lucri a se acquisiti prætendere. Hoc enim omnino æquitati consonum apparet. Ratio est, quia lucrum illud ingens quod fecit Leopoldus non est fructus solius pecuniæ ad familiam totam pertinentis, sed est fructus industriæ singularis et laboris extraordinarii. Labor enim ille indefessus non debebatur gratis sororibus. Præterea pactio sororum cum fratre, mortuo patre, de relinquenda hæreditate paterna in massa communi ad finem negotiandi, instar contractus societatis habenda videtur. Porro æquitati consentaneum est, ut is, qui in contractu societatis plus confert pecuniæ vel laboris, plus inde participet. Ergo Leopoldus, qui non tantum æqualem pecuniæ partem, sed etiam ipse solus totum laborem ac industriam contulit, majorem partem de lucro memorato sortiri debet. Licet enim lex civilis hujusmodi casum non excipiat, videtur tamen dari locum alicui *epikeiæ*, saltem pro rata laboris *extraordinarii* et *indebiti*, de arbitrio viri probi et periti. Igitur Leopoldus potest aliquam compensationem a sororibus petere. Si autem jus certum et evidens habeat ad aliquam compensationem, rigorose loquendo, eam occulte facere posset, si alio modo id, ad quod jus habet, repetere nequeat. Sed in praxi hoc hallucinationis et periculi plenum est. proinde non permittendum, nisi forte a viris probis, gravibus et peritis prius probetur. Etenim, etiamsi Leopoldus jus non æquivocum habere videatur ad aliquod emolumentum pro labore suo *extraordinario*, difficultas in quantitate ejusdem determinanda remanebit.

500. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Ante factum, Confessarius generatim a simili casu dirimendo abstineat, quia communiter in his rebus temporaneis non erit sat versatus, ut difficultates solvere queat. Remittat igitur pœnitentem ad virum probum et peritum, qui, cognitis omnibus circumstantiis, prudens consilium præbere possit. Hæc enim sunt periculorum plena, et maxime hallucinationi obnoxia. Cæterum tota quæstio magnæ controversiæ subjacet, ut videre est in *Comp. n.* 547. 2° Post factum, facilius Confessarius rem tolerare, vel silentio præterire poterit. 3° Si aliqua sententia judicis auctoritate hac de re jam perlata sit, ei omnino standum erit. — *V. Elbel, n.* 77.

CASUS II

DE DOMINIO FILIORUM 2°

Marius, œnopolæ filius, a patre seniculo mittitur in diversa loca, ut varia emat vina. Marius autem, homo industrius, obtinuit ut vinum infimo emeret pretio, et pretium nonnihil auctum patri suo mendaciter dictitavit. Hinc factum est ut partim ex pretio cum tali lucro sibi reservato, partim etiam ex parcimonia in itinere servata, mensuram vini emerit, quam redux in patriam clam vendidit, adeo feliciter, ut centum scuta in suo peculio numeraverit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo* Marius *peccaverit?*
2° *An, vel quatenus ad restitutionem teneatur?*

Solutio :

501. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Marius peccavit, et quidem, *per se, loquendo, graviter,* patrem decipiendo circa vini pretium, quia commisit mendacium patri suo perniciosum, ut patet. Ergo, si excessus fictus pretii sit notabilis, valor subtractus erit gravis, et proinde injustitia gravis. Mendacium tamen leve esset, si filius præsumere potuisset patrem non esse invitum, saltem quoad substantiam.

502. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Marius tenetur quidem ad restitutionem pecuniæ quam subduxit, pretium vini apud patrem exaggerando, quia nullo titulo eam servare poterat. Si enim feliciter vinum infimo pretio emit, illud beneficium cedere debet patri, quem repræsentat, et cujus rem utiliter gerit, si casum excipias in quo labore et industria extraordinaria usus fuisset.

2° Non tenetur restituere lucrum *parcimoniale,* quia a patre debebatur ei victus honestus, conditioni suæ proportionatus. Ergo si voluerit de tali victu congruo aliquid subtrahere, et marsupio suo potius quam stomacho applicare, pater nequit esse rationabiliter invitus. Etenim, si famulus mercatoris, v. gr., in via incidat in aliquem socium itineris, qui loco illius sumptus necessarios solvat, sane non tenebitur restituere domino pecuniam quam pro victu expendere debuisset. Ergo multo minus filiusfamilias obligandus est ad refundendam patri pecuniam quam parce vivendo retinuit. — *Elbel, de dominio, n.* 80.

3° Neque tenetur restituere lucrum quod negotiatione privata comparavit, quia *industriæ* ipsius *extraordinariæ* tribuendum est, fructus autem industrialis ei qui industriæ studuit, debetur. Nec obstat quod filius lucrum fecerit ex pecunia patris : etenim illud non provenit tantum ex re paterna, siquidem fructum parcimonialem et industrium fecit suum; præterea nullum damnum patri intulit ratione lucri illius, siquidem omnem diligentiam adhibuit ad mandatum patris recte adimplendum. Ergo pater nihil aliud a filio requirere censetur. Profecto si Marius pecuniam parentis in itinere lusui exposuisset, periculo perdendi in se suscepto, et ei lusui vacando lucrum fecisset, non esset damnandus ad lucrum illud patri suo donandum, neque solent parentes ejusmodi lucrum a filiis exigere. Cur ergo Marius urgeretur ad reddendum lucrum, quod, intacta re paterna, ex negotiatione fecit? — *Elbel, n.* 82. — *Tamb. l.* 5, *de Decal. c.* 4, § 1, *n.* 7.

CASUS III

DE DOMINIO FILIORUM 3°

Ferdinandus, filiusfamilias, dyscolus et bibulus, magnas fecit expensas in ludo et potationibus. Virginia, ejus soror, puella modesta, laboriosa et parentibus obsequentissima, adstat sedulo in officina, ad negotia commercii peragenda. Lugens vero cernit rem familiarem deperire, nedum proficere. Hinc ad sibi providendum et aliquatenus pro futuro compensandum paulatim pecuniam, insciis parentibus, seponit. Jam penes se duo francorum millia tenet. Sed anxia Confessarium interrogat, ut sciat an tuta conscientia esse possit?

Hinc :

QUÆR. *An* VIRGINIA *injuste egerit, et ad restitutionem teneatur?*

Solutio :

503. — *Resp.* Quid tibi videtur? Nonne evidens est VIRGINIÆ indulgendum esse? Nonne eam miseratione dignam existimabis? Cernis misellam indefesso labori incumbentem, et rem familiarem, solam sustinentem, dum dyscolus frater eam destruit! Attamen a peccato *mortali per se* excusari nequit. Ratio est, quia furtum in materia gravi commisit erga parentes rationabiliter invitos. Neque ulla injuria a fratre afficitur ; siquidem bona ab illo dilapidata ad parentes, non ad illam pertinent. Ergo VIRGINIA nullum jus habet ad compensationem. Viderint ipsi parentes, an expensas filii tolerare velint.

504. — *Obj.* Juxta auctores plures, valde graves, filiifamilias in simili casu saltem mercedem famulo debitam merentur; ergo VIRGINIA titulo compensationis pecuniam subreptam pro rata laboris retinere potest.

Resp. Illa doctrina est periculorum plena, ut supra dictum est, nec facile in praxi toleranda. Insuper, juxta patronos hujus sententiæ, filiusfamilias pro labore suo mercedem repetere non posset, nisi defunctis parentibus, quia antea certo jus nullum habet. Attamen, si VIRGINIA usa fuerit labore omnino *indebito,* v. gr., si vigilias ultra morem produxerit, etc., aliquam meretur indulgentiam, ut de MARIO in casu præcedenti dictum est. — *Elbel, de Restit. n.* 276.

CASUS IV

DE DOMINIO UXORUM

1° APOLLONIA, arte pingendi peritissima, LAZARO, sponso suo, artifici, præter artis suæ peritiam, nihil prorsus possidenti, dotem mille scutorum contulerat. Tempore vero matrimonii, quatuor scutorum millia ex industria et labore ambo lucrati sunt. Hinc APOLLONIA morti proxima, et omni prole orbata, maritum obligat ad duo millia scuta in pias causas eroganda. Maritus, moribundam affligere nolens, omnia promittit; sed, defuncta comparte, inquirit a Confessario an vere teneatur ad expendendam hanc summam quam nimiam esse putat.

2° DARIA, juri suo cedens, marito permisit ut dotis partem detraheret ad aliquem contractum ineundum, debitave solvenda. Mortuo autem marito, DARIA hanc dotis partem vult juridice reclamare, sciens tales contractus sententia judicis semper irritari, eo quod dos uxoris alienari non possit.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quænam sint bona varia uxorum?*
2° *An* LAZARUS *teneatur legatum uxoris solvere?*
3° *An* DARIA *dotem repetere possit?*

Solutio :

505. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Bona uxorum varia sunt pro variis gentium legibus. Communius sunt : 1° *dotalia*, quæ ab uxore afferuntur in dotem ad matrimonii onera sustinenda, et quæ, soluto matrimonio, sola ei retribuuntur ; 2° *communia*, quæ utrique conjugi quoad dominium directum et utile competunt ; 3° *paraphernalia*, quæ uxor sibi præter dotem reservat. — *V. Comp. n.* 548.

506. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Ad casus hujusmodi solvendos, perpendendæ sunt variæ pactiones inter conjuges statutæ, scilicet, an contractus matrimonii initus fuerit sub conditione dotis tantum ab uxore persolvendæ, an vero ita ut bona acquirenda in matrimonio forent communia, etc. ; quænam sint leges communes, vel locorum particulares. Si Confessarius non sit bene versatus in hujusmodi rebus, pleniorem comparare debet notitiam, priusquam difficultates solvat, vel pœnitentem ad alium peritiorem remittere.

2° Ad casum nostrum, si bona tempore matrimonii lucranda fuerunt communia, ita ut cuique conjugi medietas competeret, Apollonia dimidiam partem bonorum communium in legata pia impendere potuit, et proinde vir totum legatum exsequi tenetur. Si vero, ratione contractus matrimonialis, uxor ad solam dotem jus habuerit, dotis valorem in legatis piis excedere non potuit. Si igitur jura sua excesserit, pro rata excessus legata imminuenda erunt.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Daria *per se* jus habet ad obtinendam contractus rescissionem, vel ad compensationem pro detrimento doti illato ; quia dos uxoris alienari non potest. Excipe : si uxor jam æquivalenter compensationem obtinuit, v. gr., si maritus ad ejus commodum dotem adhibuit, etc.

CASUS V

DE DOMINIO CLERICORUM

Polydorus, Parochus, neglectis pauperibus, notabilem pecuniæ summam ex stipendiis Missarum aliisve honorariis, ex beneficio vel pensione a Gubernio accepta, ex parcimonia in victu, collectam, partim in varios cognatos et amicos distribuit, partimque in senectutem reservat. Sed, repentina morte correptus, absque testamento e vivis sublatus est. Quare pecunia reservata simul cum relicto patrimonio inter hæredes dividitur.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam sunt bona quorum Clerici dominium habent ?*

2° *An teneantur ex justitia superfluum bonorum ecclesiasticorum pauperibus distribuere ?*

3° *An, vel quomodo peccaverit* Polydorus ?

4° *An hæredes teneantur pauperibus restituere ?*

Solutio :

507. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Clerici dominium perfectum habent bonorum *patrimonialium*, *industrialium*, et *casualium*, quia hujusmodi bona

sunt omnino *civilia*, non vero *ecclesiastica*, et proinde ratione eorum Clericus haud secus ac laicus habendus est. 2° Idem dicendum est de bonis quæ Clericus ex *parcimonia* de redditibus beneficii obtinuit, quia jus habet ad honestam sustentationem, et proinde quod stomacho subtrahit, propriæ crumenæ superaddit. 3° Habet dominium utile bonorum *ecclesiasticorum*. Ita ut iis uti possit ad honestam sustentationem, ea tamen conditione ut omne superfluum in pauperes, vel causas pias erogare debeat. Ex multis Conciliorum testimoniis constat.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Neg. probabiliter*, quia licet Clerici debeant ex Ecclesiæ præcepto superfluum bonorum ecclesiasticorum pie impendere, de obligatione tamen justitiæ non constat. — *V. Comp. n.* 560.

508. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Polydorus non peccavit *per se* erogando in cognatos vel amicos donaria, ex stipendiis Missarum aliisve honorariis, aut ex parcimonia in victu collecta, ut patet ex dictis. 2° Peccavit vero et quidem *per se* graviter, pecuniam ex beneficio ecclesiastico habitam, neglectis pauperibus, similiter impendendo. Idem dicendum est etiam de superfluo ex pensione a Gubernio accepta in locis in quibus hæc pensio succedit beneficiis; quia instar beneficii ecclesiastici habenda est, ut pluries a *S. Pœnit.* decisum fuit.

509. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Controvertitur*, ut patet ex dictis. Hinc *probabiliter* hæredes absque injustitia et peccato totam hæreditatem retinere possunt. Ratio est, quia nequeunt obligari, nisi titulo justitiæ, ad restitutionem aliquam in causas pias faciendam : atqui deest fundamentum obligationis ex justitia ; etenim ex dictis Polydorus *probabiliter* non peccavit contra justitiam, beneficii superflua retinendo, seu pauperibus non erogando : ergo neque hæredes obligatione justitiæ ligari possunt; obligatio enim major et diversæ speciei dari non potest in hæredibus, quam in ipso auctore. Porro, si hæredes non tenentur ex justitia, neque etiam alio titulo, et proinde non peccant totam hæreditatem retinendo. Etenim obligatio Polydori fuit mere *personalis*, non vero *realis*, saltem probabiliter; atqui obligationes *mere personales* ad hæredes non transeunt, sed solæ *reales* : ergo hæredes non sunt inquietandi. Præterea in praxi maxima est difficultas sciendi utrum pecunia a Parocho relicta ex redditibus superfluis beneficiorum, vel aliunde proveniat. Non enim constat quod Polydorus secreto sufficienter eleemosynas non dederit. — *V. Comp. n.* 558 *et seq.*

CASUS VI

DE OCCUPATIONE 1°

1° Christophorus, tempore belli, dum civitas obsidione premeretur, et injectione globorum ignivomorum infestaretur, dumque palatium cujusdam divitis, flammis in immensum crescentibus, incenderetur, domesticis omnibus aufugientibus, et de exstinctione incendii desperantibus, domum latenter ingressus est, ibique cistulam auri plenam abstulit, evasitque prospere, de felici sua sorte gestiens; eam pecuniam absque ullo scrupulo sibi servavit, hujusmodi lucrum industriæ suæ extraordinariæ, vel potius audaciæ tribuens.

2° Fortunatus, urbe ab hostibus capta et direpta, emit ab aliquo milite aliqua vestimenta, exiguo prorsus pretio. Postea vero, cum hæc vestimenta accuratius lustrasset, in eis reperit insutos non paucos aureos, quod optimæ providentiæ Dei tribuens, absque ullo conscientiæ remorsu servavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Christophorus *in primo casu pecuniam incendio surreptam sibi retinere valeat ?*

2° *An* Fortunatus *in secundo casu servare possit pecuniam in vestimentis emptis a milite inventam, vel militi restituere debeat, si eum noverit, vel domino, si appareat?*

Solutio :

510. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia res quælibet e periculo interitus erepta, manet domini sui. Hinc axioma : *Res clamat ad dominum.* Licet enim Christophorus sine injuria potuisset permittere ut cistula hæc combureretur, attamen, eo ipso quod illam e periculo eripuerit, ad eumdem dominum pertinere pergit, sicut domus incendio erepta, non ad illos qui flammas exstinxerunt, sed ad pristinum dominum pertinere agnoscitur. — *Lacroix, l.* 3, *p.* 2, *n.* 112. — *Elbel, n.* 172.

511. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Fortunatus non tenetur militi reddere aureos in veste repertos. Ratio est, quia, etiamsi miles juste acquisiverit vestes, v. gr., in bello justo, non tamen acquisivit dominium in aureos sub vestibus latentes ; nec possunt dici pertinere ad pretium vestis, siquidem eos ignoravit, nec proinde animo domini unquam possedit. Ignoti autem nulla est possessio, sicut nulla cupido. 2° In casu in quo cognosceretur dominus, ei reddenda est præfata pecunia, quia animum possidendi rem suam nunquam abjecit, et dominium ejus servavit. Nam ablatio a milite facta *materialis* fuit potius quam *formalis,* respectu aureorum latentium, et proinde non obstat possessioni civili ex parte prioris domini. — *Elbel, ibid.* Attamen ne domino quidem, licet cognito, reddenda esset præfata pecunia, si vestis a milite in bello justo surrepta fuerit ; quia, in eo casu, ejus occupatio ab hoste facta non fuisset injusta.

CASUS VII

DE OCCUPATIONE 2°

1° Martialis, miles, in media strage surripuit variis hostibus, vel etiam sodalibus mortuis et in campo jacentibus, pecuniam et manualia horologia, quæ sibi fecit propria. Cum autem, in patriam redux, id Confessario aperuisset, jussus fuit hæc eadem, vel eorum pretium pauperibus distribuere, aut in pias causas impendere.

2° Anatolius, dum venatio prohiberetur, leporem occidit in prædio Sempronii non clauso. Repente apparens Sempronius, minatur se Anatolium denuntiaturum esse, nisi sibi prædam relinquat. Timore damni majoris, venator abiit vacuis manibus ac pudore suffusus.

Hinc :

Quær. 1° *An* Martialis *possit retinere res omnes quas in strage accepit ?*
2° *An* Sempronius *juste egerit ? vel quid juris?*

Solutio :

512. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Martialis potest hæc omnia servare, si hostem a se occisum spoliaverit; hæc est enim generalis consuetudo. Videtur etiam excusandus, si alios hostes prostratos exuerit. Si vero res a sodalibus occisis acceperit, eas parentibus vel hæredibus defunctorum cognitis restituere debet, in quantum fieri potest et rei valor requirit.

513. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Quid de Sempronio? Ex modo dictis, fera occisa fuit Anatolii, venatoris. Attamen in casu præsenti non est damnandus de injustitia Sempronius, quia jus habet venatorem denuntiandi; proinde hic, prædam illi abjiciendo, se redimit a justa vexatione, seu a justa pœna. Etenim, si reapse denuntiatus fuisset, majus damnum subiturus fuisset.

CASUS VIII

DE OCCUPATIONE 3°

1° Aquilinus ad feram captandam laqueum ponit. Absque mora fera in eo implicatur. Caius, per hunc locum casu transiens, eam illinc extrahit et asportat, ut ea fruatur.

2° Proculus, peritus venator, leporem suscitat; ejus canes strenue feram insequuntur. Verum, lepus aufugiens transit coram Paulino, alio venatore, et ab eo occiditur.

3° Attilius, venator, leporem in campo aperto Caii occidit. Obstat dominus, qui casu præsens aderat, ne venator prædam tollat. Imo arripit ipse, et cum amicis manducat.

Hinc :

Quær. 1° *An fera sit* Aquilini *vel* Caii *in primo casu?*
2° *An* Proculi *aut* Paulini *in secundo casu?*
3° *An* Attilii *aut domini in tertio casu?*

Solutio :

514. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Fera est Aquilini, quippe qui laqueum posuit, et ope laquei eam occupavit, si adeo impedita fuit ut inde evadere non potuerit. Etenim fera illius esse debet qui laqueum posuit, et fugiendi facultatem ei præcidit; siquidem est auctor laquei, et laborem atque industriam ad animal capiendum adhibuit. — *Comitolus, l.* 4, *q.* 29. — *S. Lig. Hom. ap., n.* 71.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Lepus est Proculi qui eum suscitavit, et quem per canes prosequebatur, si verisimiliter a canibus capiendus fuerit. Secus ad occisorem pertinebit. Ratio ex modo dictis liquido constat. Igitur, in hujusmodi casibus, quam maxime ad omnes circumstantias attendendum est,

ut sciatur ad quem fera pertineat. Pertinet enim ad venatorem qui jam eam moraliter occupasse censetur, licet adhuc neque apprehenderit, neque occiderit.

515. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Fera est Attilii, venatoris, quippe qui occidendo fecit suam, licet arripuerit modo illicito, seu absque venia domini agri. Proinde dominus injuste egit, prædam sibi tribuendo et manducando; non enim erat fructus agri. Ergo ad restitutionem tenetur. Licentia ejus requirebatur quidem, sed eam concedere tenebatur. Si tamen damnum aliquod ab Attilio latum fuerit in agro Caii, hic indemnitatem exigere potuit.

CASUS IX

DE RE INVENTA 1°

Felix, iter faciendo, crumenam auro refertam in media via reperit. Inquisito diligenter quidem, sed frustra, domino, felici casu gaudens, putat rem fieri nullius, et proinde sui esse, utpote *primi occupantis*. Verum, cum, aliquo scrupulo motus, rem Confessario patefecisset, ab eodem obligatur sub gravi ad eam pecuniam pauperibus distribuendam. Paulo post, cum aliam invenisset pecuniam, eam in media via reliquit, ut omnem effugeret obligationem; sed non effugit seriam Confessarii objurgationem, ex eo quod graviter caritati defuerit.

Hinc :

Quær. 1° *An inventor rei alicujus possit eam sibi servare, si dominus, diligenter et diu inquisitus, non compareat? vel eam in pias causas impendere teneatur?*

2° *Quid de agendi ratione* Felicis *et Confessarii?*

3° *Quid vero, si* Felix *pecuniam repertam primum accepisset, et postea in eodem loco reposuisset?*

Solutio :

516. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Probabilius* inventor rem sibi retinere potest, quia reapse res in iis circumstantiis pro derelicta habenda est. Dominus enim, licet *absolute* dominium illius non amiserit, *moraliter* tamen amisisse censetur, cum de ea neque uti, neque disponere ullo modo possit. — *S. Lig., n.* 603, dicit hanc sententiam esse *veriorem*. Theologi tamen non pauci contendunt rem inventam, in eo casu, in causas pias impendendam esse. — *V. Comp. n.* 578.

517. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Felix non damnandus est ex eo quod rem prius inventam servaverit. Sequitur ex dictis. Ergo Confessarius qui eum *sub gravi* obligavit ad rem pauperibus erogandam, ipse damnandus est. Debuisset enim pium illud opus suadere tantum, non vero sub peccato, præsertim gravi, præscribere. 2° Felix male fecit, rem in secundo casu inventam in media via relinquendo; debuisset ex caritate eam colligere pro domino, si forte inveniri posset. Etenim ex principio generali caritatis tenemur damnum proximi notabile impedire, cum id facile præstare possu-

mus. Non peccavit quidem contra justitiam, hanc pecuniam in media via relinquendo, siquidem nullo speciali officio, nullove contractu, ad eam colligendam tenebatur; sed peccavit contra caritatem, non avertendo damnum proximi, quod facile impedire poterat. Ergo merito a Confessario objurgatus est. An autem reus peccati gravis evaserit? Hoc ex solis circumstantiis colligendum est. Sed generatim dici potest talem omissionem gravem esse, si res inventa sit magni pretii, et adfuerit magna probabilitas dominum detegendi.

518. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* In hac hypothesi FELIX peccasset etiam contra justitiam, quia rem alienam in loco tuto jam exsistentem, periculo exposuisset, perinde ac ille qui pannum ab incendio a se ereptum, in ignem projiceret. — *Elbel, n.* 172. — Præterea, rem alienam colligendo, suscipit obligationem ex justitia eam domino restituendi, si possit.

CASUS X

DE RE INVENTA 2°

BARBARA, cauponis famula, tabernam verrendo, tres aureos papyro involutos reperit. Primum obstupescere illa atque mirari! Quid est hoc, ait? O miram Dei providentiam! Verum, re paupulum perpensa, subsequitur animi perplexitas... Cujus sint aurei prorsus ignorat, quia hac die adfuit magnus hospitum peregrinorum concursus. Quid igitur de pecunia faciendum? Urgente conscientia, satagit ut ejus dominum detegat, sed absque successu. Cum autem aureos diu detinuisset, domino non comparente, statuit eos sibi servare. Attamen, errandi formidine pressa, rem duobus subjicit Sacerdotibus. Prior dicit pecuniam domino domus tribuendam esse. Alter opinatur eam pauperibus necessario distribuendam esse. Igitur BARBARA anxia remanet.

Hinc :

QUÆR. 1° *An pecunia sit domino domus tribuenda?*

2° *An pauperibus distribuenda, vel utrum ab ancilla ad usum proprium servari possit?*

3° *Quid faciendum* BARBARÆ, *si, ex jussu vel consilio Confessarii, pecuniam in causas pias impenderit, et dominus ex insperato casu appareat?*

Solutio :

519. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* BARBARA minime tenetur pecuniam a se inventam domino tabernæ tribuere, quia hic nullum jus in eam habere potest. Etenim ex omnibus adjunctis constat eam pecuniam non ab ipso fuisse amissam, sed ab aliquo hospite extraneo. Ergo nullum jus habet in illam, ne pro parte quidem, cum neque sit thesaurus, neque fructus fundi.

520. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* BARBARA non tenetur pecuniam a se inventam impendere in causas pias, licet melius faciat si eam sic expendat, et ad id hortanda sit. Ratio patet ex dictis in responsione ad casum præcedentem. Etenim, domino diligenter et diu inquisito, nec comparente, res

habenda est ut derelicta, et proinde fit primi occupantis, seu inventoris. Pauperes, sive aliæ causæ piæ nullum jus habent ad illam pecuniam, neque exsistit ulla lex obligans ad eam ipsis erogandam, neque si ita fiat compensatur damnum quod dominus incognitus patitur. Ergo BARBARA tres aureos a se inventos retinere potest. — *Elbel, de Rest. n.* 307.

521. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si BARBARA pecuniam in pias causas impenderit, quando nulla spes remanet dominum detegendi, et dominus ante tempus præscriptionis appareat, nulla ei facienda est restitutio, quoties res minutatim fuit distributa, vel expensa quin locus pius ditior evaserit, *juxta omnes.* Imo idem dicunt non pauci, etiamsi pecunia uni pauperi, vel uni causæ piæ erogata fuerit, quia translatum est rei dominium. Secus vero, si spes dominum inveniendi non abfuerit, ei enim comparenti restituenda est.

De his sic *S. Lig. n.* 590 : « Quando, spectatis omnibus circumstantiis, « non est amplius possibile quod dominus inveniatur, tunc pauper acqui- « rit *absolute* rei dominium, *sine ullo onere restitutionis.* Quando, post « diligentiam, adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tunc pauper non « acquirit ejus dominium, et proinde debet eam domino servare, ipsique « restituere, si compareat. » *Ita etiam Lugo, D.* 21, *n.* 102. — *V. Comp. n.* 579.

CASUS XI

DE RE INVENTA 3o

Thesaurus.

FELICIANUS, cæmentarius, dum jussu heri pervetustæ domus parietes dejecisset, inopinato casu, sub pavimento reperit magnum auri et argenti pondus. Primo quidem aspectu obstupefactus, paulo post totus exhilaratus, omnem pecuniam festinanter colligit. Sed infeciliter visus est a JANUARIO, alio operario, qui haud procul adstabat. Hic primum dimidiam partem pecuniæ inventæ postulat, ut socius inventionis, quia eodem tempore, imo prius ad rem advertit; et renuente FELICIANO, rem manifestavit domino, qui ab inventore totam summam, utpote in proprio fundo repertam, repetiit. Inde lis ingens tibi derimenda !

Hinc :

QUÆR. 1° *An* FELICIANUS *teneatur medietatem pecuniæ hujus socio tribuere ?*

2° *An vero potius totam summam domino domus tradere debeat, vel totam aut partem sibi retinere ?*

3° *Quid, si* FELICIANUS *totam pecuniam abstulisset, mala fide seu nesciens an jus aliquod in eam habere posset ?*

Solutio :

522. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* FELICIANUS nihil prorsus dare tenetur alteri operario qui inventioni præsens fuit. Ratio est, quia hic nullo prorsus gaudet titulo ad partem rei inventæ repetendam. Testis enim inventionis non est ipse inventor, etiamsi statim ac alter, imo prius rem inventam vidisset.

Nam ad hoc ut quis dicatur rem quampiam invenisse, et inveniendo dominium acquisivisse, non sufficit quod rem prior viderit, sed requiritur ut prior eam apprehenderit. Ergo injuste reclamat partem pecuniæ inventæ ille alter operarius, cum eam minime tetigerit; ergo FELICIANUS, verus inventor, nihil ei dare tenetur. — *Elbel, n.* 179.

523. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* FELICIANUS neque totam pecuniam hero suo dare debet, neque ipse totam sibi retinere potest. Ratio est, quia pecunia ista veram rationem thesauri habet, non vero rei amissæ simpliciter. Agitur enim in casu de summa pecuniæ absconditæ cujus memoria non exstat, seu cujus dominus prorsus ignoratur, neque detegi potest. Porro lex civilis dimidiam partem thesauri in fundo alterius detecti, tribuit domino fundi, et alteram dimidiam partem inventori concedit. Ergo FELICIANUS pecuniam cum domino domus dividere debet.

524. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* In hac hypothesi peccasset quidem graviter FELICIANUS, tum propter malam fidem, tum quia totam summam abstulisset; sed nihilominus medietatem illius retinere posset. Ratio est, quia dominium vel proprietas thesauri non pendet ab æstimatione privati hominis, sive erronea, sive etiam probabili, sed ex sola juris dispositione. Ergo cum jura disposuerint ut in tali casu medietas rei ad inventorem pertineat, hæc FELICIANO adjudicanda erit, licet peccaverit mala fide sibi tribuendo.

CASUS XII

DE RE INVENTA 4°

Thesaurus.

1° GAUDENTIUS, cum audivisset olim thesaurum absconditum fuisse in certo prædio, illud pretio ordinario emit, terram effodit, et reapse ter quaterque beatus, thesaurum invenit, totumque sibi retinet.

2° FAUSTUS, cum, felici eventu, thesaurum in alieno fundo detexisset, illo ibidem relicto, confestim fundum ipsum emit, ut integrum thesaurum sibi servare possit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* GAUDENTIUS *injuste egerit prædium communi pretio emendo, licet præsumpserit, vel certe etiam noverit ibidem fuisse absconditum thesaurum ?*

2° *An* FAUSTUS *potuerit totum thesaurum sibi servare? et quid si de industria quæsierit thesaurum in alieno fundo, et invenerit? an partem servare possit ?*

Solutio :

525. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* GAUDENTIUS integrum thesaurum servare potest, quia illum reapse in proprio fundo invenit. Neque tenetur pretium majus pro agro solvere, quia thesaurus fructus fundi reputandus non est. Nec obstat præsumptio, imo neque certitudo rei; hoc enim omnino *per accidens* est, nullamque injuriam venditori facit. Sic pharmacopola non

debet pluris solvere de feno a se empto, ex eo quod videat in eo esse herbas ad medicinam pretiosas. — *Elbel, n.* 176. — *Billuart.* — *Lug. D.* 6, *n.* 126. — *S. Th.* 2. 2, *q.* 66, *a.* 5.

526. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Faustus dimidiam partem thesauri priori domino fundi dare debet; quia thesaurum invenit antequam fundum emeret, et proinde, statim ac rem detexit, illius medietatem retribuere debuit ei cujus tunc fundus erat. Si de industria thesaurum quæsierit in alieno fundo, de jure totum domino fundi tradere debet. Attamen, ait *S. Lig.*, lex illa pœnalis est, ad puniendam illicitam inquisitionem; quare inventor posset ante judicis sententiam dimidiam rei partem servare. — *V. Comp. n.* 575 *et seq.* — *S. Lig. n.* 602.

CASUS XIII

DE RE INVENTA 5o

Mordentes morsi.

Donatilla, puella paupercula, ex tenui labore victum diurnum sibi genitoribusque, ætate provectis, suppeditare conatur. Cum die sabbati, accepta modica hebdomadæ mercede, domum alacriter rediret, facta jam nocte, infelici casu incidit in tres latrones, qui eam tota mercede, scuto æquivalenti, crudeliter spoliarunt. Illa autem efflagitavit ut saltem aliquantulum sibi relinquerent, quo miseros parentes a fame restaurare aliquo modo posset. Ejus lacrymis commotus unus ex latronibus, numisma argenteum unius franci, ut tactu apparebat, de crumena depromptum, illi porrexit. Minori contenta malo, Donatilla summa diligentia domum petivit, et infortunio narrato, quod supererat in medium protulit : cum ecce! non argenteus, ut dixit latro, sed aureus nummus, 20 argenteis, seu 5 scutis æquivalens.

Hinc :

Quær. 1° *An* Donatilla, *ignotis furibus, servare possit hanc pecuniam ex errore ei datam, vel eam dare pauperibus teneatur?*

2° *An furi reclamanti, vel cognito, restituere debeat?*

3° *Si detegatur aureum fuisse* Caio *subtractum, an ei sit ex integro restituendum, vel possit puella retinere valorem pecuniæ sibi subreptæ, vel etiam totum illum aureum sibi retinere?*

4° *Si quis monetam argenteam pro aureo commutasset, et detegeret aureum fuisse* Petro *subreptum, an aureus ille esset* Petro *restituendus?*

Solutio :

527. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Donatilla, ignotis furibus, hanc pecuniam certo sibi retinere potest, utpote bonum derelictum. Nec proinde eam pauperibus erogare tenetur, juxta superius dicta. Insuper nonne ipsa pauper est et commiseratione digna?

Resp. ad 2^um *Quæs.* Donatilla, etiam cognitis furibus, pecuniam integram servare potest. Ratio est : 1° quia probabiliter pecunia hæc ad eos non

pertinet; 2° quia jus habet eos denuntiandi, et proinde pecuniam retinendi ratione cessionis juris sui. Fures enim implicite et facile consentiunt, ne scilicet ad judicem deferantur, seu, pecuniam deserendo, a justa vexatione se redimant. Ergo præfata pecunia ut res derelicta habenda est.

528. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si ageretur de alia re præter pecuniam, Donatilla eam, cognito domino, restituere deberet, et nec posset ex ea se indemnem facere, quia res in individuo exsistens *clamat ad dominum*. Sed cum agatur de pecunia, et in pecunia attendatur non ad speciem, sed ad valorem, puella, ut videtur, potest non tantum servare partem ad se indemnem faciendam, sed etiam integrum aureum retinere. Fures enim monetam hanc suscipiendo, et cum suis miscendo, eam ut talem suam fecerunt, et de valore tantum erga dominum spoliatum fuerunt obligati. Cæterum in praxi valde difficile foret probare talem pecuniæ speciem ad talem dominum pertinuisse; siquidem fures similes alias species habere potuerunt.

529. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Aureus non esset Petro restituendus, quia fur monetam ut talem suam fecit per commixtionem cum monetis aliis quas habuit, et insuper, ut dictum est, quoad pecuniam ad solum valorem est attendendum. Ergo fur de solo valore tenebatur. Ergo Petrus monetam reclamare nequit. Præterea, ut jam innuimus, valde difficile foret hujus monetæ identitatem probare.

CASUS XIV

DE RE INVENTA 6°

Capiens captus.

Prosper, iter agens, infeliciter incidit in latronem, qui ab ipso aut crumenam aut vitam requisivit. Crumenam elegit tradendam, licet mœrens, viator. Verum, cum eam pene vacuam reperisset latro, ira accensus, ense districto, jubet Prosperum suam exuere vestem, quæ nova atque ex pretioso panno erat confecta, eamque cum propria suiipsius veste, vili et attrita, commutare. Mandato licet invitus obtemperat infelix Prosper, et tristis domum repetit... Verum, o rem plane mirabilem! dum infelix miseram sortem uxori et filiis gemebundus narrat, laceratamque vestem propius intuetur et attrectat, ecce, inopinato eventu, trecentos aureos in ea insutos reperit. Ter quaterque beatus, gestit et exsultat primum Prosper; sed mox anxietate corripitur, nesciens utrum pecuniam hanc sibi servare liceat, vel quid de ea agendum sit?

Hinc :

Quær. 1° *An* Prosper *pecuniam in veste inventam servare possit, ignoto fure?*

2° *An, si fur detegi possit, hæc pecunia sit ipsi restituenda?*

Solutio :

530. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Felici sua sorte gaudeat Prosper, et similes alias occasiones exoptet. Absque dubio enim totam hanc pecuniam sibi

servare potest titulo inventionis; siquidem inter bona derelicta prorsus habenda est. Pie quidem et enixe ei suadendum, ut partem hujus lucri in pauperes, vel in causas pias largiatur. Quod si faciat, adhuc beatior erit, atque centuplum pro vita æterna merebitur. Si autem consilio non obtemperet, ab omni peccato immunis erit. Solutio ex dictis in antecessum de rebus inventis sponte fluit.

531. — *Resp. ad 2um Quæs.* Neque tenetur pecuniam ipsi furi restituere, si forte postea cognoscatur. Res ex dictis in casu præcedenti liquet. Etenim fur pecuniam non reclamabit, ne ad judicem deferatur : ergo pecuniæ jacturam libentius subibit quam judicis pœnam ; ergo hic et nunc pecuniam dimittit; ergo hæc pecunia instar bonorum derelictorum habenda est; ergo a PROSPERO servari potest. Deinde eam sibi suam facere fas est eo titulo; ut a fure denuntiando abstineat. Denique, utrum ad furem pertineat minime constat. Ergo PROSPER inquietandus non est.

CASUS XV

DE RE INVENTA 7o

Fures insigniter decepti.

HORTENSIUS die quodam ex itinere placide revertebatur, insidens equo quem a RICARDO, amico suo, commodati titulo acceperat, cum, infausto casu, incidit in duos latrones, qui de more vitam aut crumenam ab eo requirunt. Ocius ille crumenam eligit tradendam. Sed cum fere vacua foret, latrones et equum ab eo auferunt, et aufugiunt. Gemebundus pedester revertitur ad RICARDUM, ut infortunium ei referat. Ast non adeo infelix exitus erat futurus. Etenim, cum latrones ingentem saccum nummis et aureis refertum in perula ad collare equinum pendula, reposuissent, ut tanto pondere se exonerarent, ecce *bucephalus* noster, latronibus posterioribus pedibus consalutatis, velocissimo cursu iter dimetitur, et ad proprium stabulum mox adstat. Exclamare BERTA, ancilla, stabuli januam equo aperiens! Mirari TITIUS, advena, hic casu adstans! BERTA thesaurum detegit; TITIUS illum accipit ignorans quid rei esset, et ad domum RICARDI defert. Quid vero de HORTENSIO? Ecce interea apparet iste tristissimus; sed mox evadit gaudiosus, resciens quid evenisset. Sed ecce lis magna exoritur! Quid de pecunia faciendum? Eam reclamat ancilla, quæ prior eam detexit; reclamat quoque TITIUS qui eam accepit; reclamat magis HORTENSIUS, totius rei causa, titulo compensationis, pro accepta injuria; sed reclamat maxime RICARDUS, quia hanc pecuniam ipsi attulit equus suus, innixus principio : *Res fructificat domino.* Hoc dicens RICARDUS impiger pecuniam arripit, et in proprio ærario recondit.

Hinc :

QUÆR. *Quid de casu? seu cui pecunia? an ancillæ? an Titio advenæ? an* HORTENSIO? *an* RICARDO *domus domino?*

Solutio :

532. — *Resp. ad casum.* Res difficultate non caret.

1° Ancilla nihil reclamare potest. Etenim, respectu ejus, pecunia neque est res inventa, neque occupata, siquidem, quando saccum nummis refertum detexit, minime sciebat quid hoc esset, et num ab ipso HORTENSIO ibidem collocatus fuisset. Proinde ne cogitavit quidem de re occupanda, et sua facienda; imo nec de hoc cogitare potuit.

2° Neque TITIUS, qui pecuniam e stabulo ad domum RICARDI detulit, majori jure potitur in pecuniam, ob easdem rationes; siquidem animum eam occupandi non habuit, nec habere potuit, cum quid rei esset nescierit. Ergo inter HORTENSIUM et RICARDUM lis tota restringenda est.

3° HORTENSIUS neque ipse ad hoc solatium pro tanto infortunio prætendere potest. Nihil ipsi, præter summulam qua fuit spoliatus, tribuendum est. Etenim quid invenit miser? Invenit latrones, et præterea nihil. Quid occupavit? Nedum quidpiam occupaverit, ipse infeliciter fuit spoliatus. Quod autem ad pecuniam spectat, res tota præter eum, et, eo inscio, peracta est. Ergo nihil ipsi retribuendum, nisi id quod antea habebat. Nec dicas eum fuisse causam rei totius, et proinde felicem sortem sicut infortunium ei cedere; nam non fuit causa, sed mera occasio hujus boni eventus : ergo in eum minime redundare debet.

533. — 4° RICARDUS vero, domus et equi dominus, potest, ut videtur, ipse solus totam pecuniam sibi tribuere. Etenim res quæ pro derelicta habetur, fit *primi occupantis :* porro eam occupavit per equum suum; est enim effatum : *Canis suus pro Martino venatur.* Ergo et equus pro RICARDO. Occupavit etiam ipse realiter pecuniam, dum in media contentione eam sibi tribuit. Præterea ad nullum ex contendentibus nummi et aurei pertinent; cum nullus illos occupaverit, nec animum occupandi primum habuerit. ERGO ipse solus restat dominus.

Dices : RICARDUS non potuit rem occupare, neque *per equum*, quia non est modus occupandi, neque *per se*, quia non potiebatur majori jure ac alii ad occupandum; ergo pecunia pauperibus, vel causis piis eroganda est. *Respondeo :* Occupatio RICARDI videtur sufficiens, attentis omnibus circumstantiis collective sumptis. Insuper quælibet res derelicta, quæ dari potest pauperibus, etiam ab inventore sibi retineri potest. Suadendum tamen enixe foret, ut hæc pecunia in pias causas impenderetur.

NOTA. In solutione casus res supponitur vere derelicta.

Si audiretur igitur totum pecuniæ saccum alicui domino noto surreptum fuisse, et constaret ad illum pertinere, v. gr., ex aliquo signo indubio, cumulus ille totus ipsi restituendus foret. Haberetur enim ut res in individuo ad dominum clamans.

CASUS XVI

DE PRÆSCRIPTIONE 1°

1° DAMASUS emit bona fide scyphum argenteum a fure. Illum tribus annis inter res suas habuit; tandem vendidit. Comparet autem subinde dominus et scyphum repetit; sed DAMASUS præscriptionem ei opponit.

2° Ranulfus, mala fide, possedit pratum, ex quo decem annis percepit fenum. Moritur Ranulfus. Renatus, ejus filius, ut hæres, ei succedit. Hic, ignorans malam fidem patris, pergit pratum possidere, et fenum colligere etiam per decem annos. Tandem pratum vendit, et ex pretio aliud sibi magis opportunum emit. Emptor prioris prati illud decennio, bona fide, possidet, et emolumentum percipit. Denique verus dominus prati illius detegitur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Damasus *dominium scyphi acquirere potuerit vi præscriptionis, in primo casu?*

2° *An* Renatus, *hæres* Ranulfi, *potuerit pratum et fenum præscribere, in secundo casu?*

3° *An emptor prati illud præscripserit?*

Solutio :

534. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Damasus legitime præscriptionem opponere potest; adsunt omnes conditiones ad præscribendum requisitæ, scilicet possessio, titulus, bona fides, tempusque pro mobilibus requisitum.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Renatus præscribere non potuit, cum hæres sit titulo universali, quia vitium possessionis patris pergit afficere possessionem filii, ex eo quod de jure unicam personam moralem efficiant. — *S. Lig. n.* 512. — *Lacroix, n.* 490. Excipe, nisi filius per 30 annos pratum bona fide servaverit, saltem *probabiliter;* lex enim statuens vitium possessionis auctoris afficere etiam possessionem hæredis titulo universali, respicere videtur tantum *ordinarias,* non vero *longissimi temporis* præscriptiones. *Gousset, n.* 720.

535. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Emptor prati certo illud præscripsit, quia ipse gaudet omnibus conditionibus ad præscribendum requisitis; possessio enim decem annorum cum bona fide satis est ad præscribendum immobile *per se,* seu inter præsentes. Nec vitium possessionis Ranulfi et filii ejus Renati transiit ad illum tertium qui pratum emit, siquidem vitium auctoris non afficit nisi ipsos hæredes titulo universali. — *V. Comp. n.* 584 *et seq.*

CASUS XVII

DE PRÆSCRIPTIONE 2°

1° Sylvinus, titulo hæreditatis, possidet a novem annis cum dimidio prædium pertinens ad duos diversos dominos, scilicet Petrum et Paulum. Nescio autem quo titulo, Petrus detegit se jus partiale ad rem habere, hocque coram judicibus repetit, et obtinet. Sex elapsis mensibus reclamat quoque Paulus; sed ipsi opponitur præscriptio.

2° Hippolytus, bona fide, possidet domum quæ pertinet ad duos fratres Joannem et Jacobum. Post novem annos Joannes possessionem impugnat cum titulo deformi ob lituram, et nihil obtinet. Elapso autem decennio in-

tegro, Jacobus, felici casu, invenit exemplar tituli proprii authenticum, absque lituris exaratum, ex quo probatur prioris tituli validitas. Statim domum reclamat. Sed Hippolytus præscriptionem opponit.

3° Medardus prædium per novem annos bona fide possessum, Gustavio hæredi suo, moriens reliquit. Duobus annis elapsis, Victorinus probavit prædium istud ad se pertinere, et ejus restitutionem repetiit. Restitutionem recusat Gustavius, in jure præscriptionis innixus.

Hinc :

Quær. 1° *An valeat præscriptio* Sylvini, *in primo casu ?*
2° *An* Hippolyti, *in secundo casu ?*
3° *An* Gustavii, *hæredis, in tertio casu ?*

Solutio :

536. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Dist. Si duo domini jus habeant ex eodem titulo communi, Sylvinus præscribere non potest, quia bonam fidem ex judicis sententia amittere debuit. Si vero duo domini jus habeant ex titulo distincto, fieri potest ut Sylvinus in bona fide permanserit, et præscribat.

Resp. ad 2^um *Quæs.* Hippolytus vere præscripsit. Ejus enim possessio non fuit formaliter interrupta, quia, licet lis mota fuerit, adversarius tamen a judice repulsam passus est. Accedit quod titulus authenticus, a Jacobo allatus, tardius inventus est, siquidem jam tunc præscriptionis tempus effluxerat.

537. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Valet præscriptio Gustavii, hæredis, quia prosequitur et complet tempus ab antecessore inceptum.

Idem dicendum esset, si Gustavius prædium ex contractu venditionis habuisset. Tempus enim variorum possessorum conjungi potest ad efficiendam præscriptionem, modo omnes bona fide rem detinuerint. — *V. Comp. n.* 582 *et seq.*

CASUS XVIII

DE PRÆSCRIPTIONE 3o

1° Raymundus, filius minor, fide optima, rem furtivam a tutore ex publico mercatore emptam possidet. Elapso autem tempore ad præscriptionem requisito, ecce, nescio quo casu, tutorem suum, qui ipsius nomine emerat, minime ignorasse eam rem furtivam esse detegit. Hinc Raymundus dubius quærit utrum eamdem rem titulo præscriptionis retinere valeat ?

2° Sabinus Martino, filio suo, universali legatario, reliquit gemmam valde pretiosam, quam Luciano subripuerat. Elapsis triginta annis, casu inopinato, agnoscitur gemma, et reclamatur ab ipso Luciano. Ast ejusdem restitutionem denegat Martinus ratione præscriptionis.

3° Eugenius novit patrem agrum alienum bona fide possidere. Tacet ille. Præscribit pater, et paulo post moritur. Filius vero, ejus hæres agrum possidet et retinet.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* RAYMUNDUS *possit rem retinere in primo casu?*
2° *An* MARTINUS, *hæres, gemmam servare queat in secundo casu? et quid si eam alteri vendidisset?*
3° *An* EUGENIUS *agrum legitime servet?*

Solutio :

538. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* RAYMUNDUS rem possessam tuta conscientia titulo præscriptionis servare potest : gaudet enim omnibus conditionibus ad præscribendum requisitis; nec mala fides tutoris ejus bonam fidem infirmare potest. Ipse enim proprie possidet; in possidente autem, et non in alio, bona fides requiritur. Tutor vero minime eximitur a damno erga dominum cognitum, defectu furis, reparando, scilicet ratione cooperationis. — *Gousset, n.* 722.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* MARTINUS *probabiliter* præscribere potest, si ipse toto tempore fide bona gemmam servavit, quia agitur de præscriptione *extraordinaria,* seu *longissimi temporis,* pro qua auctor et hæres unicam personam moralem constituere fictione juris non amplius censentur. Secus vero, si de præscriptione ordinaria ageretur. Si gemmam vendidisset MARTINUS, decurrente possessione, ante 30 annos, emptor per triennium præscripsisset, quia per se possessionem bonæ fidei inchoasset et perfecisset. Idem foret dicendum de ipso MARTINO, si fuisset hæres particularis.

539. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* EUGENIUS, licet graviter peccaverit contra caritatem omittendo patrem de injusta possessione admonere, non peccat tamen nunc contra justitiam agrum retinendo. Etenim vere præscripsit pater, siquidem nulla conditio in ipso deerat ad præscribendum : ergo filius, hæres, legitime possidet; accepit enim a patre id quod vere vi præscriptionis ad patrem pertinebat; nam pater omnia sua jura in filium transtulit : ergo transtulit dominium agri quod juste possidebat. — *Gousset, n.* 721. — *V. Comp. n.* 582 *et seq.*

CASUS XIX

DE PRÆSCRIPTIONE 4°

QUIDONIUS, artifex, horologium portatile 100 constans francis REMBOLDO confecerat. Differtur solutio ab emptore per menses et annos. QUIDONIUS timens ne ejus offensam incurreret (erat enim ille vir dives et potens) petitionem solutionis omisit. Sed elapsis 6 vel 7 annis, REMBOLDUS repente e vivis excessit. QUIDONIUS vero ocius horologii pretium repetit ab hæredibus, qui, præscriptionem opponentes, nolunt vel obolum solvere.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* QUIDONIUS *pretium horologii repetere possit?*
2° *Quid si hæredes* REMBOLDI *fuerint in bona fide per notabile tempus?*

Solutio :

540. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Certissime QUIDONIUS pretium horologii repetere potest, et hæredes illud solvere debent, si debitum noverint, vel pro-

betur. Nec possunt præscriptionem opponere. Ratio est, quia debita non præscribuntur, nisi per 30 annos et quidem cum bona fide. Porro Rembolbus utraque hac caruit conditione; debitum enim non exsistit nisi a 6 vel 7 annis, ut dictum est, neque debitor per negligentiam in debito persolvendo in bona fide constitui potuit. Ergo nullatenus præscripsit ipse; ergo hæredes præscriptionem opponere nequeunt; ergo debitum solvere debent, si de eo liquido constat.

541. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Neque hæredes præscribere possunt, licet in bona fide fuerint per notabile tempus. Ratio est, quia in eos transivit mala fides auctoris; siquidem ex jure censentur unicam personam moralem efficere cum eo, juxta dicta supra *n.* 534. Excipitur *probabiliter* casus in quo bona fides eorum, per 30 annos a morte testatoris, perseverasset. Sed hæredes de quibus agitur in casu, a tali tempore longissime distant. Ergo a debito solvendo excusari nequeunt, nisi illud ignoraverint, et nunc probari non possit.

CASUS XX

DE PRÆSCRIPTIONE 5°

Marinus domum Roberti vi contractus locationis tenet. Per 10 annos, non reclamante locatore, redditus annuos solvere ex incuria omiserat, cum tandem creditor debitum repetit. Quid tunc debitor? Pergit ad consulendum advocatum, ut sciat an teneatur integram pensionem a 10 annis solvere? Respondet jurisperitus eum obligari tantum ad solvendos redditus locationis a 5 ultimis annis, et pro tempore remotiore posse vi legis præscriptionem opponere. Huic consilio obtemperavit, frustra mussitante et conquerente Roberto. Sed postea, cum Marinus ad confitendum accessisset, Confessarius eum obligavit, sub pœna denegandæ absolutionis, ad integram restitutionem locatori faciendam.

Hinc :

Quær. 1° *An* Marinus *possit præscriptionem opponere, seu an valeant in conscientia præscriptiones legales quinque annorum liberativæ ex Jure Gallico?*

2° *Quid de præscriptionibus brevissimi temporis, v. gr., duorum annorum, unius anni, sex mensium?*

Solutio :

542. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Marinus præscriptionem minime opponere potest. Habendus est sicut alius debitor quilibet. Præscriptiones quinque annorum valere quidem possunt, sicut aliæ, posita bona fide, si debitor sit in ignorantia invincibili debiti toto quinquennii tempore; non vero valere possunt pro debitoribus qui ipsimet debitum contraxerunt, siquidem bona fide requisita destituuntur : ergo soli hæredes, vel mediati possessores præscribere possunt per bonam fidem, completo legis tempore. Hinc patet quam falsa sit solutio opposita quæ sæpius ab advocatis et a nonnullis Theo-

logis datur, interrogantibus ipsis debitoribus, et postulantibus utrum ad solutionem teneantur.

Obj. 1° Lex intendit punire negligentiam creditoris qui non reclamavit. — *Resp.* Jocaris! ubi est delictum puniendum? Quis est magis reus, an creditor vel ipse debitor? Cuinam est agere? Nonne creditor mere *passive* se habet? Numquid obligatione aliqua ligatur? Unde probas eum debere esse sollicitum ad reclamandum? Debitor premitur obligatione solvendi, et ad hoc ipse sollicitus esse debet. Præterea quot inveniuntur qui non cessant reclamare apud debitorem, et non impediunt quin ab isto postea præscriptio opponatur! *Sed dicis :* Reclamatio non est juridica. — *Resp.* Numquid igitur obligatio datur ad lites, sub pœna amittendæ solutionis? Insuper, numquid lex civilis supplere potest bonam fidem quæ a jure canonico in omni casu requiritur?

Obj. 2° Lex intendit præcavere ne debitor nimis gravetur debitis cumulatis, et ideo statuit præscriptionem liberativam ultra quinquennium. — *Resp.* Inanis objectio! Numquid non sufficit ut finis ille obtineatur, quod lex recursum externum deneget, seu reclamationem in foro externo non audiat! Nec obstat quod remaneat obligatio in foro interno, siquidem impotentia moralis ad tempus debitorem excusat. Ergo debitor nunquam poterit ultra vires gravari, etiamsi in foro interno ab omni obligatione non liberetur.

543. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Præscriptiones triennio minores, quales habentur in Jure Gallico, v. gr., biennii ad præscribenda stipendia advocatorum, unius anni pro stipendiis medicorum, famulorum, sex mensium pro stipendiis operariorum, hospitum, etc., istæ, inquam, præscriptiones *liberativæ*, quæ dicuntur *brevissimi temporis*, non sunt præscriptiones *proprie dictæ*, sed tantum denegatio recursus in foro externo. Constat : 1° ex motivo legis, quod est præsumptio solutionis; 2° ex praxi proborum, qui nunquam tali præscriptione uti vellent; 3° ex *art.* 2275 *Cod. Gall.* ex quo creditores a debitoribus juramentum exigere possunt de peracta solutione, non obstante lapsu temporis præscriptionis. Frustra autem juramentum requireretur, si præscriptio ad debitum exstinguendum sufficeret. — *Ita Carrière, n.* 427, *post melioris nominis juristas.*

CASUS XXI

DE PRÆSCRIPTIONE 6°

Girinus, olim dives mercator, infeliciter omnium fere bonorum jacturam fecerat. Sed ecce! die quadam, summo mane, prospero casu, crumenam nummis aureis refertam reperit. Cum vir probus foret, nihil intentatum reliquit ut dominum inveniret. Verum, cum diu multumque frustra quæsiisset, sibi eam propriam fecit, et cum inventa hac pecunia negotiari cœpit, et ita feliciter, ut brevi tempore magnum lucrum fuerit adeptus. Quatuor vero elapsis annis, iter agens socium habuit Sabinum, mercatorem alium, qui inter eundum narravit se quatuor annis antea crumenam nummis aureis refertam in hoc ipso portu amisisse, et cum e littore pro-

fecta fuisset navis, se consistere non potuisse ad eam inquirendam. Ex omnibus narrationis adjunctis, certo noscit Girinus inventam a se pecuniam ad illum mercatorem pertinere. Tacitus tamen rem alto premit silentio, et pecuniam titulo præscriptionis sibi servat.

Hinc :

Quær. 1° *An merito* Girinus *hanc pecuniam potuisset suam facere, non invento domino ?*

2° *An, noto domino, potuerit nihilominus eam servare titulo præscriptionis?*

Solutio :

544. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Girinus *probabilius* rem sibi servare potuisset, si, facta diligentia gravi et adæquata, seu valori pecuniæ proportionato, dominus non comparuisset, quia tunc res illa haberi posset tanquam nullius, et quæ proinde fieret primi occupantis. — *Recole dicta supra, n.* 516. — *V. etiam Comp. n.* 578.

545. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur*, utrum inventor ipse præscribere possit. Prima sententia communior negat. Ratio est, quia inventor caret bona fide requisita ad præscriptionem. Non potest enim rem possidere ut suam, decurrente præscriptionis tempore, quia debet constanter habere animum restituendi, si forte compareat dominus. Etenim, si inventor interrogaretur tunc temporis, an vellet domino comparenti rem restituere, respondere deberet se velle ; ergo rem non possidet unquam ut suam. *V. Reuter, Cas. conscientiæ, part.* 3, *cas.* 21. Secunda sententia *probabilis* affirmat, quia ubi nulla spes dominum inveniendi affulget non obstante gravi diligentia adhibita, ab eo dominium rei moraliter amittitur. Igitur inventor incipere potest possessionem animo rem inventam retinendi ut propriam. — *Ita Elbel, n.* 172. — *Sporer, de Inventione, n.* 187. — *Pichler, et alii.*

CASUS XXII

ALLUVIO

Dum mulieres cujusdam pagi, autumnali tempore, linum collegerant, et in pratis, de more, juxta fluminis ripam extenderent, ut rorem et vicissim solem imbiberet, ecce! suborta inopinata tempestate, diluvio aquarum repente intumescens flumen in prata late diffunditur. Linum vero fluctibus abstrahitur atque præceps juxta fluminis cursum devolvitur. Pars tamen in sepes projicitur, pars alia rotis vicini molendini inhæret vel muris domus cohibetur. Sedata autem hac tempestate, ecce alia vehemens exoritur tempestas, nempe mulierum ejulatus, ploratus, lamentationes et querelæ. Quæque lini residua ut sua certatim arripiebat. Interea molendinarius cum uxore sua utraque manu in domum attrahebant quidquid lini ipsis occurrebat, titulo alluvionis et occupationis.

Hinc :

QUÆR. 1° *An mulieres potuerint accipere quidquid occurrebat? vel quid erat faciendum?*

2° *Quid, si una mulier fateatur se plus, vel saltem eamdem lini quantitatem rapuisse, quam non supposita inundatione habuisset, dum sciret alias multo minus habuisse?*

3° *An molitor et ejus uxor potuerint accipere linum aquis ad se asportatum?*

4° *An ligna vel aliæ res, inundatione longe transvectæ, sint primi occupantis?*

Solutio :

546. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego.* Ratio est, quia commixtio facta non est communi consensu, sed casu contra mulierum voluntatem : ergo dominium non factum est commune, sed manet penes illas ad quas ante permixtionem pertinebat ; ergo non licet cuilibet mulieri rapere omnem lini quantitatem quam capere potest, sed tantum eam quam ante commixtionem habebat : imo minus accipere debet, quia, ut ex casu apparet, magna pars lini dissipata est, et ex tota massa deficit. Unde hujusmodi controversiæ communiter arbitrio judicis dirimendæ sunt, *ex æquo,* id est *pro rata* quantitatis lini ad singulas mulieres pertinentis, seu pro ratione jugerum agrorum ex quibus linum collectum est. — *Elbel, n.* 233.

547. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* In hoc casu talis mulier a Confessario adigenda est ut illum excessum sibi indebitum restituat, in quantum moraliter fieri potest, aliis mulieribus, quæ proprio de lino nihil, vel certe multo minus ac ipsis erat debitum, acceperunt.

548. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Molitor nihil prorsus prætendere potest titulo alluvionis ; quia nomine alluvionis non intelligitur omne emolumentum aquarum impetu alicui adductum, sed incrementum terræ, seu soli, ab aquis paulatim uni prædio ademptum et alteri adjunctum. Ergo molitor id omne quod accepit restituere debet iis qui quod suum erat non receperunt, quia omnis injuste proximum damnificans ad damni reparationem tenetur. — *Elbel, n.* 232.

549. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Per se affirmative,* si vere ut res derelictæ habeantur, scilicet, si domini penitus ignorentur. Communiter res ejusmodi agglomeratæ per magistratum publicum in commodum municipii venduntur. — *V. Comp. n.* 591.

CASUS XXIII

SPECIFICATIO ET COMMIXTIO

SILVERIUS, vir improbæ conscientiæ : 1° lanam alienam furatus est, ex qua curavit fieri pannum ; 2° aliena frumenta et pecunias surripuit, et ea statim suis miscuit. Sed ecce vix id fecerat, cum grande infortunium ei supervenit ; domus enim ejus incendio absumitur, pannus et frumenta com-

buruntur, et pecunia in medio tumultu auferlur. Quare ille qui *ditescere* voluit, factus est *minus habens*.

Hinc :

Quær. 1° *Quid sit* specificatio *et* commixtio *rerum, et earum efficacia quoad dominium?*

2° *An* Silverius, *per operam suam specificationis et commixtionis, factus sit dominus panni, frumenti et pecuniæ?*

3° *Ad quid nunc teneatur?*

Solutio :

550. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Specificatio* haberi dicitur, quando nova corporis species ex aliena materia per artem conficitur. Tunc ex *Jure Romano*, si res in pristinum statum restitui non possit, res pertinet ad artificem qui tenetur pretium materiæ solvere, et damna, si quæ sint, compensare. Ex *Jure* vero *Gallico*, dominus materiæ novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriæ longe superet pretium materiæ, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiæ pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino illata reparare tenetur.

2° *Commixtio* dicitur quando res ad diversos pertinentes dominos miscentur. Tunc, si res mixtæ possint dignosci et separari, separentur; si vero non possint dignosci, res communis erit dividenda *pro rata* quantitatis propriæ singulorum. Attamen dominus materiæ præstantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione. Quod si res mixtæ sint omnino inseparabiles, et circiter æquales, compositum vendatur, et pretium dividatur.

551. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Ex *Jure Romano*, Silverius factus est dominus panni propter *specificationem*, et frumenti atque pecuniæ propter *commixtionem*, supposita re furis in majori quantitate, ut veresimile est; sed tenetur ad adæquatam compensationem, seu injuriæ reparationem.

Ex *Jure Gallico*, idem dicendum de frumento et pecunia commixtis; sed dominus lanæ pannum repetere potest, data specificationis, seu artis, solutione; secus satis erit si Silverius pretium lanæ solvat.

552. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* In casu, Silverius, cum fuerit possessor malæ fidei, tenetur ad solvendum pretium lanæ et frumenti, et ad restituendum pecuniæ valorem. Teneretur etiam ad alia damna reparanda, si quæ secuta fuissent, ex eo quod dominus læsus re sua caruisset.

CASUS

DE INJURIA ET FURTO

SEU

De gravitate furti. — De furtis minutis. — De furtis filiorum, — domesticorum, — uxorum. — De furtis dubiis. — De occulta compensatione.

CASUS I

FURTI GRAVITAS

Nestor, data occasione, et diabolo quoque impellente, rei alienæ subducendæ inhians, modo apud divites, modo apud alios, etiam pauperes, clam surripit tres, vel quatuor, vel quinque aut sex francos. Imo quadam die surripuit 12 francos apud principem valde divitem. Postea autem, audita concione vehementi, sincere confitetur, et quærit an in omnibus istis graviter peccaverit?

Hinc :

Quær. 1° *Quænam materia sit gravis in furto?*
2° *An graviter peccaverit* Nestor *in dictis casibus, præsertim 12 francos principi subripiendo?*

Solutio :

553. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Juxta communem sententiam, in furto materia est *relative* gravis, non vero *absolute* seu respectu omnium; id est, materia sæpe potest esse gravis vel levis, ratione conditionis majoris vel inferioris domini læsi. Furtum quinque vel sex francorum *probabilius* constituit materiam gravem respectu divitum, regulariter loquendo. Minor materia sufficiet ad peccatum mortale, si damnificatus sit inferioris conditionis. Hinc valor unius, aut etiam dimidii franci, quoad pauperem, materiam gravem constituere potest. — *V. Comp. n.* 607.

Communiter dicunt auctores, ait *S. Lig., n.* 527, gravem esse in furto illam materiam, quæ alicui, juxta suam conditionem, sufficeret in die pro sui suæque familiæ sustentatione, in qua non solum computatur victus, sed etiam vestitus et habitatio. Sed regula hæc, cum sit valde obscura et confusa, nec universe possit pro omnibus valere, statuenda videtur materia relative gravis in furto pro vario hominum statu. Hinc requiri videntur circiter 20 asses relative ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu necessitatis; duo vel tres franci relative ad operarios qui labore victum sibi comparant; quatuor vel quinque franci relative ad homines mediocriter

divites; sex vel septem franci relative ad divites ordinarios, et paulo amplius relative ad ditissimos. Sic ex doctrina sat communi.

554. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ex dictis colligi potest : saltem circiter, an vel quando Nestor graviter deliquerit. Reus sane fuit peccati lethalis quoties 6 vel 7 francos surripuit, etiam apud divites; et 10 vel 12 fr. apud principem. Quoad alia furta interrogandus est, ut res clarius pateat et applicandæ sunt regulæ modo expositæ, circa materiam gravem. Cæterum in praxi sæpe materia gravis determinari nequit exacte, et proinde Confessarius non potest dignoscere utrum pœnitens graviter peccaverit, necne. Tunc res divino judicio relinquenda est. — *S. Lig. n.* 527.

CASUS II

DE FURTIS MINUTIS

1° Hubertus, furtulis assuetus, successive sustulit ab eodem domino 8 vel 9 francos, et postea a diversis dominis 12 francos, sine prævia intentione ad talem summam perveniendi, et sine advertentia ad furtula anterius patrata, dum ad gravem summam accedit.

2° Damasus, villicus, degens in prædio Gerardi, ei subripuit a pluribus annis, et pluribus vicibus, singulis annis, quid modicum, v. gr., tempore messis modicum tritici, tempore vindemiæ modicum uvæ, etc. Nunquam tamen in his furtulis perseverare intendit. Nunc advertens modica hæc furta in gravem materiam exsurgere, petit a Confessario an graviter peccaverit, et sub gravi ad restitutionem teneatur?

Hinc :

Quær. 1° *An furtula in materiam gravem coalescere possint?*
2° *Quænam materia gravis censeatur in furtulis simul collectis?*
3° *Quomodo prædicti fures peccaverint et teneantur ad restitutionem?*

Solutio :

555. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, si fiant eidem domino, damnum grave inferre possunt; si vero fiant diversis dominis, repugnant præcepto non ditescendi ex re aliena, quod præceptum jure naturali ratione boni communitatis manifestum est. Constant etiam ex *propositione* 38^a^ *ab Innoc. XI damnata.* — *S. Lig. n.* 534. — *V. Comp. n.* 609.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° Si furta minuta fiant diversis vicibus, vel diversis personis, ut materia censeatur gravis, excedere debet ex dimidia parte summam communiter requisitam ad peccatum mortale constituendum. 2° Si vero fiant tum diversis vicibus, tum diversis personis, ut materia sit gravis, duplo major esse debet. — *S. Lig. n.* 530.

556. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Hubertus in utroque casu pervenit ad materiam gravem, ut patet ex modo dictis. Attamen non videtur peccasse graviter, propter defectum advertentiæ. Sed sub gravi tenetur ad restitutionem, quia rem gravem proximi detinet. In priori casu tenetur *sub gravi* restituere ipsi domino graviter læso. In altero casu, tenetur quidem *sub*

gravi spoliare se re aliena gravi, sed non tenetur, nisi *sub levi*, erga singulos dominos læsos, quia singuli leve damnum passi sunt. Si vero restitueret tantum id quod summam gravem constituit, v. gr., duos vel tres francos ex septem debitis, a peccato lethali excusaretur.

2° Quid autem de Damaso statuendum?

Non peccavit graviter, si non animadvertit ad materiam gravem; sed tenetur sub gravi restituere, quia damnum grave intulit, nisi forte tantum adfuerit intervallum inter singula furtula, ut in materiam gravem coaluisse non censeatur, quod in casu vix supponi potest.

CASUS III

DE FURTIS FILIORUM ET FAMULORUM

1° Romaricus, filiusfamilias, clam subripuit patri, sat diviti, 8 francos una vice, et posito notabili intervallo, 10 francos, per varia furtula, et totam hanc pecuniam in ludo et potu expendit.

2° Quirinus, famulus, semel 6 francos ab hero divite furatus est, et pluribus elapsis mensibus, varia adhuc adjecit furtula in cibo et potu, eodem decurrente mense, pro valore 8 circiter francorum.

Hinc :

Quær. 1° *Quænam summa requiratur ad peccatum mortale in furto filiorum familias ?*

2° *Quænam pro furtis famulorum ?*

3° *An* Romaricus *et* Quirinus *graviter peccaverint ?*

Solutio :

557. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Conveniunt *communiter* Doctores majorem pecuniæ vim requiri ex parte filiorumfamilias, quam ab extraneis, ad materiam gravem constituendam; quia parentes sunt minus inviti aut saltem minus rationabiliter inviti, si a filiis propriis lædantur. *Probabilius* autem dicunt summam duplo majorem requirendam esse. Idem de furtis uxorum dicendum est. — *V. Comp. n.* 608.

558. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Pro famulis distinguendum est : 1° Si agatur de pecunia aut de rebus sedulo custoditis, materia communiter determinata ut gravis peccatum mortale etiam constituet pro famulis; quia nulla est ratio cur in rebus hujusmodi ipsis indulgentia adhibeatur, siquidem domini non sunt minus inviti pro illis quam pro extraneis.

2° Si agatur de esculentis, videtur materiam majorem requirendam esse. Imo, juxta multos, furtula facta in esculentis non censentur generatim ad materiam gravem devenire, modo non vendantur, aut e domo non educantur. — *V. Comp. n.* 608.

559. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Quoad Romaricum, non videtur certo de gravi peccato accusandus, neque in primo casu neque in secundo. *Non quidem in primo,* quia, juxta sententiam communiorem, materia gravis pro filio honestæ familiæ deberet saltem 10 francos adæquare; *neque in*

secundo casu, quia, si requiruntur 10 franci circiter ad peccatum grave pro Romarico, licet unica vice hanc pecuniam subripiat, valor 15 francorum circiter in furtis minutis erit requirendus.

2° Quoad Quirinum, peccavit graviter prima vice seu 6 francos a domino auferendo, ut patet ex sententia communi Theologorum, non vero in furtulis circa esculenta, *per se loquendo*, ut ex dictis apertum est.

CASUS IV

DE FURTIS UXORUM

Uxor provida.

Gerasina, uxor Ludomiri, viri divitis quidem, sed austeri et tenacis, ne dicam avari, suo marito clam et paulatim pecunias subtrahit : 1° ad alendam matrem valde pauperem ac miseram, licet sciat maritum hoc ægerrime laturum, si cognosceret; 2° ad honeste vestiendum filium, quem ex priori matrimonio habet, cui maritus præter alimenta necessaria vix aliquid aliud vult concedere; 3° ad sibi providendum pro futuro. Cum enim dotem valde exiguam attulisset, nec filios ex Ludomiro haberet, aperte prævidet ipsam, si vir præmoriatur, necessariis ad decentiam sui status servandam destitutam iri. Ludomiro denique absque testamento defuncto, tota ejus hæreditas ad cognatos devolvitur. Gerasina vero, partim ex tenuissima dote, partim ex iis quæ sua providentia collegerat, vitam et statum sustinere cogitur. Mox tamen scrupulis agitata, quærit a Confessario utrum tuta sit conscientia?

Hinc :

Quær. *An* Gerasina *graviter peccaverit, et ad restitutionem teneatur in casibus propositis?*

Solutio :

560. — *Resp. In primo casu* indulgendum est miseræ Gerasinæ, quæ matri suæ egenti opitulatur. Etenim, cum in hypothesi alio modo ei succurrere nequeat maritus non potest esse rationabiliter invitus, siquidem filia de jure naturali tenetur matri indigenti subvenire. Si vero bona aliqua paraphernalia haberet, ex iis Gerasina matrem alere deberet. — *Lacroix, l.* 3, *n.* 1025.

In secundo casu, idem sentiendum est de ratione agendi Gerasinæ erga filium ex primo matrimonio natum, ob eamdem rationem; modo non excedat subtrahendo plus quam sit necessarium ad necessitatem filii sublevandam, simulque habeat intentionem postea compensandi hæredes mariti sui, si fieri possit. Sed caveat, ne cæco amore ducta, præter id quod necessarium est indulgeat; nec opus est, ut proles ex priori matrimonio suscepta tam splendide vestiatur. Secus enim maritus rationabiliter invitus fieret. — *Elbel, n.* 273.

561. — *In tertio casu*, provida uxor non facile excusanda est, quippe quæ limites prudentiæ humanæ excessit, nec satis Providentiæ divinæ

confidit. Quare enim tanta sollicitudine pro incerto tempore providet, bona non sua seponendo? Quomodo scit ipsa se non marito prius, sed multo posterius vitæ valedicturam esse? Attamen aliquatenus indulgendum ei foret, si maritus esset multo senior, infirmus, et si constaret eum nihil uxori indigenti donaturum esse, quia vir uxori in iis circumstantiis providere debet. A fortiori non esset damnanda uxor quæ, dum vir familiæ substantiam dissiparet, pecuniam subduceret, et servaret pro filiis, vel etiam pro se, si bona communia cum marito haberet.

CASUS V

SARTOR INDUSTRIUS

Genesius, sartor, 1° in vestibus conficiendis quod panni reliquum est sedulo colligit, ne fragmenta pereant, et sibi retinet. 2° Cum autem in arte non mediocriter peritus sit, modum novit vestimenta cum minori panni quantitate quam cæteri conficere, et quod superest ut industriæ emolumentum servat. 3° Quoties de aliorum mandato pannum emit, pretium fingit paulo majus ac reapse solvit, ad tempus quod in hac emptione adhibuit compensandum. 4° Tandem, accepto mandato a nobili viro ut decem panni ulnas, sive metra, illi emeret ad vestes conficiendas, Genesius adit mercatorem, et de pretio cum eo convenit. Verum, cum in panno evolvendo aliquot scissuras reperisset, et simul advertisset, se industria ita agere posse ut scissuras a vestibus excluderet, easque idoneas conficeret, obtinuit a mercatore ut pretium ex tertia parte deprimeretur, et nihilominus a viro nobili integrum pretium repetiit.

Hinc :

Quær. *Quid sentiendum de* Genesio *in variis casibus propositis ?*

Solutio :

562. — *Resp.* 1° *In primo casu,* minime probanda Genesii œconomia. Injuste enim retinet panni fragmenta, quæ sunt alicujus momenti, seu quæ pretium habent. Sicut enim pannus integer pertinet ad dominum, ita etiam ejus fragmenta, postquam dissectus fuit, nisi sint adeo brevia et informia, ut reapse pretium non habeant. — *S. Lig. n.* 290. Excipe, nisi sit consuetudo alicubi vigens, ut sartor fragmenta retineat, et ideo ipsi minus retribuatur, etc. — *V. Comp. n.* 615.

2° *In secundo casu,* non videtur inquietandus *per se* Genesius, quia id quod ex parcimonia tenet, industriæ suæ extraordinariæ tribuere potest. In praxi tamen hoc non est facile permittendum, quia est hallucinationis periculo plenum. Quot enim sartores, mediocriter periti, industriæ et parcimoniæ extraordinariæ laudem et emolumentum sibi vindicarent !

563. — 3° *In tertio casu,* Genesius, nihil repetere potest ratione temporis ad emendum pannum adhibiti generatim loquendo, quia communiter illud tempus minimum est, nec pretio æstimari potest. Præterea sæpius sartores ipsi se offerunt ad pannum procurandum, et proinde gratuito id

agere censentur. Attamen, si jussus fuerit ut pannum emeret, et notabile tempus ad mandatum exsequendum adhibuerit, in bona pace dimittendus erit.

4° *In ultimo casu,* sua felici industria gaudere poterit sartor noster, et tuta quidem conscientia. A mercatore enim juste imminutionem pretii obtinuit, et suæ industriæ tribuere potest, si, non obstantibus panni scissuris, idoneas vestes conficiat. Nullam affert injuriam mandanti, cum mercem vere pretiosam et solidam in vestibus conficiendis adhibeat.

CASUS VI

PERNA CARISSIMA

(*Le jambon bien payé.*)

Pysander, rusticus, mercatoris officinam, emendæ lanæ gratia, fuerat ingressus; acceptam mercem in saccum immittit. Dum autem faciem averteret officinæ præpositus, ad reliquam lanam loco suo reponendam, rustico nostro arridet miræ magnitudinis *perna,* quæ ipsi ad manum obvia est. Huic inhiat, et subductam eximiam prædam in sacco statim abscondit. Verum non sat feliciter : rem enim advertit præpositus. Tunc ille : « Quot igitur lanæ libras habes? ait. — Duodecim, reposuit rusticus. — Papæ! exclamat mirans alter, putabam te majorem accepisse quantitatem. Eia rem probemus. » Ecce saccus bilanci appositus 22 libras refert. « Vide, mi bone, subdit venditor, quantus irrepserat error! » Quid vero rusticus? Altum servat silentium, et extemplo solvit pro carne, cujus libra 10 asses non superabat, haud secus ac pro lana, cujus idem pondus 4 francis venale erat. Sic pernam 5 francis valentem 40 fr. persolvit.

Hinc :

Quær. 1° *An juste præpositus egerit?*

2° *An præpositus excessum pretii sibi servare possit, vel domino officinæ restituere debeat?*

Solutio :

564. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quis præpositum officinæ damnabit? Nemo sane. Unanimi ore dicent omnes hoc egregie fuisse peractum, absque omni justitiæ læsione. Etenim *scienti et volenti non fit injuria;* atqui rusticus novit quale damnum pateretur, nec reclamavit : ergo tacite consensit, ne furtum fateri cogeretur. Ergo adfuit inter ipsum et præpositum *quasi-contractus,* vi cujus ille libere consensit in pretium multo majus solvendum, ne ab ipso proderetur; et sic a justa vexatione se redemit, et juste solvit. Abeat igitur rusticus, carissimam deferens sarcinam, simulque hoc levetur solatio, scilicet, quod si pro carne majus exhibuit pretium, pro correctione tamen accepta majus profecto non rependit : (*La leçon vaut bien un fromage sans doute.* — La Fontaine.)

565. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Præpositus absque difficultate excessum pretii retinere potest, ut singularis industriæ fructum, vel tanquam pretium juste

acceptum, ut a denuntiando fure abstineret. Bona igitur occasione quæ ipsi obvenit, tuta conscientia fruatur. Etenim cur pretii excessus domino officinæ deberet cedere? Quodnam jus, quæso, in illud emolumentum domino competere potest? Numquid est *fructus officinæ* vel *personæ*? Igitur dominus officinæ ad solum carnis pretium sibi refundendum strictum jus habet.

CASUS VII

NON CAPIENS CAPTUS

Audifax, absente Rodulpho, ejus domum furtim ingreditur, et, arca nummaria clam effracta, trecentos aureos surripit, et aufugit. Redux Rodulphus, miratur primum, arcam apertam et pecunia vacuam cernens, et mox in furorem accenditur. Clamat, ejulat; sed quis id fecerit prorsus ignorat. Tandem ei incidit suspicio, pecuniam a Titio, famulo suo, surreptam fuisse. Hic judicis jussu comprehenditur, et in custodiam traditur. Infelici casu gravissima præsumptio contra eum insurgit. Adsunt enim testes, qui referunt eum, absente domino, solum adfuisse in loco ubi factum est furtum. Ipse Titius, timore perterritus, incohærentia, imo et contradictoria verba, judici respondendo, profert. Quare de furto arguitur, atque ad perpetuas triremes damnatur. Audifax vero id resciens, sceleris conscientia cruciatus, ad Sacerdotem accedit, rem totam ei patefacit, postulatque quid sibi in tantis angustiis agendum sit?

Hinc :

Quær. 1° *An* Audifax *se prodere debeat, vel saltem ante judicis sententiam ad id teneatur?*

2° *An teneatur ad damna erga famulum resarcienda?*

3° *Quid a Confessario respondendum?*

Solutio :

566. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid de Audiface? Ecce pœnitentia ductus, adstat coram Confessario ejus sententiam lacrymabundus exspectans. Quid vero Sacerdos? Num ad damnum adæquate reparandum pœnitentem urgebit? Num jubebit, non solum ut reus pecuniam furtivam restituat, sed etiam ut seipsum apud judicem prodat? Nequaquam. Satis enim est ut Rodulphum secreto indemnem faciat, et pœnitentiam de peccato peragat. Dico igitur Audifacem nostrum minime teneri ad se prodendum, etiam ante famuli damnationem, etiamsi hac via injustam sententiam in hunc ferendam præcavere possit. Ratio est, quia Audifax nullatenus fuit *causa efficax* damnationis famuli, sed *mera occasio*, seu *causa occasionalis*, vel *causa remota*. Porro non tenetur quis in damni reparationem, nisi ejusdem *causa vera et efficax* fuerit: ergo... Tota enim famuli damnificatio errori testium et judicis imputanda est; sed Audifax hujus erroris causam non posuit efficacem : ergo non tenetur se prodere ad malum hujusmodi præcavendum vel reparandum. Excipe casum in quo Audifax infelicem eventum prævidisset, et ejusmodi essent circumstantiæ, ut famulus proba-

bilissime accusandus et damnandus esset, quod evenire communiter non solet.

567. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Nego.* Sequitur ex dictis. Audifax enim causa non fuit damnorum quæ famulo evenerunt, sed solus judicis error; ergo ea resarcire non debet. Attamen ex caritate teneretur innocentem a gravissima pœna liberare, si facile posset, quin seipsum proderet.

568. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Generatim in tanta difficultate parum proderunt consilia Confessarii; verum si ipse, vel alius, virum potentem adire posset, qui, re sub secreto cognita, apud Principem agere valeret et gratiam innocentis famuli obtinere, hoc omnino suadendum esset.

CASUS VIII

MATRONA SINGULARIS, ET FAMULA SOLERS

Gordiana, matrona ditissima et humanarum rerum studiosissima, in quibusdam Italiæ partibus degens, propositum singulare admodum cepit, ne dicam ipsam singulari dementia captam esse. Ecce rem mirandam sane! Nulla vestimenta neque linteamina ad usum proprium vult adhibere, nisi Parisiis allata fuerint. Imo, quis credat? jubetur Veronica, ancilla, ut lintea omnia dominæ Parisios mittat, ad ea accuratius abstergenda, mundanda, atque reficienda. Quid vero dolosa famula? Simulat se adamussim obtemperaturam esse. Sed, missis linteis in vicinam civitatem, in qua tam accurate et exquisite quam Parisiis mundantur et reficiuntur, sibi servat pecuniam quam expendere debuisset, si mandato Gordianæ fuisset obtemperata.

Hinc :

Quær. 1° *An* Veronica *injuste egerit, et teneatur ad restitutionem erga* Gordianam, *dominam?*

2° *An satis sit, si hanc pecuniam pauperibus distribuat?*

3° *Quid si dominæ restitui non possit, quin ipsa advertat, et damnum inde famulæ sequatur?*

4° *Quid* Veronicæ *suadendum pro futuro?*

Solutio :

569. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Veronica, famula, injuste egit, et tenetur ad restitutionem erga dominam. Habuit enim pecuniam ad finem determinatum, non vero ad alium. Si igitur pepercit pecuniæ dominæ, in favorem ipsius dominæ parcere debuit. Mercedem congruam pro famulatu recipit, nec aliud jus habere potest. Nam famulus parcens pecuniæ, domino parcit.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Non satis est si pauperibus restituat, nisi licentiam generalem eleemosynas erogandi obtinuerit. Etenim, si dominæ restituere non teneretur, pecuniam parcimonialem sibi retinere posset. Pauperes repræsentant quidem dominum incognitum, non vero cognitum, nisi in raro casu, in quo restitutio ipsi fieri non potest.

570. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Difficile est ut modus restituendi secreto non

suppetat. Porro, in casu, pecunia illa piis causis, vel pauperibus eroganda esset.

Resp. ad 4um Quæs. Veronica potest simpliciter obtemperare, et lintea Parisios mittere. Non tamen ad obediendum in hoc absolute tenetur, quia est quid ridiculum et insanum. Sed si pecuniæ parcat, ipsi dominæ parcit.

CASUS IX

CALLIDA FAMULA

Susanna, ancilla jussa ab hero ut victualia quædam, v. gr., saccharum, cafæum, apud Lazarum, mercatorem, assignato certo pretio emeret, novit, varias officinas adeundo, a Bernardo res æque bonas minori pretio haberi posse. Prætermisso igitur Lazaro, victualia apud Bernardum emit; sed id quod de pretio supererat, non hero, sed sibi, velut lucrum singularis industriæ, attribuit. Hoc autem commercium per varios annos fecit. Mortuo interea domino, Susanna suam servitutem Ursino addixit. Mox autem advertit novum herum esse impatientissimi animi virum, et in verba aspera, imo et in blasphemias facile erumpere, si ipsi imperanti sedulo non obtemperetur. Porro Ursinus exigit ut mensa melioribus ferculis instruatur, sed simul ut victualia minori pretio emantur. Quid igitur faciet ancilla inter malleum et incudem constituta? Inveniet modum rem totam componendi, et pacem cum hero habendi. Ecce! emit meliores cibos, quos in foro publico, vel in officinis reperit, pretio quo res hujusmodi omnibus veneunt, et fingit se pretio minori emisse. Ut autem hoc facere possit, curat ut, inscio domino, pecuniam residuam semper secum habeat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Susanna *industriæ fructum servare potuerit in priori famulatu?*

2° *An injuste erga* Lazarum, *mercatorem, egerit?*

3° *An item erga* Ursinum, *posteriorem herum?*

Solutio :

571. — *Resp. ad 1um Quæs.* Susanna injuste egit erga priorem dominum et, eo mortuo, hæredibus sub gravi restituere debet id omne quod fraudulenter seposuit, quia nullo jure ad hanc residuam pecuniam potitur. Non est enim fructus specialis industriæ, siquidem in hac praxi nullus labor extraordinarius, ingenium nullum extraordinarium reperitur. Quot ancillæ hujus artis capaces essent, si ipsis licita foret! Ancilla rem domini gerit, et in favorem domini, cui tempus et laborem tribuere debet. Ergo quidquid parcit, domino parcit. — *Dices :* Herus minime læditur, nihil enim amittit, siquidem illa residua pecunia mercatori designato fuisset tradita. *Resp.* Vana est objectio. Pecunia, quæ salva superest, domini est, et ad dominum clamat.

572. — *Resp. ad 2um Quæs. Negative.* Etenim, licet Lazarus, mercator, a Susanna prætermissus fuerit præter heri voluntatem, nullam passus est

injuriam, quia nullum strictum jus contra eum violatum fuit. Excipe casum in quo promissio ex speciali contractu ei ab hero facta fuisset. — *Elbel*, *n.* 62.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Neque est injustitiæ rea Susanna erga Ursinum posteriorem herum, quia aliter facere minime potuit. Quid enim ei faciendum fuisset? Malleum inter et incudem constituta, poteratne acerbos ictus devitare? Id tamen agere omittat quoties poterit, cum periculo hallucinationis res non careat, et imprimis, maxime ipsi a mendacio cavendum erit.

CASUS X

OCCULTA COMPENSATIO 1°

1° Augustinus a judice damnatur ad solvendum Antonio debitum quod contraxit quidem, sed quod certissime solvit. Obtemperat judicis sententiæ coactus; sed mox, data occasione, occulta compensatione erga Antonium utitur.

2° Albertus, famulus, a Medardo invitatus ut famulatum sibi præstaret, assensit, nulla pactione speciatim inita de mercede, hanc relinquens ipsius Medardi judicio determinandam. Anno autem elapso, Medardus stipendium minus infimo, quod aliis hujusmodi famulis rependi solet, ei solvit. Quare Alberto visum est compensationis occultæ remedio sibi, tuta conscientia, utendum esse, nempe usque ad pretium infimum, quo cæteri famuli conducuntur.

3° Marcus, alius famulus, officia sua obeundo, ex inadvertentia vas quoddam crystallinum fregit. Herus, iratus, stipendii partem ei subtraxit. Marcus autem occulta compensatione se indemnem fecit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Augustinus *potuerit compensatione uti?*

2° *An* Albertus *potuerit se compensare usque ad quantitatem infimam aliis famulis tribui solitam?*

3° *An* Marcus *potuerit partem stipendii sibi denegatam occulta compensatione recuperare?*

Solutio :

573. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* De jure naturali Augustinus occulta compensatione uti potuit, si alio modo quod suum est repetere non potuerit. Nullam injuriam Antonio intulit; siquidem id solum, quod suum erat, repetiit. Etenim, si Augustinus injuste egisset erga Antonium, hic ad duplicem solutionem jus haberet. Quis autem hoc affirmabit unquam? Nec obstat quod judicis sententia intervenerit. Judex enim non gaudet facultate tribuendi alicui id quod suum non est. Sententia judicis in errore facti fundatur, et proinde materialiter injusta evadit; jus autem ex injustitia, quantumvis materiali, oriri nequit. — *Moulet, t.* 1, *p.* 491. — *V. Cas.* 9, *de Legibus, ad* 3^um^, *n.* 22 *et* 26. — *V. Comp. n.* 624.

574. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Per se exacte loquendo Albertus, famulus,

non videtur damnandus; quia, secluso pacto, jus saltem habet ex implicito contractu ad infimum stipendium quod aliis ejusdem conditionis dari solet. Proinde famulus non repetit nisi id quod sibi ex justitia debetur. Sed ante factum non facile hoc permittendum est, propter ingens periculum hallucinationis. Nec facile famulus suo proprio judicio rem dirimere potest, sed generatim virum doctum et prudentem interrogare debet. Consulat etiam conscientiam intimam, ut resciat utrum rite labore suo functus fuerit. Est enim damnata ab *Innoc. XI* generalis propositio, quæ famulis compensationem permittit quoties operam suam salario recepto majorem judicant.

575. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Quid vero de MARCO? MARCUS, famulus, damnandus non videtur ex eo quod ad occultam compensationem recurrerit, ad se indemnem faciendum, si omnino involuntarie, seu absque ulla culpa theologica, vas illud pretiosum fregit. Ratio est, quia nemo tenetur ad reparandum damnum absque culpa illatum, nisi in foro externo post sententiam judicis, ut infra dicetur de injusto damnificatore. Ergo herus non potuit exigere damni reparationem. Ergo famulus potuit repetere id quod solvere non tenebatur. Etenim MARCUS non potuit obligari, nisi ex conscientia, vel ex judicis sententia. Porro nulla existit obligatio ex sententia judicis in hypothesi, cum nulla sententia intervenerit; neque ex conscientia, siquidem non datur obligatio restituendi in conscientia, nisi in hoc foro culpa commissa fuerit. — *Moulet, t. 1, p. 523 et 524. — Casus, de septimo Præcepto, ad calcem vol.*

CASUS XI

OCCULTA COMPENSATIO 2°

Idem simul debitor et creditor.

FERDINANDUS aureos centum ex mutuo AURELIO debebat. Antequam restitutionis tempus instaret, ille, creditorem amicitiæ causa invisens, affirmavit se die sequenti missurum esse famulum, qui pecuniam afferret ad debitum exstinguendum. Credulus nimium AURELIUS statim FERDINANDO solutionis syngraphum exhibuit. Hac accepta, debitor gavisus est faustissimam occasionem sibi obvenisse aureos alios centum compensandi, quos AURELII pater patri suo certissime debebat, quin unquam ad solvendum induci potuerit. Postulante igitur AURELIO subinde mutui prædicti restitutionem, omnino renuit FERDINANDUS innuens se centum illos aureos servare ob debitum æquivalens, quod ejus pater patri suo solvere distulit. Quapropter creditor egit coram judice, ut debiti solutionem obtineret. Verum, cum debitor affirmasset se mutuum reddidisse, et id per acceptam syngraphum probasset, infelix mutuator nihil obtinuit, et ad judicii expensas solvendas damnatus est.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* FERDINANDUS *licite possit mutuum retinere, itemque in judicio uti syngrapha accepta?*

2° *An jurare possit se mutuum solvisse ?*

3° *An teneatur expensas judiciales erga* AURELIUM *compensare?*

Solutio :

576. —*Resp. ad 1^um Quæs. Affirm.* Potuit Ferdinandus mutuum ab Aurelio acceptum retinere, et syngrapha per industriam surrepta uti, ad probandum se nihil Aurelio debere. Ratio est, quia debita sunt ex utraque parte paria, et proinde exstinguuntur. Neque illicite agit Ferdinandus præfatam syngraphaṁ in judicium proferendo, quia per ipsam nihil aliud declarabitur nisi debitum, quod Ferdinandus erga Aurelium contraxerat ex mutuo, solutum fuisse, quod veritati omnino consonum est.

577. — *Resp. ad 2^um Quæs. Affirm.* iterum, ex doctrina *S. Lig.* Jurare potest Ferdinandus se debitum solvisse, ubi non suppetit alia ratio damni sibi illati reparandi, secluso injusto alterius damno. Jurat enim de gravi causa juxta veritatem, siquidem juramento asserit se nihil debere, quod omnino verum est. Etenim assertio Ferdinandi de peracta solutione est veritati conformis, cum debita reciproca exstinguantur : ergo nihil obstat quominus illa assertio, gravi urgente causa fide juramenti confirmari possit.

578. — *Resp. ad 3^um Quæs. Neg.* Etenim expensæ judiciales solvendæ sunt ab eo qui injuste litem movit in alterum, non vero ab eo cui causa juste tribuitur. Ergo a solo Aurelio solvendæ sunt. Nec obstat quod debitum patris a filio fuerit prius ignoratum, et quod in foro externo probari non possit. Sufficit enim ut sit debitum certum : nam culpa tribuenda est patri Aurelii ob debitæ solutionis moram; onus vero patris ipsum filium premit. Ergo filius expensas judiciales solvere debet, quia habentur instar damnorum ex dilatione solutionis patris, morosi debitoris, provenientium. Insuper sibi imputare debet Aurelius, istud infortunium. Quare enim agit juridice, cum nulla habeat argumenta causam suam probandi? Nonne infelicem hunc sententiæ judicialis exitum facile poterat prævidere?

CASUS XII

OCCULTA COMPENSATIO 3^o

Alexius, paupertate pressus, nullibi reperit conductorem operæ suæ. Igitur eam locat diviti villico, hoc pacto ut, præter victum, 40 francos tantum per annum lucraturus sit. Postea vero considerans se robustum esse, et gravibus laboribus a mane ad noctem adstringi, et mercedem hujusmodi operariis dari solitam, esse ad minimum 80 francos, occulte pro valore 40 francorum se compensavit, existimans se non agere injuste, quia famulus jus habet saltem ad minimam mercedem quæ tribui solet, et ipse, nisi paupertate coactus fuisset, pro tam exigua mercede sane operam suam non locasset.

Hinc :

Quær. *An* Alexius *licite processerit?*

Solutio :

579. — *Resp.* Generatim non est permittenda compensatio occulta famulis qui judicant mercedem suam minus esse debito, quia facile ita judicarent

famuli, licet verum non esset, et sic innumeras injustitias committerent. Constat etiam ex *propositione* 37ª *ab Innoc. XI damnata*, quæ sic jacet : *Famuli et famulæ possunt occulte heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.* Excipiunt tamen Theologi non pauci casum in quo famulus, necessitate compulsus, in mercedem multo infra infimum pretium consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non susceperit. — *Ita S. Lig. n.* 522. An igitur facienda sit exceptio pro misero Alexio, ex solis circumstantiis judicandum erit.

CASUS

DE RESTITUTIONE IN GENERE

SEU

De obligatione restituendi, seu reparandi injuriam aliis illatam aut debita contracta solvendi.

CASUS I

OBLIGATIO RESTITUTIONIS 1°

GRIFINUS, patrato gravi furto, licet eum sui peccati pœniteat, restitutionem tamen ad menses protrahit. Postea pergit ad confitendum, non adhuc facta restitutione. Arguitur a Confessario de multiplici peccato mortali, propter dilatam restitutionem, et dimittitur absque absolutione, donec restituerit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* GRIFINUS *pluries graviter peccaverit, restitutionem ad varios menses differendo?*

2° *An recte egerit Confessarius absolutionem denegando?*

Solutio :

580. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Probabilius* unicum peccatum mortale GRIFINUS commisit, si habitualiter in prava voluntate rem alienam retinendi perseveraverit, quia hæc eadem mala voluntas per modum continui subsistit. Attamen pluries graviter peccasset, si, mutata in melius voluntate, propositum non restituendi renovasset; quia actus peccaminosi voluntatis multiplicati fuissent. — *S. Lig., de Act. hum. n.* 40.

581. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Recte quidem egit Confessarius, juxta regulas directionis ordinarias. Sed in praxi attendendum est ad varias rerum et personarum circumstantias, ad restitutionis difficultatem, ad majus pœnitentis bonum spirituale. Generatim, ubi fieri potest restitutio, ante absolutionem exigenda est. Experientia enim constat debitorem semel absolutum de restitutione parum sollicitum esse. — *S. Lig. n.* 684. — *V. Comp., t.* II, *n.* 627.

CASUS II

OBLIGATIO RESTITUTIONIS 2°

FLAVIUS plurima furtula apud diversos dominos commisit, ita tamen ut, licet horum collectio gravis evaderet, nemo tamen graviter læderetur. Cum

autem tempore Paschali confiteretur, sub gravi urgetur a Confessario ad hæc omnia apud singulos dominos læsos resarcienda.

Hinc :

Quær. 1° *An* Flavius *obligatus fuerit sub gravi ad restitutionem, sive pro furtulis, sive pro damnis, etiamsi graviter non peccaverit ?*

2° *An* Flavius *debuerit restituere sub gravi singulis dominis læsis ?*

Solutio :

582. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Flavius tenetur sub gravi ad restitutionem, licet gravem culpam non admiserit, furtula patrando, quia rem alienam, ratione materiæ gravem, possidet. Secus enim ex furtulis, absque culpa gravi, ditescere posset, quod sensui communi et bono societatis repugnat.

583. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Flavius tenetur sub levi tantum singulis dominis læsis restituere, quia levem tantum injuriam singulis intulit, licet obligari possit sub gravi ad se exuendum re aliena materiam gravem constituente, ut supra dictum est. — *V. Comp. n.* 626 *et seq.*

CASUS III

OBLIGATIO RESTITUTIONIS 3°

1° Carpophorus plurima debita contraxit propter luxum extraordinarium et frequentiora convivia ; ad quæ uxor Berta non modice fuit cooperata. Sed ecce, subitanea morte correpto viro, creditores illico undique convenere ad miserrimam viduam, quæ a marito nil possidet nisi copiosam prolem, et valde modicam bonorum substantiam. Hinc gemebunda quærit a Confessario an teneatur ex modicis illis bonis creditoribus satisfacere ?

2° Menardus recusat solvere debita quæ, potando in taberna, contraxit Paulus, filius ejus minor, negatque ei omne subsidium pecuniarium, ne in posterum bibere pergat. Pergit tamen Paulus bibere vinum, in creditum sibi ministratum. Frustra autem clamat reclamatque tabernarius, solutionem requirens a Medardo ; surdo canit ille.

Hinc :

Quær. 1° *An* Berta *teneatur modica bona quæ supersunt creditoribus tradere in primo casu?*

2° *Quid, si* Berta *bona paraphernalia habeat ?*

3° *An* Medardus *debita filii solvere teneatur ?*

4° *Quid, si filius habeat ex defuncta matre bona a patre administrata? et quid de tutore respectu pupilli, in pari casu ?*

Solutio :

584. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Per se* Berta obliganda foret ad solvendum creditoribus de bonis, licet modicis, a conjuge defuncto relictis, quia illos indemnes facere debet, ut suadet naturalis æquitas. Verumtamen, cum habeat multiplicem prolem, exiguam vero bonorum substantiam, excusanda

videtur ab obligatione restitutionis, saltem ad tempus, seu usquedum ditior evaserit. Ratio est, quia impotentia moralis, in qua versatur, justam causam ei præbet differendi restitutionem. Excipe tamen, nisi creditores, vel aliquis eorum, in eadem necessitate versaretur, quia tunc potior esset creditoris conditio. — *Elbel, n.* 336. — *Lacroix, lib.* 3, *p.* 2, *n.* 432.

585. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Berta creditoribus satisfacere nec teneretur quidem, etiamsi bona paraphernalia haberet, nisi absolute erga illos se obligasset. Etenim non potest teneri, nisi ratione contractus; porro, ubi deficit consensus, ibi corruit contractus. Ergo nullo modo infelix uxor ad restitutionem urgenda est. Excipe, nisi Berta mala fide ad debita mariti contrahenda cooperata fuerit, v. gr., virum inducendo ad nimium luxum, etc., licet præviderit illum fore imparem ad solvendum creditoribus; tunc enim uxor ex bonis sibi propriis debita mariti solvere teneretur. — *Lacroix, ibid. n.* 381. — *Elbel, ibid.*

586. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Medardus minime tenetur solvere debita a filio minori prodigaliter in cauponis et tabernis contracta, quia in hujusmodi expensas non consentit. Insuper, sibi imputare debet damnum illud tabernarius, qui filio minori et dyscolo, ut sane apparebat, vinum et epulas subministravit.

587. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Probabilius neque in hac hypothesi pater, bonorum filii administrator, tenetur ex eis solvere ejus debita extraordinaria, in tabernis irrationabiliter contracta. Hæc enim filius a patre repetere posset post majoritatem, saltem ex jure civili. Juxta leges autem conscientiæ, videtur admittenda sententia tabernariis quidem opposita, sed adeo moribus favens, tot et tanta scandala præcavens, et maxime societatis deordinationi obsistens. — *Ita Carrière*, etc., contra alios. Quod autem de patre dicitur, pari modo de tutore dicendum est.

CASUS IV

EX MALO BONUM

1° Thyrsus, ex odio in Gabinum, ejus domum clam incenderat; huic vero festinanter subveniunt multi, miseranda ejus sorte commoti, ita ut brevi ex integro factus fuerit indemnis, imo domum novam vetere meliorem habuerit. Hoc autem sciens Thyrsus, licet postea ipsum facti pœniteat, de restitutione non curat.

2° Cum in quadam civitate ingens exortum fuisset incendium, ocius ex tota provincia eo successu collectæ sunt eleemosynæ, ad miseris damnificatis subveniendum, ut non solum omnes facti fuerint indemnes, sed etiam ut plures, exaggerato damno, sive de industria, sive bona fide, multo plus acceperint quam amiserint.

Hinc :

Quær. 1° *An* Thyrsus Gabino *restituere debeat? vel quid ipsi injungendum sit?*

2° *Ad quid teneretur* Gabinus, *si restitutio ipsi a* Thyrso *fieret?*

Quær. 3° *An teneatur ad aliquid* Gabinus, *ex eo quod per novam domum plus acceperit quam amisit?*

4° *Ad quid teneantur cives, qui plus acceperunt quam incendio amiserunt?*

Solutio :

588. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Thyrsus minime a restitutione excusandus est. Quicumque enim voluntarie damnum injustum intulit, illud ex stricta justitia reparare debet, nisi impotentia impediatur. Per accidens autem est, quod dominus læsus jam indemnis factus sit. Pii enim donatores, si scivissent incendium a malevolo homine factum esse, profecto non intendissent eum ab onere restitutionis liberare. Ergo reapse minime liberatur.

2° Thyrsus restituere non debet Gabino : hic enim jam indemnis factus est, nec potest juste plus recipere quam amisit, siquidem piorum donatorum intentio non fuit ut ex eleemosynis ditesceret, sed tantum ut ex infortunio emergeret.

3° Thyrsus restituere non debet iis qui damnum compensarunt, si multi sint et ignoti, sed pauperibus; secus si pauci sint et noti.

589. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Gabinus, si ipsi restitutio fiat, pauperibus, vel causis piis, v. gr., Ecclesiis retribuere debet vel ipsis piis donatoribus notis, si notabilem eleemosynam contulissent, quia bis indemnis fieri nequit.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Nego.* Gaudeat Gabinus de felici sorte sua, seu ex eo quod ex malo bonum perceperit. Difficile enim est ut domus recenter ædificata valorem veteris non superet. Neque sane a piis donatoribus intenditur, ut excessus valoris a donatario restituatur. Attamen non posset ex eleemosynis domum multo ampliorem et commodiorem construere, quia tunc reapse ditesceret contra voluntatem eorum qui ipsi opitulati sunt.

590. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Cives qui plus acceperunt quam amiserunt, excessum indemnitatis minime servare possunt. Ratio patet ex dictis supra. Nec obstat quod bona fide excessum illum acceperint, quia neque ipse possessor bonæ fidei servare potest id ad quod nullum jus habet. Igitur pauperibus superfluum erogare debent, ut supra dictum est. Si compensatio pro damno facta fuisset a societate aliqua *assecurationis* (compagnie d'assurances), huic societati superfluum prædictum retribuendum esset.

CASUS V

PISTOR IN PROPRIIS VERBIS CAPTUS

Monica, cum panem a Rufo, pistore, accepisset, atque domum retulisset, mirans advertit eum tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis vitiosum esse. Rem hanc ad Urbanum, prætorem (*commissaire de police*), deferre festinat. « Eia igitur, ait ille, veni mecum ad pistorem. » Pergunt quidem ambo : præit Urbanus, prætor; subsequitur mulier. Ast obstupefactus Rufus, ibi prætorem cernens, negat se unquam Monicam vidisse. Reclamat illa : « Mehercle belle me nosti, mi bone, ait mulier : imo ego tibi 80 francos debeo. Aspice argumentum in hoc symbolo (*coche*) a te mihi

exhibito. » Hæc omnia negat, et pernegat pistor. « Bene, ait mulieri prætor, nihil prorsus isti debes; » et confestim symbolum destruit, et cum Monica recedit, pistorem laqueo captum relinquens.

Hinc :

Quær. 1° *An* Monica *a debito solvendo liberetur? seu an* Urbanus, *prætor, jus habuerit debitum* Monicæ *remittendi, ad pistorem puniendum?*

2° *An pistor occulta compensatione pro parte denegati debiti, data occasione, uti posset?*

Solutio :

591. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Affirmative.* Monica igitur minime inquietanda est. Ratio est quia fit condonatio, saltem implicite, ex parte pistoris. Negat enim se Monicam agnoscere : ergo negat se ejus creditorem esse; ergo implicite debitum remittit. Mavult enim ille debitum condonare, quam majus damnum subire per publicam judicis sententiam. Etenim ad veram condonationem requiritur et sufficit, ut remittens habeat dominium integrum rei, et remittere velit. Porro hæc in casu nostro habentur. Nec dicas pistorem non remittere nisi metu coactum, et proinde invalidam esse condonationem : nam homo libere agit, interveniente metu legitime incusso; potest enim semper aliud medium eligere, scilicet culpam fateri, et pœnam admittere. Ergo in eo vere datur voluntas tacita et implicita debitum remittendi. — *Recole dicta supra in casu* 6, *de furto, n.* 564.

2° Prætor Urbanus valide et juste Monicam a debito liberavit. Etenim jus habebat pistorem puniendi, seu eum denuntiandi judici ; pistor autem mavult se redimere a justa vexatione debitum dimittendo, quam pœnam subire. Prætor igitur, illa punitione contentus, renuntiat juri quod habet majorem pœnam per judicis correctionem procurandi, et sinit ut ipse reus seipsum puniat, jus suum in debitum abdicando.

592. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Pistor minime se compensare posset. Ratio est, quia, ex dictis, juri suo vere renuntiavit, et juste punitus est. Ergo debitum omnino exstinctum est; ergo se compensando injuste ageret, seu furtum verum patraret; ergo ad restitutionem teneretur secus enim fraudulenter justam punitionem effugeret. Nec dicas Monicam recipere rem non suam, debitum retinendo; nam pistor ad magnam mulctam solvendam damnari juste potuisset, facit autem prætor ut hæc pecunia ad Monicam divertat. Gaudeat igitur in bona pace Monica, sicut Gabinus in præcedenti casu, ex eo quod bonum ex malo perceperit.

CASUS VI

QUIS DAMNUM SUBITURUS?

Mathias a Donato mutuo summam quinque millium francorum postulat, ad prædium venale emendum. Libentissime annuit Donatus, sed ait : « Hanc pecuniam in promptu non habeo, eam tenet Rufus, campsor : ab eo quam citissime repetam, tibi tradendam. — Ne, quæso, tam cito repe-

tas, ait MATHIAS, siquidem ante mensem illa mihi opus non est. — Res male procedit, reponit DONATUS; sum enim ego post paucos dies ab hac regione abiturus, nec adero pro pecunia repetenda. Sed ecce in mentem suboritur cogitatio non spernenda. Audias : visne in locum meum subrogari? Amice, nomen tuum loco mei nominis in libello pone; sic facile poteris ad libitum propriam, opportunitate data, pecuniam repetere. Tu vero schedulam subscribere velis in fidem debiti 5,000 fr., cum pacto consueti fenoris, ab hac die computandi. » Annuit MATHIAS ad omnia, resque tota magno utriusque gaudio conficitur. Sed, o rerum humanarum caducitatem ! elapso mense, cum MATHIAS pecuniam suam jamjam esset reclamaturus, obstupefactus audit RUFUM, campsorem, lugendo eventu, integram bonorum ruinam subiisse. Inde iræ, seu lites inter MATHIAM et DONATUM; prior enim pecuniam ab altero repetit, sed hic mordicus tenet se nihil ei debere.

Hinc :

QUÆR. *Quis damnum illud* 5,000 *fr. subire debeat? An* MATHIAS, *aut* DONATUS?

Solutio :

593. — *Resp.* Accedamus ad litem MATHIAM inter et DONATUM dirimendam. Sed quis damnum subiturus? Res indubia videtur. Lugenda sane est sors adeo infelix MATHILÆ. Quomodo vero sublevanda? Patientia propria, et amicorum commiseratione, alio solatio prorsus deficiente. Sed nonne res perit domino? Dominus autem nonne est DONATUS, qui pecuniam RUFO, campsori, mutuo tradidit? Nequaquam, quia, contractu debitis conditionibus vestito, MATHIAS loco DONATI constitutus fuit, ita ut ab eo tempore ille verus fuerit dominus pecuniæ apud campsorem exsistentis, et, summæ æqualis testimonio a se subscripto, erga DONATUM debitor evaserit. Sic de jure naturali lis dirimenda est. Si alicubi jure positivo aliter statuatur, sententiæ judicis, latæ solum, standum erit. Ergo ipsi MATHILÆ perit summa infortunio RUFI exstincta. Ergo, licet MATHIAS nihil prorsus a RUFO recuperaverit, 5,000 fr. nihilominus DONATO solvere debebit. Durum! sed, ut ait poeta : *Levius fit patientia quidquid corrigere est nefas.*

CASUS VII

DEBITOR RECALCITRANS

Seu prætextus ad omittendam restitutionem.

RICULFUS, variis debitis, ex delicto præsertim contractis, gravatus, accedit ad confitendum, et conscientiam aperit. Statim ac Confessarius obligationem restitutionis aperit et urget, ecce recalcitrans debitor ingentem causarum excusantium quantitatem profert, objicit, agglomerat; erigitur ac torquetur haud secus ac serpens, cujus incauto pede caudam pressisti : unde lis ingens Confessarium inter et pœnitentem instituitur. Cupisne præcipuas RICULFI argutiolas cognoscere? Statim eas oculis tuis subjiciam, cum responsionibus Confessarii immediate subnexis.

Hinc :

594. — *Objectio* 1ª. Sic Riculfus : Creditor meus divitiis abundat; si ipsi restituero, istud nihil ei proderit omnino, dum mihi misero vita ardua ducenda est. Quapropter ab onere tanto restitutionis faciendæ eximendus videor.

Responsio Confessarii : Vanam sane, mi bone, ac ridiculam objicis excusationem; parvi enim refert quod læsus in bonis suis sit dives vel pauper. Res aliena semper domino suo clamat, et ipsi reddenda est, quoties fieri potest; quia injuria quælibet reparationem expostulat. Numquid dives jus æquale in bona propria non habet, veluti alius quilibet? Si opulentus sit, numquid ideo omnes turmatim in eum spoliandum irruere possunt? Quid tibi videretur, quæso, si tu ipse loco divitis constitutus esses? Numquid tibi gratum foret, si bona tua undique diriperentur? Audi igitur conscientiam clamantem : *Redde quod debes.*

Objectio 2ª : Quot alii, ait pœnitens, mihimetipsi injuriam intulerunt? et quidem sæpius! Nemo tamen sollicitus est de damnis istis reparandis : quapropter compensationem, ut valeo, obtineo. Quando alii mihi restituent, tunc etiam ego restituere festinabo : retribuant alii, et retribuam ego.

Responsio : Quinam sunt alii qui tibi non satisfaciunt? Suntne certo iidem, quibus tu damnum intulisti? subjungit Confessarius. Si ita foret, non esses forte adeo reprehendendus. Verum nescis a quibusnam injuriam acceperis, et apud homines primum obvios te compensare contendis? Dic mihi, quæso : ille, cui damnum infers, estne causa jacturæ quam ab aliis passus es? Si Titius te damnificavit, numquid Caius pro eo tibi retribuere debet? Accipe exemplum : quid diceres, si quis ad te accedens hunc tibi haberet sermonem : « Redeo a villa; ecce in itinere invasus fui a fure, qui a me abstulit crumenam 100 nummis refertam; venio igitur ad pecuniam hanc a te repetendam. Redde mihi 100 nummos. » Ah! te audio exclamantem : « Mehercle! insanis! Quid ad me, si alius te exspoliaverit? Quid rei est inter me et furem tuum? Recede cito, et curre post latronem, si forte eum comprehendere valeas. » Sic tu, et bene. Tu vero numquid minus ridicule loqueris et agis?

595. — *Objectio* 3ª : Sed, Pater, ecce alia difficultate, et quidem maxima, detineor : ad restituendum deberem famæ jacturam facere; porro non possum tantum subire detrimentum! Quomodo valerem cum aliis tractare infamatus? Ah! potius mortem appeterem, quam famam amittere.

Responsio : An serio hanc proponis difficultatem? *Famam objicis!* Eia, dic verum; putasne in hoc vel minimam reperiri difficultatem? Quot sunt modi, mi bone, quibus et creditores tuos indemnes facere, et tuæ famæ consulere possis! Per fidum amicum, per mandatarium fidelem et secreti tenacem, per Confessarium denique, aut quacumque alia via, cures, ut pecunia, si restituenda sit, ad creditores, te prorsus ignoto perveniat. Si autem agatur de re aliqua, etiam immobili, reddenda, ope eorumdem, ac præsertim confessarii, secretam ineas cum creditoribus compositionem. Vix unquam fit, ut qui bonum alienum restituere vult, famam suam prodere cogatur.

596. — *Objectio* 4ª : Restituere non valeo. Nihil prorsus habeo super-

fluum. Vix finem anni cum principio jungere possum. Numerosa prole sum gravatus. *Ad impossibile nemo tenetur.* Proinde restituere non valeo. Peto igitur ut absolvas me, et in pace dimittas.

Responsio : Videamus an hæc nova ratio pluris valeat quam præcedentes, jam a te allatæ.

Restituere nequis! Si verum sit, nihil amplius habeo subjiciendum. Non sum tamen ex omni parte quietus; scio enim plerasque hujusmodi rationes proferri *ad excusandas excusationes in peccatis.* Scio debitores innumeros habiles esse ad fucum sibi faciendum, necnon ad fallendos Confessarios.

Restituere nequis! Ast, quæso, adhibuistine industrias omnes ad hoc moraliter possibiles? An assiduo labori vacasti? An parcimoniæ studuisti? An, ut obligationem restituendi semper præ oculis haberes, sollicitus fuisti?

Restituere nequis! Sed quorsum tot expensæ in ludo, in epulis et comessationibus? Quorsum tot peregrinationes in cauponas, in cœtus otiosorum? Quare 100 francos annuatim in vanissimum tabaci fumum expendis? Quare filiæ tuæ in *similitudinem templi sunt exornatæ?* Quare filii tui rem familiarem, te sciente, dilapidant?

Restituere nequis! Sed necesse non est, ut omnia debita tua simul persolvas. Nonne partem aliquam interdum creditoribus retribuere vales, et sic paulatim ab onere restitutionis liberari? Accipe exemplum : operarius quidam 50 fr. alicui socio debebat. Solutionem differebat, quia totam hanc summam colligere non poterat. Suasit ei Confessarius, ut singulis hebdomadis 20 asses seponeret ad hunc finem. Obtemperavit ille, et, elapso anno, integrum debitum fuit exstinctum.

597. — *Objectio* 5ª : Si restituero, decidam e meo statu..., et quid tunc de filiis meis erit? O filii miserrimi! panem emendicabunt! Numquid conditio hujusmodi tolerabilis est?

Responsio : Utquid effutis prætextus omni prorsus fundamento destitutos, ad onus restitutionis declinandum? Jam dictum est neminem teneri ad præsentem restitutionem cum morali impossibilitate. Quid times? Panem non emendicabunt filii tui. Sed novit Deus utrum debitis saltem pro parte satisfacere non possis, quin in tantam inopiam filii tui dejiciantur.

Quid de filiis? ais. Ego autem tibi dico : *Quid de filiis tuis,* nisi restitueris? Si æs alienum ipsis relinquis, in æternam perditionem eos sane pertrahet. Quid igitur de illis, si eisdem injustitias, avaritiam et cupiditatem tuam relinquis? Nescis quod æs alienum haud absimile est rupi e summo monte dissectæ, quæ impetu vehementissimo præceps volvitur, et quidquid ei fit obvium pertrahit, et in imam abyssum dejicit? Si igitur velis a tanta calamitate præcavere tibi filiisque, *redde quod debes!*

598. — *Objectio* 6ª : Urgent nunc alia negotia, ad quæ perficienda, tota mea pecunia adhibenda est. Sed restituere firmiter propono, modo tempus mihi concedatur. De cætero nihil timendum pro creditoribus : nam, si non restituam per meipsum, retribuam per hæredes. Numquid bona mea mecum tumulabuntur? Numquid hæc bona in alterum mundum afferam?

Responsio : Respuit Deus hoc tuum restituendi propositum, quia non est sincerum neque efficax, proindeque nihil prorsus tibi proderit. O frater! jam cerno apertam gehennæ abyssum ad te suscipiendum, vorandumque!

Restitues alio tempore! Quare non in præsenti? Animadverte fucatas esse, quas affers, ratiunculas. Numquid alio tempore non tibi etiam occurrent alia negotia suscipienda, vel perficienda? Restitues alio tempore? Sed quandonam, quæso? Quot alii talem effutierunt prætextum, et absque restituto ære alieno decesserunt, et nunc æterno igne cremantur!

Restitues per hæredes! Sed potesne confidere eos æquiores et justiores te ipso futuros esse? Nonne etiam potiori jure, cum debita personaliter non contraxerint, hi etiam ad alios hæredes onus restitutionis remittent, ita ut producenda sit hæc maledicta catena detentorum boni alieni, qui successive in abyssum æternæ damnationis irruent? Hæc est igitur abominanda hæreditas filiis tuis a te relinquenda? Nec a tanto tui ipsius et illorum periculo horrescis?

Non afferes bona tua in alterum mundum? Hoc verissimum est : sed afferes injustitias tuas ad tremendum Dei judicium! afferes maledictionem creditorum tuorum ultra tumulum! afferes animam peccatis non dimissis coinquinatam, et in orcum te auferet diabolus; clamat enim Augustinus : *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et ingeminat magnus Paulus : *Rapaces regnum cœlorum non possidebunt!* Vide igitur quid tibi magis expediat, ut æternæ saluti tuæ prospicias.

CASUS

DE POSSESSORE REI ALIENÆ

Agendum de triplici possessore, scilicet bonæ fidei, malæ fidei, et dubiæ fidei.

CASUS I

POSSESSOR BONÆ FIDEI 1°

Gaudentius emit, et possidet bona fide prædium constans ex domo et vineis. Domum ruinosam pro commoditate sua immutat, vineas pinguiores facit, et copiosos inde colligit fructus. Alias bovem emit, quem majori pretio vendit Lucæ. Sed ecce paulo post rescit prædium pertinere de jure ad Paulum, et bovem ad Joannem. Hinc anxius quærit a Confessario ad quid teneatur in singulis casibus?

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei?*
2° *Ad quid teneatur* Gaudentius *in duplici casu?*

Solutio :

599. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Possessor bonæ fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur adhuc eam exstantem in toto vel in parte, aut in emolumento, restituere domino noto, cum ejusdem rei incremento, seu cum eo omni ex quo factus est ditior, deductis tamen expensis in commodum rei factis, necnon fructibus industrialibus. Quod si non restituat, possessor malæ fidei evadit.

2° Ad nihil autem tenetur, si, tempore bonæ fidei, rem consumpserit, amiserit, destruxerit, nec inde ditior evaserit; item si legitime præscripserit.

3° *Ex Jure Gallico* possessor bonæ fidei nullos fructus restituere debet, si excipiantur fructus adhuc pendentes, seu rei inhærentes, cum rem restituere debeat ut hic et nunc exsistit. — *V. Comp., n.* 635-636.

600. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Gaudentius : 1° tenetur restituere Paulo prædium, deductis tamen expensis, et fructus naturales saltem exstantes, *ex Jure Romano. Ex Jure* autem *Gallico* satis est, si restituat nudam proprietatem uti nunc exsistit, deductis expensis omnibus. Potest igitur servare omnes fructus, non solum industriales, sed etiam naturales, et se compensare pro expensis necessariis, vel utilibus ad rei conservationem, etc. *Cod. civ., n.* 548. Non potest autem se indemnem facere pro expensis mere voluptuariis, ut patet.

2° Quid vero quoad bovem quem non amplius habet, et de lucro quod in

eo vendendo percepit? *Resp. In casu evictionis,* pretium refundere debebit in emptorem evictum. *Extra casum evictionis,* controvertitur; sed *probabiliter* ex omni jure ab obligatione restitutionis excusandus est, quia rem non habet, nec ex ea factus est ditior. Solvit enim pretium emendo, et recepit vendendo. Quid si lucrum aliquod fecerit, bovem carius revendendo? Hoc ejus industriæ tribui debet. *Ita Lugo et alii sat communiter.* Plures tamen magni nominis Theologi contendunt lucrum illud domino reddendum esse, quia possessor bonæ fidei ex illo ditior factus est, neque in re illa revendenda habetur industria specialis. *Sic Billuart et alii.* Admittunt tamen venditorem illud lucrum posse servare, si usus esset industria vel labore *extraordinario* ad lucrum illud obtinendum, v. gr., si alio perrexisset ut rem majori pretio revendere posset. — *V. Compend. n.* 638-640 [1].

CASUS II

POSSESSOR BONÆ FIDEI 2°

1° Pamelius emit bona fide frumentum furtivum; servat illud brevi tempore; sed ecce! nescio quo eventu, notabiliter crescit frumenti valor in foro publico. Hac bona sorte utitur Pamelius et vendit magno lucro frumentum hoc quod putat esse suum. Sed mox rescit istud ad Caium pertinere, et inquirit dubius a Confessario quid sibi faciendum sit?

2° Faustus de nundinis redux, venditis mercibus nimiam pecuniæ summam in crumena reperit, nescitque a quo emptore plus debito sibi fuerit solutum, vel quo emptor abierit. Quamobrem incrementum istud, de bona occasione gaudens, sibi retinet.

Hinc :

Quær. 1° *An* Pamelius *retinere possit, non tantum pretium quod ipse solvit pro frumento, sed etiam lucrum quod percepit illud revendendo?*

2° *An* Faustus *pecuniam superfluam sibi servare possit?*

Solutio :

601. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Pamelius *probabiliter* servare potest pretium quod ipse solvit frumentum emendo. Constat ex dictis in casu præcedenti.

2° Non potest autem retinere lucrum quod obtinuit frumentum revendendo, quia lucrum illud minime spectari potest ut fructus industriæ; provenit enim unice ex eo quod valor rei intrinsece creverit. *Res autem crescit domino.* Nec obstat id quod dictum est in casu præcedenti, nempe Gaudentium *probabiliter* posse servare lucrum ex bove revendito habitum quia valor bovis in se non creverat, et proinde venditor peritiæ suæ lucrum

[1] *Ex Jure Gallico* dominus rei amissæ aut furtivæ, per tres annos rem hanc reclamare potest ab actuali possessore, qui recursum servat in eum a quo eamdem accepit. *Art.* 2279. — Item possessor actualis rei furtivæ, si eam bona fide emerit in foro publico, in licitatione publica, vel a mercatore res hujus generis vendente, non tenetur illam priori domino restituere, nisi ab isto de pretio quod tribuit indemnis fiat. *Art.* 2280.

obtentum tribuere potuit; in præsenti autem casu valor frumenti ex æstimatione communi crevit: ergo lucrum proveniens ex revenditione nullo modo peritiæ venditoris tribuendum est. Ergo PAMELIUS ex illo lucro factus est ditior independenter ab industria sua; ergo illud domino restituere debet.

602. — *Resp. ad 2um Quæs.* Pecuniam hanc superfluam sibi servare potest FAUSTUS nemine postea reclamante. Habenda enim est ut quid derelictum quod primo occupanti prodesse potest. Non sufficit enim ad restitutionis obligationem, ut possessor bonæ fidei detegat rem a se possessam esse alienam, sed etiam requiritur ut dominum rei vel ejus hæredes cognoscat. Secus enim rem retinendo nemini injuriam facit.

CASUS III

POSSESSOR BONÆ FIDEI 3o

Cujus rei pretium?

CALLIXTUS, aurifaber, centum francis emit a viro, quem probum credebat, quamdam argenti conflati massam ex qua confecit calicem, quem postea cuidam monasterio 150 fr. vendidit. Hucusque bene; sed mox gravis insurgit difficultas. CALLIXTUS, nescio quo casu, certo rescivit argentum illud furtive subtractum fuisse eidem monasterio, cui calicem vendiderat. Obstupefactus et mirans, nescit quid sibi agendum sit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* CALLIXTUS *ad aliquid erga monasterium teneatur?*

2° *An Superior monasterii, re cognita, possit datum pretium repetere, vel non adhuc solutum renuere?*

3° *Quid, si calix ipse in specie monasterio fuisset subreptus, a* CALLIXTO *bona fide emptus, et majori pretio eidem monasterio venditus, atque a Superiore recognitus, sive ante, sive post pretii solutionem?*

Solutio :

603. — *Resp. ad 1um Quæs.* CALLIXTUS, aurifaber, ad nihil prorsus tenetur erga monasterium, neque ratione pretii quod solvit pro massa argentea, neque ratione lucri 50 francorum.

1° Quidem ad nihil tenetur pro massa argentea, in hypothesi quod eam integram ad conflandum calicem adhibuerit; quia de massa illa aliena nihil amplius possidet, ne in emolumento quidem, nec inde factus est ditior, cum ratione massæ nihil receperit, nisi id quod ipse solvit ad eam emendam. Possessor enim bonæ fidei ad nihil tenetur, nisi rem ipsam alienam possideat, vel inde ditior evaserit.

2° Neque restituere tenetur monasterio, *ratione lucri* 50 *francorum percepti*. Lucrum enim illud minime est fructus rei alienæ scilicet argenti, sed est pretium laboris et industriæ artificis. Potuit quidem aurifaber ditior evadere occasione rei alienæ, non vero ex re ipsa aliena ditior factus est. — *Elbel, n.* 47.

604. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Nego.* Etenim, ex dictis, aurifaber nihil restituere debet monasterio; ergo monasterium nihil repetere potest. Nec obstat quod Superior monasterii pro re sua pretium solverit; nam recursum servat in furem, si eum detegere possit. Si vero pretium non adhuc solverit, et probare valeat calicem confectum esse ex re sua, ad nihil aliud tenetur, nisi ad pretium laboris et artis in aurifabrum refundendum, quia pretium pro re sua retinenda rependere non debet. Secus ei pretium totum solvendum erit.

605. *Resp. ad* 3^um *Quæs.* 1° Facta solutione, aurifaber totum pretium *probabiliter* retinere potest, perinde ac si alteri calicem vendidisset, sicut dictum est in casu præcedenti de bove alieno, qui bona fide fuit emptus, et cum aliquo lucro revenditus. Etenim aurifaber rem non amplius habet, nec factus est ditior, nisi ratione industriæ, seu commercii. Ergo nihil restituere debet, nisi sententia judicis cogatur.

2° Ante pretii solutionem, Superior nihil solvere debet, si probare possit calicem esse suum, quia non est justum ut rem suam emat. Tunc Callixtus ad suum venditorem, seu ad furem recurrere debet, si possit, ad compensationem ab eo obtinendam.

CASUS IV

POSSESSOR BONÆ FIDEI 4°

Frugifer equus!

Pancratius optima fide a quodam viatore equum pretio 300 fr. emit. Paucis autem post diebus, ecce, bona sorte, *Bucephalus* ille, cum feminei sexus esset, pulchellum pullum novo edidit domino! Ter beatus Pancratius, servato pullo, matrem Lubino cum lucro 30 fr. vendidit.

Res optime processerat, cum ab infausto nuntio rescivit equum esse furtivum, atque ad Bernardum pertinere. Interea iterum venditus fuerat equus cum novo lucro venditori obtingente. Quid Pancratius? Adit Confessarium, qui ait : « Monito prius domino ut equum suum recuperare valeat, restitue pecuniam totam cum pullo, emptori tuo; nulla enim fuit venditio. » Perterritus, alium Confessarium interrogat, a quo sequens accepit responsum : « Sis quieto animo, mi bone, nihil ad te de domino, cum rem ejus non habeas. Serves 300 fr., quia totidem venditori tuo bona fide tradidisti; serves lucrum 30 fr. ratione industriæ tuæ in vendendo; serves pullum equinum, quia tibi clamat ratione nativitatis. » Huic posteriori decisioni libenter acquievit Pancratius.

Hinc :

Quær. 1° *Quid juris, tum in casu evictionis, tum seclusa evictione?*
2° *Quid de sententia utriusque Confessarii?*

Solutio :

606. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° *In casu evictionis,* Pancratius totum pretium acceptum refundere debet in emptorem evictum, quia tunc omnino

solvitur contractus. Recursum autem habeat in suum venditorem; si eum invenire possit. Quid vero de pullo? *De Jure Romano*, domino equi reddendus est : *res* enim *fructificat domino*, et *partus sequitur ventrem. De Jure* vero *Gallico*, a possessore retineri potest, cum res sola, seclusis fructibus, reddenda sit.

2° *Extra casum evictionis*, Pancratius servare potest, saltem *probabiliter*, tum 300 francos quibus equum emit, quia rem non habet, nec ditior inde factus est, tum lucrum 30 fr. quod animal revendendo acquisivit, utpote fructum industriæ suæ. Quid vero iterum de pullo? *De Jure naturali* et *Romano*, pullus *clamat matri*, et *matris domino. De Jure* vero *Gallico*, a possessore servari potest, ut jam modo dictum est. *Recole dicta supra in casu primo et secundo.*

607. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* (Seu quid de utroque Confessario?) Ex dictis satis liquet. Sententia prioris Confessarii, utpote severioris, a Pancratio omnino prætermitti potuit. Nec verum est, monendum esse dominum ab eo qui rem amplius non possidet, ut ipse dominus recuperare possit, cum periculo detrimenti subeundi. Ad id tantum tenetur actualis rei possessor, quia in manibus ejus domino clamat. Rectius judicavit Confessarius posterior; sed, cum esset sane natione *Gallus*, ex solo *jure* sibi *noto* ductus, pullum equinum possessori tribuit.

CASUS V

POSSESSOR BONÆ FIDEI 5°

Infaustus asini casus!

Jovianus, fide bona, furtivum asellum pretio 80 fr. sibi comparavit. Eventu beatus, eadem die 100 fr. hunc Polybio revendidit. Exspectationi novi domini asellus adeo satisfecit, et brevi tempore adeo crevit, ut equi non spernendi omnes partes adamussim impleret. Verum, cum die quadam in montana loca ad pascua fuisset perductus asellus, dum herbam in summa rupe carpere contenderet egregium animal, ex alto cecidit, cervicemque ad durissima saxa allisit, et infeliciter periit. Sed ecce inexspectata insurgit difficultas : detegitur verus asini dominus, scilicet Pomponius. Hic reclamat a Joviano pretium quod ab ultimo possessore seu a Polybio accepit. Negat iste quippiam se esse soluturum, quia bona fide bestiam emit 80 fr., atque ex industriæ fructu 20 fr. lucratus est. Sed etiam Polybius ultimus possessor reclamat pretium quod dedit, ex eo quod venditio invalida fuerit. Unde lis maxima tibi dirimenda.

Hinc :

Quær. 1° *An tutus sit conscientia* Jovianus *in omnibus, vel cui reclamanti satisfacere debeat?*

2° *Quid, si asinum titulo gratuito accepisset?*

Solutio :

608. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Quis jacturam pretii bestiæ feret e tribus? An Jovianus venditor? An Polybius emptor, in cujus possessione asinus

periit? An Pomponius, animalis dominus? Jovianus a duobus cæteris lacessitur. Ecce clamat dominus, reclamat vero emptor.

Jovianus, juxta *probabiliorem* sententiam, solvendus est ab omni onere restitutionis. Quare enim ad solvendum asinum mortuum urgeretur? Ad nihil tenetur, neque erga emptorem, neque erga dominum. 1° Non tenetur erga dominum, siquidem bestiam non habet, neque ex ea ditior factus est, nisi ratione industriæ et laboris, eamdem carius revendendo. Nec dici potest pretium rei rem ipsam repræsentare. Ergo Jovianus domino clamanti surdam aurem præbere potest.

2° Nec magis tenetur erga emptorem : etenim non fuit causa damni illius, neque ex re aliena ditescit, neque evictione ad pretium refundendum adigitur.

An vero dominus ab emptore seu a Polybio pretium asini repetere valeat? *Nego*, quia asinus periit, et domino periit. Frustra igitur clamat dominus, quando bestia jam clamare cessavit, et jam amplius ipsi clamare nequit. Tollat quidem Pomponius animalis pellem, si velit ; ad nihil enim aliud jus habet.

609. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur :* juxta communem sententiam teneretur quidem Jovianus pretium asini restituere, quia ex illo revera factus esset ditior, cum in hypothesi rem titulo gratuito haberet. *Probabilius* emptori restituere deberet, quia bestia periit domino. Plures tamen sat probabiliter judicant restitutionem ipsi domino faciendam esse, quia, cum injuste re sua spoliatus sit, jus habet ut indemnis fiat. — *V. Comp. n.* 641.

CASUS VI

POSSESSOR MALÆ FIDEI 1°

Agathonius confessionem instituendo hæc declarat :

1° Occupavit falso titulo prædium, quod magna cura excoluit, et ex quo, per varios annos, uberes fructus excepit.

2° Furatus est vaccam, ex qua lac quotidianum et vitulos plures percepit.

3° Equum furtivum scienter emit ; sed, detecto domino, ne cogeretur ad equum hunc restituendum, cum venditore contractum rescindere festinavit.

4° Equum 200 fr. a domino emptum subripuit, et 250 fr. vendidit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Agathonius *teneatur non solum res acceptas, sed etiam omne emolumentum restituere in primo et secundo casu ?*

2° *An in tertio casu equum furi reddere potuerit ?*

3° *An in quarto casu satis sit si* 200 *fr. restituat, reliqua* 50, *tanquam fructum industriæ, retinendo ?*

Solutio :

610. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Agathonius tenetur quidem *in primo* et *secundo casu* restituere non solum res acceptas, sed etiam omne emolumen-

tum ex eis perceptum; attamen expensas quas fecit ad excolendum agrum et enutriendam vaccam deducere potest.

Resp. ad 2um Quæs. Controvertitur *in tertio casu: probabilius* negatur, quia, equum mala fide emendo, in se totum ejus periculum suscepit. Attamen plures affirmant non improbabiliter, juxta *S. Lig., n.* 570; quia, licet ille peccaverit, equum mala fide emendo, emptione tamen facta, jus habet ad contractum rescindendum, et equum furi reddendum, haud secus ac possessor bonæ fidei in simili casu.

611. — *Resp. ad 3um Quæs. In quarto casu* AGATHONIUS pecuniam acceptam domino restituere debet, nisi lucrum, quod in equi venditione percepit, speciali suæ industriæ tribuere possit.

CASUS VII

POSSESSOR MALÆ FIDEI 2o

1° ZACHARIAS a CAROLO centum aureos furatus est. Cum autem sit homo minime imperitus, adeo feliciter eos in commercio adhibuit, ut lucrum notabile ex eis perceperit. Verum postea volens injurias a se illatas reparare, a Confessario petit an satis sit si 100 aureos furtivos restituat, vel etiam lucrum ex eis acquisitum reddere debeat?

2° SISINUS gallinam TITII 15 assibus valentem subripuit. Ex ea ova non pauca collegit. Ex ovis autem, quæ fovenda incubanti gallinæ supposuit, ingens pullorum familia prodiit, et pullulavit. Alios vero grandiusculos vendidit, aliosque ad alia ova sibi parienda, novasque familias parturiendas servavit. Tandem lucrum non modicum ex furtulo suo percepit. Sed, cum postea confessus fuisset, et totam rei seriem narrasset, damnatus est a Confessario ad totum lucrum ex gallina provenientem restituendum.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* ZACHARIAS *teneatur ad lucrum ex pecunia furtiva perceptum, domino restituendum?*

2° *Quid, si pecuniam hanc mutuo collocasset, et inde fenus accepisset?*

3° *An* SISINUS *præter valorem gallinæ, restituere debeat omne lucrum ex ea perceptum?*

Solutio :

612. — *Resp. ad 1um Quæs.* 1° ZACHARIAS tenetur certo illud lucrum totum restituere, si dominus damnum æquale passus est, v. gr., quia etiam ipse in commercio pecuniam suam posuisset, etc.; et hoc præsumitur, quoties dominus læsus est mercator, vel pecuniam in variis negotiis adhibere solet.

2° Secus non videtur obligandus ZACHARIAS ad restitutionem illius lucri, ex propria negotiatione percepti, quia fructus industrialis dici potest.

Obj. Sed *res fructificat domino :* ergo fructus pecuniæ CAROLO restituendus est.

Resp. Lucrum illud ex pecunia CAROLI perceptum, ex majori parte indu-

striæ furis tribuendum est, imo omnino ut fructus industrialis habendus juxta eos qui dicunt pecuniam ex natura sua sterilem esse. Hæc autem sententia non destituitur omni fundamento, licet opposita nunc probabilior et communior evaserit. Præter quod dominus læsus præsumitur contentus, si pecuniam recuperet, et, quoad damna quæ passus est ob ejus carentiam, indemnis fiat.

613. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Etiam in hac hypothesi attendendum est ad damnum quod dominus læsus præsumitur subiisse, defectu pecuniæ, et illud reparandum est. Secus non videtur fur urgendus ad restitutionem lucri percepti, quia tanquam fructus industriæ haberi potest. Cæterum in praxi difficile restitutio hujusmodi lucri obtineretur.

614. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Satis est si fur gallinæ Sisinus valorem bestiolæ restituat. Absolute quidem loquendo, stando in rigore principiorum omne lucrum, deductis expensis, restituere deberet, quia *res fructificat domino*, et ipse dominus hæc omnia commoda ex gallina sua obtinere potuisset. Attamen, *moraliter loquendo*, quando agitur de furto rei parvæ et valde communis, sufficit si valor rei illius restituatur, quia, ex æstimatione communi, dominus rei proprie aliud damnum non passus est. Etenim, si velit rem aliam similem habere, facillime hanc sibi procurare potest. — *Ita communiter, Bouvier,* etc.

CASUS VIII

POSSESSOR MALÆ FIDEI 3°

1° Romarinus, villicus, in prædio Licinii constitutus ad rustica negotia gerenda, centum frumenti modios domino subripuit, quos insequenti anno vendidit, quando scilicet, propter annonæ penuriam, frumenti pretium in duplum excreverat. Dominus autem, si habuisset illud, ut reliquum vendidisset, eo tempore quo vilius veniebat.

2° Idem Romarinus etiam domino suo furatus est vitulum, qui paulo post secus fuisset lanioni venditus. Crevit incolumis servatus vitulus, et ingens bos evasit. Pœnitentia autem ductus, Romarinus pergit ad confitendum, et postulat a Confessario quid sibi sit agendum, seu quid restituendum. Titubans vero confessarius nescit quid interroganti respondeat.

Hinc :

Quær. 1° *Quid restituendum a possessore malæ fidei, quando res furtiva habet alium valorem tempore detentionis?*

2° *An* Romarinus *restituere summum valorem debeat, quem habuit sive frumentum sive vitulus?*

3° *Quid contra, si res aliqua subripiatur tempore majoris pretii, et postea restituatur cum valor decreverit; vel res, ut est frumentum, creverit et decreverit?*

Solutio :

615. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Dominus omnino reddendus est indemnis : quare, si res deterior facta est apud furem, hic restituere debet juxta valorem quem habebat quando rapta est.

2° Si res crescat apud furem, domino crescit, quia semper ad eum pertinet; proinde, si fur eam vendat aut consumat tempore majoris valoris, tenetur de hoc valore apud dominum.

3° *Controvertitur* vero in hoc casu, scilicet, si dominus consumpturus fuisset rem suam tempore minoris pretii, et fur eam crescentem et postea decrescentem servaverit : an hic pro majori valore teneatur? *Affirmant alii,* quia, tempore majoris valoris, fur hujus valoris erat debitor; debitum autem contractum non cessat, nisi per solutionem. Sed *negant alii et probabilius,* quia non tenetur ad majorem valorem, neque ratione rei acceptæ, quæ nunc minoris valet, neque ratione damni illati, quia dominus fit indemnis. — *V. Comp. n.* 648.

616. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° *In primo casu* Romarinus restituere debet frumenta juxta summum valorem quem habebat quando fuit venditum a villico, licet dominus fuisset illud venditurus anno præcedenti, antequam cresceret. Ratio est, quia, tempore hujus majoris pretii, pertinebat ad dominum. Præterea fur ex re aliena ditescere nequit.

2° *In secundo casu,* Romarinus restituere debet bovem, talem prorsus qualem eum nunc habet, quia qualis nunc est in individuo, domino clamat. Sic respondeat Confessarius; non est enim ratio quare titubet. Difficultas tamen non parva erit in compensandis expensis, pro enutriendo bove, et commodis ex ejus labore perceptis. Hæc moraliter ex æquo et bono æstimanda sunt.

617. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Si res aliqua subripiatur tempore majoris valoris, et postea ejus pretium decreverit, fur tenetur ad restitutionem juxta valorem majorem, seu juxta valorem quem habebat quando sublata est, si dominus rem fuisset tunc venditurus, et non usque modo conservaturus. Ratio est, quia fur hujusmodi debitum contraxit, et dominum indemnem facere debet. Ergo...

2° Si vero res subripiatur tempore minoris pretii, et postea creverit, et subinde decreverit, probabilius satis erit restituere juxta ultimum valorem, nisi dominus præsumatur eam voluisse vendere tempore majoris pretii. — *V. Comp. n.* 648.

CASUS IX

POSSESSOR MALÆ FIDEI 4°

Cujum pecus?

Melibœus, agricola, cum magna cura miræ magnitudinis suem enutriebat, atque ex ea spem formosi pecoris in pectore gerebat. Verum in bona sorte nimium confidens, inania jactabat. Etenim, quadam intempesta nocte, Blasius belluam e stabulo subduxit, et in domum propriam secreto adduxit. Novi possessoris cura, sus prægnans evadit : quare brevi tempore ingens porculorum familia in lucem prodiit. Hæc multiplex proles mox grandior efficitur. Anno autem vix elapso, remordente conscientia, cogitabat Blasius de sue furtiva domino restituenda; sed porcinam familiam, utpote suam seu industriæ fructum, servare intendebat, cum, nocte quadam, ab

alio fure seu a Titio grex totus fuit ablatus, et paulo post morbo infectus periit.

Hinc :

Quær. 1° *Cujum pecus? an* Melibœi? *seu, an* Blasius, *ante furtum* Titii, *obligatus fuerit ad gregem integrum* Melibœo *restituendum?*

2° *An, restituendo, se indemnem facere potuerit pro expensis a se factis, gregis enutriendi causa?*

3° *An de facto fur uterque ad restitutionem teneatur, cum omne pecus interierit?*

4° *An fur uterque sit æqualiter obligatus erga* Melibœum, *si* Titius *novit gregem ad illum pertinere? vel quis eorum primario teneatur?*

Solutio :

618. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Pecus revera fuit Melibœi, et quidem integrum; quapropter iniquus Blasius, ante furtum Titii, nullam merebatur commiserationem, atque ex rigorosa justitia erat urgendus ad restitutionem non solum *formosæ suis* quam Melibœo rapuit, sed etiam totius porcellorum familiæ; *res* enim *fructificat domino.* Ergo pulli ad ipsum dominum suis seu Melibœum pertinebant. Nec potuisset Blasius servare porcinam familiam, restituta matre, titulo industriæ, siquidem nulla reperitur in hoc industria specialis. Præterea nonne Melibœus fuit impeditus quominus hac industria uteretur, siquidem ipse spem formosi pecoris in pectore gerebat?

619. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Blasius potuisset sane, restituendo gregem, se indemnem facere pro expensis ad porcos enutriendos a se factis, quia etiam dominus illas expensas facere debuisset. Ad hoc igitur nonnullos porcellos sibi servare, titulo compensationis, ipsi licuisset.

620. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Interitus rei furtivæ minime dispensat furem ab onere restitutionis, etiamsi res illa absque furis culpa perierit; quia, auferendo illam a domino, omne ejus periculum in se suscepisse censetur. Hinc in casu nostro neuter fur a restitutione facienda excusandus est.

1° Blasius ad restitutionem certo tenetur erga Melibœum. Ipse enim jam totam obligationem restituendi contraxerat a principio, et hac obligatione erat obstrictus, quando grex a Titio ablatus est. Porro obligatio semel contracta, nisi per solutionem, non cessat.

2° Titius tenetur ad restitutionem erga Blasium, si ignoret, ut supponitur, animalia sublata ad eum non pertinere; erga eum igitur in hac hypothesi remanet obligatus.

621. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Uterque fur sane tenetur in solidum ad Melibœum indemnem faciendum. Sed non sunt pares in hac obligatione. Tenetur priori loco ultimus gregis possessor, propter actualem ejus detentionem; siquidem, gregem abducendo, totum ejus periculum in se suscepit. Etenim, licet Titius et Blasius sint in injusto furto pares, sunt tamen impares in actualitate detentionis; nam detentione actuali Titius in se *primario* assumpsit omnia pericula actualia. Ergo solus tenetur *primario* ad restitutionem integram rei furtivæ in sua detentione destructæ. Blasius igitur in casu non tenetur ad restitutionem, nisi *secundario,* id est defectu Titii. Ergo,

si iste restitutionem Melibœo jam fecerit, Blasius totam pecuniam a Titio acceptam, titulo indemnitatis, servare potest. Proinde, si Titius sciat animalia fuisse Melibœi, et ei immediate restituat, Blasius ab omni onere restitutionis liberabitur.

CASUS X

POSSESSOR DUBIÆ FIDEI

Tetradius nonnullis laborat scrupulis circa varias quas tenet possessiones :

1° Ingressus est possessionem prædii alicujus sibi donati, aut venditi; postea autem dubitat de legitimitate tituli possessionis, nec veritatem facile detegere potest.

2° Emit varias merces, et plures alias dono accepit, cum dubio utrum furtivæ sint necne; et etiam ad talem dominum vel talem alium pertineant, aut fuerint vere venditoris.

3° Dum accipit solutionem debiti, sibi visum est summam debito majorem a debitore numerari; tacuit, pecuniamque cum alia in crumena miscuit, ita ut nesciat neque scire possit utrum plus æquo acceperit necne.

4° Alias simile dubium ipsi occurrit, sed post acceptam solutionem tantum. Alias etiam accepit bona fide solutionem debito majorem, et postea, re cognita, non invenit amplius dominum.

5° Surripuit apud Titium, hæredem universalem Caii, 1,000 fr., quia probabiliter existimabat hos a Caio sibi donatos fuisse.

Hinc :

Quær. 1° *Quid in genere statuendum, de possessore dubiæ fidei ?*
2° *Quid dicendum in propositis dubiis ?*

Solutio :

622. — *Resp. ad 1um Quæs.* Possessor dubiæ fidei : 1° diligentiam adhibere debet ad inquirendum, ut dubium deponere valeat; 2° si dubium perseverat, facta inquisitione debita, rem probabilius retinere potest, in casu quo ei bona fide possidenti dubium supervenerit; quia, *in pari casu, vel dubio, melior est conditio possidentis;* 3° si vero dubium præcesserit possessionem, restituere debet possessor *pro rata dubii* probabili domino. Imo, si dubiam possessionem inceperit, spoliando alium possessione sua, tenetur totum restituere priori possessori. — *V. Comp. n.* 652.

623. — *Resp. ad 2um Quæs. In primo casu* Tetradius prædium servare potest, ut ex dictis patet.

In secundo casu, inquirat diligenter; postea, si dubium remaneat, restituere debet *pro rata dubii,* domino probabili, vel pauperibus, ignoto penitus domino.

In tertio casu, Tetradius domino diligenter inquisito, nec detecto, *per se* pecuniam probabiliter superfluam, partim restituere deberet pro rata dubii; quia dubium illud possessionem præcessit, juxta id quod superius dictum est. Sed in præsenti casu applicatio principii videtur impossibilis.

Etenim Tetradius neque scit utrum aliquid superfluum acceperit, nec quantum acceperit; deberet quidem ille restituere *pro rata;* sed quæritur pro rata cujusnam summæ? et responderi nequit. Ergo in hoc speciali casu non videtur ad quidpiam obligari.

In quarto casu, totum retinere potest, post factam diligentem de domino inquisitionem, quia tunc dubium post possessionem jam habitam subsecutum est; et proinde possessor ille dubius, possessori bonæ fidei a fortiori æquiparandus est. Possessor autem bonæ fidei, ut suo loco jam dictum est, in pari casu, quæsito frustra domino, rem non suam servare potest. Dico *a fortiori,* quia, si possessor bonæ fidei rem aliquam servare potest, non invento domino, quando novit certo eam fuisse alienam, *a fortiori* quando dubitat an ad se vel ad alium pertineat.

In ultimo casu, totum restituere debet, quia *in dubio seu in pari causa melior est conditio possidentis.* — *V. Comp. n.* 652, etc.

CASUS

DE INJUSTO DAMNIFICATORE

CASUS I

VIR NOCENS JURE SUO UTENDO

Zephirinus, arenæ extrahendæ gratia in proprio prædio altam excavat foveam. Novit quidem Andream de nocte per hunc locum sæpius transire ; nec tamen eum admonet, ut sibi caveat. Transiens autem Andreas, nec ad periculum advertens, in foveam decidit, et crus frangit : quare labori consueto per duos aut tres menses vacare prohibetur.

Hinc :

Quær. 1° *An teneatur ad restitutionem qui alteri nocet, ponendo causam indifferentem, vel justam?*

2° *Quid, si id ex odio peragat?*

3° *Quid ad casum?*

Solutio :

624. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Nego,* si causa posita justa sit ex parte agentis, quia *utitur jure suo,* nec agit animo nocendi alteri ; nec proinde jus illius ullum lædit, licet forte ejus damnum præviderit. Sic non peccas avertendo torrentem tibi nocivum, etiamsi prævideas illum vicino tuo futurum esse noxium.

2° Secus, si causa sit indifferens, nec jus strictum habeas illam ponendi. Sic peccas contra justitiam avertendo aquam non tibi nocivam, si alteri nocere debeat. Hinc solutio hujusmodi casuum a variis circumstantiis pendet. — *V. Comp. n.* 603.

625. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Eadem solutio probabiliter etiam danda est ac in casu præcedenti ; scilicet, vel agens justam habet causam agendi, vel non : *si posterius,* injuriam alteri facit, et tenetur ad restitutionem ; secus, *si prius.* Nec obstat malevolus nocendi animus, quia intentio prava nequit facere injustum quod de se justum est. Hinc non peccat contra justitiam qui avertit torrentem sibi nocivum, etiamsi intendat etiam alteri nocere, vel de damno præviso gaudeat. — *V. Comp. ibid.*

626. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Zephirinus graviter peccavit contra caritatem, omittendo admonere Andream, ut sibi præcaveret ; minime vero contra justitiam deliquit, quia justam causam habebat in proprio fundo foveam excavandi. — *V. Comp. n.* 603.

CASUS II

DAMNIFICATOR REUM EX ODIO PRODENDO

Vel ob spem pecuniæ proditionem simulando.

1° Cajetanus, odio in Lazarum percitus, vindictæ occasionem quæritabat, cum ecce rescit eum solere vinum de nocte furtim in civitatem introducere, et sic debitis vectigalibus se subducere. Impiger Cajetanus tributorum præpositos admonet. Lazarus igitur in ipso delicti facto deprehenditur, et ad mulctam persolvendam damnatur.

2° Eligius deprehendens Caium in furto, ei minatur se eum denuntiaturum esse, nisi aureum unum sibi eroget. Ocius obtemperat Caius, ad vitandam denuntiationem. Sed Eligius nolebat reapse denuntiationem facere; verum se eam velle facere tantum simulavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Cajetanus *contra justitiam peccaverit in* Lazarum, *et teneatur ad restitutionem?*

2° *An* Eligius *pecuniam acceptam servare possit, sive serio voluerit* Caium *denuntiare, sive id simulaverit?*

Solutio :

627. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Cajetanus graviter quidem peccavit contra caritatem ex odio agendo, non vero contra justitiam. Denuntiator enim nullum jus strictum alterius violat, quia ratione boni publici omnes jus habent reum denuntiandi. Reus autem huic discrimini se committit, libere delictum patrando. Etenim, si absque odio reum denuntiasset, injuste profecto non egisset : porro intentio interna non efficit injustum id quod de se justum est. Ergo... *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 635, 636. — *Elbel, de Contr. in genere, n.* 307. — *Lugo, de Contr. disp.* 22, *n.* 156. — *Lessius.* — *Sanchez,* etc.

628. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° *Affirmative,* si Eligius voluit serio facere denuntiationem. Constat ex dictis in responsione *ad* 1^um^ *Quæs.* : scilicet, quia quisque civis jus habet ad bonum publicum malefactores denuntiandi, et consequenter aliquid accipiendi, ut huic juri renuntiet. — *Lacroix, ibid. n.* 634, *et alii modo citati.* — *V. dicenda infra de restitut. in specie, n.* 738.

2° *Probabilius* etiam *affirmative,* licet Eligius denuntiationem simulaverit. Ratio est, quia habuit jus ad accusandum, et illo jure se privat; hoc autem est pretio æstimabile : ergo juste aureus recipitur ab Eligio. Etenim Caius dat aureum Eligio ne habeat animum accusandi, quem habere poterat; quod autem Eligius non minetur serio, est quidem dolus, sed non *injustus;* nam Eligius juste poterat minari, sive habuerit serium animum denuntiandi, sive non. — *Lacroix, ibid. n.* 635. — *Lessius.* — *Sanchez.* — *Castropalao.* — *Diana,* etc., contra *Lugo, ibid. n.* 166.

CASUS III

DAMNIFICATOR ULTRA VOLUNTATEM

Menardus mercatoris officinam cum duobus sociis ad aliquid emendum ingreditur. Dum de pretio cum mercatore ageret, nemine advertente, aureum horologium super abaco positum, quod ipse tamen æneum reputaverat, callidissime sustulit. Domum autem reversus, sedulius horologium intuens, aureum esse deprehendit. Sed non diu illud detinuit; eadem enim die, per urbem deambulans, horologium amisit. Paulo post Menardus, pœnitentia ductus, statuit restitutionem facere, sed tantum juxta valorem tempore furti existimatum : id est, perinde ac si horologium fuisset cupreum, non vero aureum.

Hinc :

Quær. 1° *An existimans ex errore invincibili damnum a se illatum esse multo minus ac revera est, teneatur, re cognita, ad totum illud reparandum ?*

2° *Ad quid teneatur in proposito casu* Medardus? *An ad totum damnum reparandum, vel ad partem tantum?*

Solutio :

629. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur;* probabilius damnificator tenetur tantum reparare quod inferre putavit, dummodo ignorantia ejus fuerit *invincibilis,* quia deest culpa theologica, ratione excessus damni, seu quoad damnum ignoratum, ex eo quod talis excessus nullo modo fuerit voluntarius, nec proinde imputari possit ad instar injuriæ proprie dictæ. — *S. Lig. n.* 613. — *Vogler, n.* 189. — *Carrière, n.* 1151, *et alii* contra *alios.*

In praxi tamen hæc sententia non admittenda est, nisi certo de errore invincibili constet; nam, si damnum majus etiam *in confuso* tantum prævisum fuerit, damnificator illud integrum reparare debet. — *V. Comp. n.* 666.

630. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Medardus tenetur ad integrum horologii aurei pretium refundendum. Ratio est, 1° quia difficile ipse indubitanter putare potuit horologium fuisse tantum cupreum : nimis enim festinanter illud surripuit, ita ut de hoc judicium certum efformare non valuerit; 2° quia, postea advertens horologium aureum esse, illud ut tale statim restituere debuit. Ergo, restitutionem differendo, fuit in mora culpabili, ratione restitutionis, et proinde omne periculum rei suscepit, non excluso quidem quocumque casu fortuito. Quapropter ad totum damnum reparandum tenetur, etiamsi ejus ignorantia de vero valore in actu furti invincibilis fuerit; quia, detecto errore, et dilata restitutione, suscepit in se ipso facto onus rem juxta verum suum valorem restituendi. — Quid vero si Medardus in principio fuisset in ignorantia vere invincibili de horologii valore, et postea, vero pretio agnito, statuisset rem ocius restituere, sed

tunc aliquo impedimento prorsus involuntario cohibitus fuisset, et interea illam absque ulla culpa amisisset? *R.* In hac hypothesi probabiliter Medardus eximendus foret ab obligatione restituendi excessum pretii, tempore furti invincibiliter ignorati. Tunc enim gaudere posset beneficio probabilitatis in responsione ad primum. Quæs. memoratæ.

CASUS IV

SCANDALUM DAMNOSUM

Gabinus, homo cupidus et rapax, messis tempore pergit de nocte ad triticum in prædio Mauritii furandum. Id peragit coram Antonio qui, hujusmodi exemplo impulsus, statim et ipse in idem prædium se conferens, etiam furatur, dum alioquin non erat furaturus, siquidem hac de re minime cogitasset. Cum autem Gabinus furtum suum scandalosum in confessione aperuisset, a Confessario jussus est restituere non solum pro furto proprio, sed etiam pro damno ab Antonio illato, nisi hic pro parte sua restitueret.

Hinc :

Quær. 1° *An* Gabinus *restituere debeat non solum pro furto proprio, sed etiam pro furto* Antonii, *ejus defectu?*

2° *Quid, si præviderit* Antonium *exemplo suo ad furandum pertrahendum esse?*

3° *Quid, si intenderit eum exemplo suo ad furandum movere et determinare?*

Solutio :

631. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur.* Duplex datur sententia probabilis. Juxta *S. Lig., n.* 537, et alios multos, Gabinus non tenetur restituere, defectu Antonii, quia fuit tantum *occasio* furti quod hic patravit, non vero *causa efficax,* siquidem neque causa positiva, neque negativa dici potest. Causa enim ab occasione secerni debet. Affirmant vero alii cum *Antoine, — Billuart, — Collet,* etc., quia pravum exemplum vere influit in determinationem eorum qui damnum inferunt. — *V. Comp. n.* 667.

632. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Eodem modo *controvertitur.* Juxta *primam sententiam,* Gabinus non magis tenetur ad restitutionem loco Antonii, licet præviderit furtum ejus ex suo proprio exemplo secuturum esse, quia actus ille internus prævisionis non efficit ut ipse causa efficax damni alterius evadat; remanet enim mera furti occasio. Etenim causa producit effectum, vel in effectum influit physice vel moraliter; occasio autem tantum effectum movet objective, non vero causaliter. Porro Gabinus non influxit in furtum Antonii, neque positive, neque negative. Non quidem positive : neque enim ex parte Gabini intervenit mandatum, consilium, vel consensus aut aliqua participatio : neque etiam negative, siquidem non tenebatur ex officio furtum alterius impedire. Ergo fuit tantum furti occasio. Ita iidem contra eosdem in ratione supra allata innixos.

633. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Gabinus *probabilius* tenetur ad restituendum

Antonio, si de industria egerit ut eum in furtum pertraheret. Tunc enim actionem suam posuit ad hunc pravum finem, et proinde datur vera connexio inter utriusque actionem, cum prior ad posteriorem ordinetur, et eo ipso ejus causa moralis efficiatur. — *Lugo*, *D.* 8, *n.* 75, etc. Attamen hoc certum non est. Imo sententia negans videtur vere *probabilis*. Ratio est, quia, non obstante interna voluntate nocendi, actio externa eadem remanet, scilicet, mera occasio damni, seu causa per accidens. — Ita *Vogler*. — *Lessius*. — *S. Lig.* *n.* 636. — *V. Comp.* *n.* 604, 667 *et* 669.

CASUS V

BENEFICIUM AVERTENS 1°

Gastonius in favorem Fabiani, nepotis sui, testamentum condiderat. Sed Florianus, alter nepos, Gastonio refert Fabianum pluries irreverenter de ipso locutum fuisse. Tandem testator ira percitus, testamento dilacerato, Florianum hæredem instituit, et paulo post e vivis excessit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quando ad restitutionem teneatur ille qui alium impedit ab alicujus beneficii consecutione?*

2° *An* Florianus Fabiano *hæreditatem restituere debeat?*

Solutio :

634. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Tenetur ad restitutionem qui *injuste* alium impedivit a consecutione alicujus boni. Porro potest quis *injuste* impediri in duplici casu : 1° si *jus strictum* habeat ad rem consequendam, v. gr., in casu concursus ad præmium, beneficium, dignitatem, aut munus quodcumque; 2° si impediatur mediis de se *injustis*, v. gr., *vi, fraude, calumnia, metu gravi*, etc.

Non autem tenetur ad restitutionem qui alium impedit a consecutione alicujus boni ad quod hic jus strictum non habet, per modos non injustos de se, v. gr., per consilium, preces, etc. — *S. Lig., Hom. ap. n.* 61. — *V. Comp. n.* 671.

635. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative per se.* Ratio est, quia Florianus modis injustis, scilicet detractione et calumnia, Fabianum a consecutione hæreditatis Gastonii impedivit. Fabianus enim, ut videtur, hanc hæreditatem erat certo consecuturus, cum jam hæres fuerit constitutus, et testator paulo post de vita excesserit. Quare non est præsumendum quod voluntatem mutavisset. Secus tamen dicendum esset si Florianus, non ex odio vel cupiditate, sed æquitatis amore, seu ex causa rationabili manifestasset Gastonio defectus graves, ex quibus Fabianus omnino indignus hæreditate judicaretur.

CASUS VI

BENEFICIUM AVERTENS 2°

Hyparcus, vir æque pius et dives, jampridem hinc et inde dictitaverat se velle cuidam religiosæ familiæ 1,000 fr. legare. Cum in morbum gravem

incidisset, requirit ut notarius cum duobus testibus advocetur, suam ultimam voluntatem excepturus. Ast MARINUS, ejus filius, qui de pio patris proposito audierat, fingit nuntium ad notarium mittere, et paulo post subdole respondit, notarium in præsentibus obtineri non posse. Hinc accidit ut pater absque testamento moreretur, et filius in omnia ejus bona succederet.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MARINUS *aliquid vel quantum dare teneatur communitati prædictæ?*

2° *Quid vero, si* MARINUS *ex odio in hanc congregationem patri suasisset, ut nihil ei daret?*

Solutio :

636. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° MARINUS tenetur ad resarciendum damnum Religiosis illatum, quia, ut apparet ex casu, patrem impedivit a legato ipsis faciendo, per fraudem, seu perniciosum mendacium, quo asseruit haberi non posse notarium. Filius ille nequam non solum injuriosus fuit erga communitatem, sed etiam erga patrem, cujus sanctam intentionem perniciose et subdole impedivit, contra ipsius voluntatem.

637. — 2° Attamen MARINUS obligandus non videtur ad mille francos integros monasterio erogandos, quia res adhuc a mutabili voluntate testatoris pendebat, sed restituere debet *pro rata* spei quæ communitati affulgebat. Quantum autem restitui debeat, difficillimum est statuere, et res maxime a variis circumstantiis pendet, v. gr., a majore vel minori spe, etc... Videtur autem filium suæ obligationi satisfacturum esse, si dimidiam legati partem in communitatem conferat. Etenim prædicta congregatio nullum adhuc jus habuit ad ipsum legatum, sed tantum jus habuit ne fraudulenter impediretur a spe illud obtinendi. Jus autem illud non videtur tanti valoris, ut dimidium legati excedat. — *Elbel, n.* 106.

638. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si ex odio in hanc congregationem MARINUS patri suasisset ne quidpiam illi legaret sed potius alteri, vel etiam totum sibi relinqueret, probabiliter ad nihil teneretur. Ratio est, quia illa suasio, sine vi vel fraude facta, non est contra justitiam. Nec obstat quod ex odio fiat, quia sequitur inde peccatum contra caritatem tantum, non vero contra justitiam. Ergo in illa hypothesi MARINUS ad nullam reparationem damni teneretur. — *Elbel, n.* 108. — *Tambur.*, etc.

CASUS VII

LUGENDUS ERROR

PHILEAS, seminarii alumnus, occasione data, humana inductus fragilitate, grave furtum in seminario patrat. ALBINUS, alius alumnus, ex gravi suspicione de hoc delicto accusatur atque e seminario ejicitur. Ecce misero aliud ex hoc instat infortunium : ad militiam sorte requiritur, et castra petere compellitur. Obtinet tamen ut, soluta bis mille francorum summa, alium militem sibi substituat. Sed ad PHILEAM redeamus. Hic, statim ac

intellexit causam Albini instrui, pœnitentia ductus, furtiva pecunia clam restituta, incognitus insolito Sacerdoti confitetur, tacita tamen infortunii Albini circumstantia. Conscientiæ vero stimulis iterum agitatus, ordinario suo Confessario rem totam aperit. Confessarius autem pœnitentem obligat ad resarciendum totum damnum quod passus est Albinus pro milite conducendo, ex eo quod debuisset et facile potuisset, etiam non se prodendo, Superiorem, per Confessarium vel alium prudentem virum, de errore commonefacere.

Hinc :

Quær. 1° *Quid dicendum de prima confessione* Phileæ?

2° *An recta sit secundi Confessarii sententia? seu an* Phileas *contra caritatem et justitiam graviter peccaverit?*

3° *Quid ipsi fuisset, vel quid nunc sit agendum?*

Solutio :

639. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Nihil prorsus videtur in prima confessione Phileæ reprehendendum; siquidem neque dolore, neque integritate caruit. Nec obstat quod circumstantiam Albinum respicientem tacuerit : illa enim circumstantia ad ipsius confessionem minime pertinebat ; siquidem neque damnum Albini prævidit, neque hujus efficax causa fuit, neque adhuc attendit ad obligationem, ratione caritatis, damnum socii avertendi, procurando ut Superior secreto moneretur de ejus innocentia. Proinde fuit mera damni ejusdem occasio, ut dictum est supra in casu Audifacis, *casu* 1, *de furto, n.* 567.

640. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Phileas peccavit quidem graviter contra caritatem *per se*, si adverterit ad modum facilem avertendi damnum condiscipuli. Quisque enim tenetur ex caritate damnum grave alterius impedire, quando facile potest.

2° Non peccavit autem contra justitiam, cum non fuerit *causa efficax* damni Albini, sed *mera* ejus *occasio*. Ergo injuste damnatus est a suo Confessario ad damnum illud resarciendum. Sed, ais, potuisset damnum illud secretissime impedire per Confessarium qui rem, tacito nomine, Superiori retulisset. — *R.* Quid inde? Sequitur ad summum illum peccasse contra caritatem, non vero contra justitiam.

641. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Quid facere debuisset Phileas, jam satis liquet ex dictis. Onus enim ex caritate ipsi incumbebat rem quamprimum Confessario, vel alteri viro prudenti deferre, ut ejectio alterius impediretur? 2° Quid vero sit nunc faciendum? In quantum fieri potest, quin seipsum prodat, Phileas debet, per Confessarium vel alia ratione, efficere ut fama Albini apud Superiorem et alios restituatur, ita ut in seminarium revocari possit, si velit, et vocationis suæ jacturam non ferat.

CASUS VIII

CAUPO ALIIS ET SIBI BONUS

Philonicus, caupo, indole et industria comis et suavis, lucrifaciendi gratia viam ab aliis prorsus diversam amplectitur. Etenim, dum cæteri

ejusdem status et conditionis mercium ciborumque pretium extollunt et exaggerant, ipse, modico contentus lucro, res suas pretio notabiliter minori hospitibus tribuit. Ut præviderat succedit eventus : undique enim ad ipsum confluunt hospites, et numero abunde compensat quod de pretio detrahit. Sed ecce ingens exoritur tempestas, aliorum scilicet cauponum, qui, cum hospitia sua deseri cernant, contra PHILONICUM inflatis buccis vociferantur. Hinc fit ut, cum ad confitendum accedit, a confessario carpatur, et de gravi peccato tum contra caritatem, tum contra justitiam damnetur, atque prohibeatur severe ne id peragere prosequatur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An revera* PHILONICUS *contra caritatem et justitiam graviter peccaverit, si pretium rerum non fuerit lege determinatum ?*

2° *Quid vero, si pretium rerum aliqua lege determinatum fuerit ?*

3° *Quid sentiendum de moderatoribus curruum publicorum* (diligences), *qui pretium transvectis imminuunt, ut concurrentes corruant? Et quid, si peregrinos gratuito prorsus transvehant?*

Solutio :

642. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° PHILONICUS non peccavit *contra justitiam* erga caupones. Etenim habet dominium perfectum suorum victualium ; ergo, quemadmodum posset ea hospitibus omnino gratis concedere, ita etiam eadem minori pretio quam alii vendere potest. Ergo nullam injuriam aliis irrogat, nec ad ullam restitutionem tenetur, quia jure suo utitur. Nec obstat quod cæteri caupones damnum patiantur, quia non tenetur PHILONICUS lucrum notabile dimittere, ut damnum aliorum impediat. Possunt quoque alii idem facere, si velint. — *Elbel, de Rest. n.* 99. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 81.

643. — 2° Nec peccavit *contra caritatem*, quia licitum est cuilibet lucrum modis licitis quærere : at minori pretio vendere, de se non est modus illicitus ; ergo... Præterea caritas non obligat aliquem, ut bono aliorum consulat cum notabili suo detrimento. Ergo PHILONICUS neque peccavit contra caritatem, neque contra justitiam. Ergo minime in sua praxi est inquietandus. — *Elbel, ibid.*

644. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si pretium rerum lege determinatum fuerit, PHILONICUS in eo casu peccat contra obedientiam Principi vel Magistratui debitam, et etiam contra justitiam, quia Princeps, ad pacem et æquitatem in rempublicam servandam, prohibere potest ne tale genus mercium majori vel minori pretio vendatur. Pretium autem auctoritate publica determinatum est justum, et proinde aliud est injustum. Attende autem ad legis præscriptionem; si enim prohibeat ne pretium tale excedatur, non ideo impedit ne imminuatur. — *Elbel, n.* 100.

645. — *Resp. ad.* 3^um^ *Quæs.* Non peccant contra justitiam, ut patet ex dictis. Facile autem peccant contra caritatem, qui agunt ex odio, invidia, et ruinam aliorum intendunt, ut ipsi soli subsistant. Nec adeo munifici apparent, nisi, ut postea, cessante concursu, miseros viatores summo et excessivo pretio gravent et obruant. Proinde minime laudandi sunt, si

pretium adeo deprimant, ut non tantum videantur ad se attrahere homines vehendos, sed etiam nihil intentatum relinquere ut concurrentes corruant.

CASUS IX

ERRANS IN DAMNO 1°

1° Cocles, cum nocte surrexisset ad vastandam vineam Simonis, inimici sui, errans mediis in tenebris, vineam Lucii, amici sui, vastavit.

2° Curtius, Didymo potum petenti, poculum venenatum, ex intentione necis, porrigit. Julius præsens, jocandi gratia, poculum e manibus Didymi eripit, bibit, et paulo post vitæ valedicit.

Hinc :

Quær. 1° *An damnificator teneatur ad reparandum damnum quod fecit quidem, sed facere noluit?*

2° *An* Cocles, *ad damna vineæ* Lucii *reparanda, teneatur in primo casu?*

3° *An* Curtius *ad aliquid teneatur pro damnis quæ familiæ* Julii *evenerunt, in secundo casu?*

Solutio :

646. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Nego,* si damnificator damnum illud non præviderit, ne *in confuso* quidem; quia damnum illud non est voluntarium ex parte damnificantis, nec proinde ei imputandum. Titius, v. gr., vult occidere Petrum, inimicum suum, quem solum cernit, et Petro illæso, occidit Paulum, quem non viderat, nec suspicabatur esse præsentem; Titius ad damni reparationem non tenetur erga familiam Pauli, quia homicidium fuit tantum *casuale,* minime vero voluntarium.

2° Si vero damnificator velit rem præsentem destruere, aut deteriorem facere, putans eam pertinere ad Petrum, inimicum suum, dum pertinet ad Paulum, videtur teneri ad damni reparationem, quia simpliciter rem talem, præsentem, determinatam, destruere voluit. Attamen *S. Ligorius* sententiam oppositam *probabilem* censet cum *Lugo,* etc.

647. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Videtur ad restitutionem damnandus Cocles, saltem juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut modo dictum est. *V. Comp. n.* 664. Attamen, juxta doctrinam *S. Ligorii,* Cocles ad restitutionem urgendus non esset.

648. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Curtius ab omni onere restitutionis solvendus est, si Julium a poculo bibendo impedire non potuit absque sceleris manifestatione et vitæ periculo. Ratio est, quia mors Julii minime fuit Curtio voluntaria, siquidem casum hunc prævidere non potuit; nec tenebatur cum certo vitæ periculo mortem alterius non prævisam avertere. Igitur per accidens tantum, et præter Curtii voluntatem, mors Julii evenit. Ergo Curtius non fuit causa efficax mortis Julii, sed mera occasio; Julius enim semetipsum enecavit, poculum non sibi destinatum bibendo. — *Vogler, n.* 175.

CASUS X

ERRANS IN DAMNO 2°

1° Lupianus modum nocendi Sylvano, inimico suo, quæritabat, cum ejus vitulum in prædio domini pascentem cernit. Extemplo ferream fistulam in bestiolam explodit, sed incassum : nam, loco vituli, bovem Martialis, ipso ignorante, post sepem quiete jacentem occidit.

2° Cletus, volens nocere Petro, inimico suo, pergit nocte ad ejus vineam vastandam ; sed ecce lugendus error ! nesciebat ille vineam hanc paucis ante diebus a Petro venditam fuisse Paulo, amico suo. Quare vineam non inimici, sed amici sui vastavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Lupianus *damnum bovis involuntarie occisi reparare debeat ? Et quid si bos ad eumdem dominum, ac vitulus, pertinuisset ?*

2° *An* Cletus *ad restitutionem tenetur ?*

Solutio :

649. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Lupianus non tenetur ad restitutionem pro bove Martialis a se occiso, quia eum occidere noluit, nec ejus damnum ullatenus prævidit. Etenim ad nihil tenetur pro vitulo, cum illæsus maneat ; neque pro bove, cum illius occisio neque volita, neque prævisa fuerit. Quid autem, si utrumque animal ad eumdem dominum pertinuisset ? Eodem modo etiam solvendus esset casus : semper enim verum esset, damnum illatum non fuisse prævisum. — *Recole dicta de actib. human., n.* 2, *cas.* 2, *ad Quæs.* 3. — *V. Comp. n.* 672-3°.

650. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Cletus tenetur ad restitutionem juxta sententiam communem Theologorum. Ratio est, quia adsunt omnes conditiones requisitæ ad urgendam damni reparationem, scilicet : 1° culpa theologica gravis ; 2° actio injusta ; 3° actio damni vere efficax. Ergo reapse Cletus ad restitutionem tenetur.

651. — Negant tamen plures, quorum sententia videtur probabilis *S. Ligorio,* ut dictum est *in casu præcedenti.* Dicunt isti deesse unam conditionem ad urgendam restitutionem, nempe, ut actio sit formaliter injusta, seu theologice culpabilis, erga dominum læsum : nolebat enim damnificator huic nocere, sed alteri ; intendebat damnum inferre inimico, non vero amico suo.

652. — Sed non videtur deserenda sententia communis Theologorum. Responderi enim potest adversariis actionem damnificantis in hoc casu esse revera injustam *formaliter,* quia damnificans vere vult rem præsentem determinatam destruere. Parvi enim refert qualis sit rei hujus dominus : sive sit Petrus, sive Paulus, flocci habendum est, siquidem quæstio domini est mere accidentalis ad casum, nec substantiam rei afficit. — *V. Comp. n.* 664.

CASUS XI

TROSSULUS IMPERITUS

Simplicius, imberbis trossulus (*fashionable*), Parisios lætus advenerat, amœnam ibi vitam aliquandiu ducturus. Omnia ipsi subridere videntur, omnibusque et ipse subridere gestit. Nondum imperitus juvenis humanarum rerum inconstantiam fuerat expertus. Die quadam, pulchellum equum locatione accepit, ut equitatione, qua summopere delectabatur, sese recrearet. Omnia primum fausta ipsi succedunt; omnium in se oculos et admirationem convertere videbatur. Sed, heu! vix ad suburbanum locum advenerat, cum ecce duo viri, nigro ac lucido panno induti, et in similitudinem apparitorum (*huissier*) compositi, eum compellant : « Heus, tu, « amice, clamant, sistas paulisper, sistas, quæso; hic equus tuus non est, « non est prorsus tuus hic equus. — Verum, reponit obstupefactus Sim- « plicius, meus quidem non est, sed locatum teneo. — Belle! belle! repo- « nunt nigri viri, hoc sane nobis notum est; sed nos ex judiciali sententia « illum occupare debemus, cum tota ejusdem domini supellectili, ad ejus « creditoribus satisfaciendum. » His dictis, fures cum equo aufugiunt. Tristis et gemebundus, pedester reddit trossulus, rem infelicem domino equi relaturus. Obstupescens autem iste, in iram excandescit, et Simplicium ad equi pretium, juxta summum valorem solvendum, adigit.

Hinc :

Quær. *An* Simplicius, *ante sententiam, pretium equi solvere debuerit?* 2° *An ad pretium summum fuerit obligatus?*

Solutio :

653. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid de trossulo nostro statuendum? Damnabisne illum ad pretium equi solvendum? Ne, quæso, sententiam præcipites. Cernis infelicem jam satis infortunio punitum. Nonne juvenis experientia destitutus, tanto artificio circumdatus et fascinatus, commiseratione potius quam damnatione dignus tibi apparet? Verum, dimittesne absolutum? Sed audi indignabundum equi dominum clamantem, ejulantem, vociferantem, et contra sententiam tuam reclamantem! Lis igitur ingens inter utrumque stat tibi dirimenda. Quid *Themis* rectam tenens bilancem? Cuinam favebit? Tu, vero, quid judicii?

Ecce : si mihi credas, ante judicis sententiam Simplicio indulgendum erit. Miraris forte, quærens quid justitiæ in hujusmodi solutione. Audi tantisper; solutio sponte sua ex principiis fluit. Etenim nulla damni reparatio in conscientia urgenda est, nisi adsit *culpa theologica*, et quidem *gravis* in materia gravi. Quis autem de culpa theologica gravi Simplicium accusabit? Nemo sane; ergo causam habet. — Sed, ais, stultus est ille; stulte enim admodum egit. — Ergo, si stultus est, non graviter peccavit, nec ad restitutionem tenetur. — Sed, ais, debuit ad furum fallaciam attendere? ergo culpæ reus est. — Debuit, quidem, si de hoc cogitavit, et do-

lum aliquatenus suspicatus est, hoc autem est contra hypothesim. Ergo absolvendus est, saltem *probabilius*, Simplicius noster.

654. — *Resp. ad 2um Quæs.* Si dominus equi testes de facta locatione habeat, et juvenem possit in judicium deducere, potest summum pretium equi ante sententiam petere, quia limites justitiæ non excedit, cum intra justum pretium remaneat; et equum summo pretio vendere potuisset. Expedit autem Simplicio ut illud majus pretium sponte retribuat, quia sententia judicis probabilius adigetur ad solvendum illud pretium, et insuper judiciales expensas. — *V. Comp. n.* 659.

CASUS XII

PRO ASSE LEPUS

Gorgias, rusticus, duobus militibus in media via adstat obvius, leporem modo a se occisum, venalem offerens. Jocandi causa, fingunt milites se eximiam prædam emere velle. Ocius assem novum, aurei instar præfulgentem, venatori exhibent. Hic autem specie deceptus, aureum esse reputans, excessum valoris jamjam erat redditurus. *Integrum pretium teneto, mi bone,* aiunt milites. Rusticus vero præ gaudio exsiliens, absque mora abiit, evasit, erupit. *Heus! heus tu! veni, veni!* clamant, inflatis buccis, bellatores. Ast surdo canunt: quo majores audit clamores venator, eo citius currit, ita ut nullo medio cohiberi et inveniri possit. Quid autem de lepore? Difficultas facili negotio resolvitur: manducandus erit, ne pereat. Verum vix erat in stomacho concoctus, cum infelix rusticus, errore detecto, ad contubernium militum advenit, pretium majus reposcens. *Amice,* aiunt milites, *tardius advenisti; mens nobis non erat leporem emendi: tanta nobis non suppeditatur pecunia; leporem in tuam sanitatem manducavimus. Nobis te compellantibus obtemperare noluisti; nunc igitur recede in pace.*

Hinc:

Quær. 1° *An milites ad restitutionem teneantur?*
2° *Quid, si contra milites ex errore aureum pro asse rustico dedissent?*

Solutio:

655. — *Resp. ad 1um Quæs. Nego per se.* In hoc casu applicandæ sunt regulæ possessoris bonæ fidei. Etenim in hypothesi milites rusticum non invenientes, nec amplius exspectantes, habuerunt leporem ut rem derelictam, et eum manducarunt. Igitur neque rem habent, neque ejus pretium, nec ditiores inde evaserunt. Ergo nihil restituere debent. Ergo sibi sŏli venator damnum suum imputare debet, cum milites eum compellantes audire noluerit; siquidem aufugiendo, neque clamoribus obtemperando, stulte egit. Excipe tamen casum in quo locus esset angustus, ita ut postea milites facile a rustico, detecto errore, inveniri potuissent, v. gr., quales sunt milites qui in præsidiis parvæ civitatis habentur, et ideo venatoris reditum prævidere debuissent; tunc enim tantisper exspectandum fuisset, ut ille redeundi, et eos detegendi tempus haberet. Cæterum etiam in primo

casu valde conveniens est ut milites pretium leporis solvant, cum bestiam ederint. Etenim, si non est debitum ex rigore juris, est saltem ex honore, præsertim pro militibus, qui viri honorabiles haberi volunt.

656. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si, vice versa, milites ex errore aureum pro alia moneta rustico dedissent, hic, errore cognito, statim milites inquirere debuisset, et inventos indemnes facere. Si vero, facta diligentia, eos reperire non potuisset, hanc superfluam pecuniam ipsi retinere licuisset, ut supra de rebus inventis dictum est.

CASUS

DE COOPERATIONE IN DAMNUM PROXIMI

SCILICET

De mandante, consulente, consentiente, recursum præbente, participante, et de cooperatoribus negativis.

CASUS I

MANDANS 1°

Castor imperavit Festo, famulo suo, ut quamdam pecuniæ summam determinatam apud Jacobum subriperet. Famulus autem summam majorem accepit, et excessum sibimetipsi retinuit.

Alias, vindicta motus, mandavit Caio, alteri famulo, ut arbusculas in prædio Pauli cæderet. Pergit Caius ad mandatum heri exsequendum; sed ex errore vastavit prædium Joannis, qui vicinus erat.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur mandans damnum?*

2° *An* Castor *teneatur ad aliquid pro excessu furti a famulo commissi, in primo casu?*

3° *An teneatur damnum ex errore mandatarii patratum reparare, in secundo casu?*

Solutio :

657. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Mandans, 1° tenetur reparare omne damnum ex vi mandati illatum, quia est causa illius moralis; 2° tenetur etiam reparare damna quæ mandatario eveniunt, si ea aliquo modo præviderit, quia jubendo censetur suscipere in se omnem obligationem mandatarium indemnem faciendi.

658. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Castor ad nihil tenetur in primo casu pro excessu furti a famulo commissi, quia excessus ille non fluit ex efficacia mandati, sed ex sola mandatarii voluntate. Excipe tamen, nisi prævidisset famulum probabiliter excessurum esse in mandati executione, quia tunc, hujusmodi hominem adhibendo ut mandatarium, censetur in se suscipere onus damna prævisa reparandi. — *Lacroix.* — *Billuart*, etc.

659. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.;* quia damnum in hoc casu soli errori mandatarii tantum tribuendum est, non vero ipsi mandanti : error enim est solius exsecutoris, qui proinde solus ad restitutionem tenetur. — *Vogler, n.* 279, etc.

CASUS II

MANDANS 2°

1° Linus mandavit fieri damnum Petro ; sed, mutata voluntate, mandatum revocavit per litteras, quæ tempestive non advenerunt. Alias, in casu simili, cum mandatario notam fecisset mandati revocationem, hic qui antea de damno nullatenus cogitaverat, a dæmone impulsus, damnum nihilominus intulit.

2° Leo mandavit Titio, ut fructus quosdam prædii Balduini nocte surriperet; sed infelix mandatarius, a famulis proprietarii deprehensus, male tractatus, et propria pecunia spoliatus, magno labore fugam arripuerat, cum in altam foveam decidit, brachiumque sibi fregit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Linus *teneatur ad damnum patratum reparandum post mandati revocationem, in primo casu ?*

2° *An* Leo *teneatur ad damna quæ* Titio *acciderunt reparanda, in secundo casu ?*

Solutio :

660. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Linus tenetur reparare damnum Petro illatum, non obstante revocatione mandati; quia, cum revocatio ad mandatarium non pervenerit, damnificatio ex vi mandati subsecuta est. Non tenetur vero resarcire damnum quod in alio casu mandatarius intulit, postquam mandati revocationem novisset, quia tunc mandatarius propria malitia impulsus egit.

661. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Leo *in* 2° *casu* tenetur de damnis quæ Titius passus est ex parte famulorum Balduini, in læsione corporis, quia hæc damna facile *in confuso* prævidere potuit. Sed minime tenetur compensare alia damna quæ subiit idem Titius, sive amittendo propriam pecuniam qua spoliatus est, sive in foveam decidendo et brachium sibi frangendo, quia hæc prævideri non potuerunt. — *V. Comp. n.* 673 *et seq.*

CASUS III

CONSULENS 1°

Riculfus Lucio consilium dedit, iteravitque, Julianum occidendi. Verum mox, hujus horrendi consilii pœnitens, illud revocavit, Lucium adhortans, et per quæque sanctiora adjurans, ut ab hujusmodi crimine abstineret. Sed surdo canit ille : nam Lucius, qui, licet Julianum odio haberet, minime tamen de eo occidendo cogitaverat, in proposito homicidii patrandi obstinatus permansit. Tunc Riculfus Paulum sibi valde familiarem rogavit et obsecratus est, ut Julianum quantocius de sibi imminente periculo monitum faceret, quo vitæ suæ prospiceret. Promisit ille se absque mora ad illud

officium exsequendum advolaturum esse. Ast familiaris ille promissa nullatenus est exsecutus : non enim ex animo, sed ficte tantum id spoponderat. Itaque Julianus a Lucio appetitus occubuit.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur damnum consulens?*

2° *An* Riculfus, *non obstante consilii revocatione, teneatur damna ex* Juliani *morte subsecuta reparare?*

3° *An* Paulus *non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam peccaverit, ita ut damna quoque reparare teneatur, ex eo quod* Julianum *de periculo ipsi imminente prænonere omiserit?*

Solutio :

662. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Consulens* tenetur ad reparandum omne damnum in quod efficaciter pravo consilio influxit, quia illius damni fuit causa moralis. 2° Si bona fide dedit damnosum consilium, tenetur, cognita veritate, illud retrahere ex justitia ; secus ipsi formaliter imputatur. 3° Consulens non tenetur ad restitutionem, nisi secundo loco, si consilium soli exsecutori utile fuerit. Si utrique fuerit utile, uterque *pro rata* tenetur. — *S. Lig. n.* 550.

663. *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ad nihil prorsus tenetur Riculfus, si consilium ejus fuerit *simplex*, quia efficaciter ex ejus parte revocatum fuit. Si vero fuerit *vestitum*, adhuc *probabiliter* ab onere restituendi eximendus est, si motiva nova suggessit, prioribus æquivalentia, quia priora tunc sufficienter eliduntur. Sed, ais, si quis ignem in segetes projiciat, quomodo illum extinguet? *Resp. Neg. paritatem ;* ignis enim *physice* et *necessario* operatur simul ac excitatus fuerit : secus vero est de homine, qui potest acquiescere novo consilio, sicut priori acquievit. Quod si nolit, id ejus malitiæ imputari debet. — *S. Lig.* dicit esse *probabiliorem* sententiam quæ obligat ad restitutionem, non obstante revocatione, si consilium fuit *vestitum ;* attamen sententiam excusantem *probabilem* vocat.

664. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Paulus qui promissis non stetit, de damnis loco homicidæ tenetur, quia, licet ex caritate tantum onus monendi Julianum susceperit, quando tamen promisit, ad id ratione justitiæ obligatur ; quia, si non promisisset, Riculfus alia remedia adhibuisset ad homicidium Juliani impediendum. Quare, licet Riculfus jus non habeat tale onus amico imponendi, jus tamen habet ne mendacio et dolo ab aliis mediis adhibendis impediatur.

Objicies : Paulus non potest plus obligari quam Riculfus, cujus obligationem in se suscepit ; atqui Riculfus, ex sola caritate tenebatur ad Julianum prænonendum, siquidem oneri justitiæ per debitam consilii revocationem jam satisfecerat : ergo Paulus ex sola caritate ad monitionem faciendam tenebatur.

Resp. 1° Non desunt Theologi qui dicerent Riculfum adhuc obligatione justitiæ urgeri, quia facere debet id omne quod facile præstare potest ad impediendam pravi consilii efficaciam. Attamen, cum serio et enixe consilium suum revocaverit, sola ratione caritatis obstrictus videtur.

Resp. 2° Licet Riculfus debito suo justitiæ satisfecerit, et sola caritate

obstrictus remaneat erga JULIANUM, non idem de PAULO dicendum est. Ratio est, quia negotium ipsi commissum instar mandati se habet; mandatum autem libere et voluntarie acceptum mandatarium ratione justitiæ obstringit, quamvis titulo mere gratuito suscipiatur. Præterea, JULIANUS jus strictum habebat ne a quopiam dolose impediretur et removeretur auxilium in extrema necessitate sibi præstandum; atqui jus illud fraudulenter violatum fuit a PAULO, qui RICULFUM impedivit per mendacium seu fictam promissionem, ne JULIANO, in summo periculo versanti, succurreret : ergo PAULUS graviter in JULIANUM peccavit, non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam.

CASUS IV

CONSULENS 2°

1° RIFAX officinam BASILII apertam, absente domino, cernens : « En, ait LUCIO, si nunc aliquid de mercibus BASILII eriperes, nullus te videret. » Quo audito, LUCIUS plura statim surripuit.

2° MARCIANUS ait PATERNO : « Vellem equum MAURI hac nocte furari, sed timore canum detineor. — Suadeo tibi, ait PATERNUS, ut potius tempore Missæ illum accipias : tunc enim etiam canes aberunt. » Quo audito, MARCIANUS tempore Missæ stabulum MAURI ingreditur, ejus equum solvit et rapit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* RIFAX, LUCIO *non restituente, ejus loco restituere debeat, in primo casu?*

2° *An* PATERNUS, *in secundo casu, loco* MARCIANI, *equi furtivi valorem restituere teneatur?*

Solutio :

665. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg. probabilius.* RIFAX ad nihil videtur teneri, quia fuit tantum occasio, non vero causa damni. Etenim neque mandatum, neque consilium dedit; nec potest explicari cujus generis influxum habuerit : rem enim tantum declaravit, sed socium ad furandum minime induxit. Ergo efficaciter in damnum non influxit. — *Ita auctor casuum Bononiæ editorum, V. Restitutio, cas.* 40, contra *Collet* adnotatorem, qui contendit esse consilium vere efficax.

666. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* PATERNUS ad restitutionem tenetur defectu MARCIANI, qui causa fuit qua MARCIANUS tempore Missæ securius equum furatus fuerit. Etenim alio tempore facile potuisset difficultate deterreri et impediri. — *Ita idem auctor Bononiensis, ibid. cas.* 43.

Objicies : Juxta *S. Lig. n.* 563, et graves alios auctores *probabiliter* ad restitutionem non tenetur ille qui tempus tantum, vel modum, suadet furi ad damnum determinato. Ergo, etc.

Resp. Hoc equidem *per se* admittendum est; quia *communiter* circumstantia temporis, vel modi, se habet mere *per accidens,* neque in tali consilio certus apparet influxus in damnum. Verum in nostro casu hujusmodi

circumstantia non est tantum quid *accidentale*, sed vere in ipsam substantiam redundat, seu *per se* in damnum influit. — Insuper, ut patet ex casu, fur non erat certo determinatus ad equum surripiendum, siquidem timore canum adhuc cohibebatur.

CASUS V

CONSENTIENS 1°

1° Philetus, de jure quodam, Rufo possessori movet litem. Judices, numero quinque, Phileti muneribus inducti, contra æquitatis leges ipsi jus tribuerunt. Duo autem judices, qui posteriori loco suffragium dedere, se nulla restitutionis obligatione ligari contendunt, quia, aiunt, licet in damnum consenserint, in illud tamen nullo modo influxerunt.

2° Festus, judex, cum sciret plerosque alios judices sententiam injustam in Paulum esse prolaturos, nolens neque ipsis connivere, neque displicere, dum cæteri ad tribunal se conferrent, ipse lectum petiit, se ægrotum fingens : sic utrumque vitavit scopulum.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur consentiens in damnum ?*
2° *An prædicti judices ad restitutionem teneantur ?*

Solutio :

667. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Consentiens* in damnum proximi ad restitutionem tenetur quoties consensu suo vel suffragio influit efficaciter in damnum alterius ; secus vero, si consensus in damnum non influat. — *V. Comp. n.* 681.

668. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu,* duo ultimi judices, sicut alii, peccarunt graviter contra justitiam, et ad restitutionem *in solidum* tenentur si votis secretis suffragati fuerint ; quia tunc est una actio injusta inter omnes, nec distinguuntur priores a posterioribus. Si vero publice, seu aperte voverunt, *probabiliter* excusandi sunt ab injustitia *effectiva* et *efficaci,* quia non videntur esse causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis præparatum ac determinatum fuerit. — *S. Lig. n.* 566. — *V. Comp. n.* 682.

669. — *In secundo casu,* Festus non adeo certe vitavit utrumque scopulum. Potuit enim, etiam absens, et in lecto jacens, peccare mortaliter. Hinc distinguendum est. Vel enim Festus potuit per justum suffragium a Paulo damnum avertere, vel non : *si prius,* a suffragio præstando abstinere non potuit quin contra justitiam ageret, nisi esset judex ad honorem tantum, nec stricto onere intervenire deberet, in quo casu contra caritatem tantum delinqueret ; si vero *posterius,* ab omni labe injustitiæ immunis erit, cum certo sciret se, voto suo aliis apposito, damnum non impediturum esse. — *V. Comp. n.* 683.

CASUS VI

CONSENTIENS 2°

Sylvia, Marini uxor, approbat maritum qui sæpe miscet frumentum deterius cum meliori, ita ut prius non appareat, illudque ut speciei melioris vendit. Imo, quandoque in mixtione facienda eum adjuvat. Eadem Sylvia pluries filiorum furta ratihabuit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Sylvia *particeps fuerit injustitiæ mariti ?*
2° *An censeatur cooperari injustitiis filiorum ?*

Solutio :

670. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Sylvia non videtur injustitiæ mariti particeps fieri, ejus iniquitatem tantum approbando seu ratihabendo, modo ipsi animum ad similiter faciendum in posterum non dederit. 2° Non potest ab injustitia excusari quando fraudi mariti positive cooperata est, eum ad injustam mixtionem faciendam adjuvando.

671. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Sylvia, ratihabendo furta filiorum, graviter peccavit contra justitiam, si ita animum vel audaciam eis addiderit ad alia furta patranda. Secus vero, si in casu particulari, quod a filiis injuste gestum est ratihabuerit. — *V. Comp. n.* 682 *et* 692. — *S. Lig. n.* 566.

CASUS VII

RECURSUM PRÆBENS 1°

Robertus, caupo, in solitario loco, aliquos hospites jampridem de furtis hinc inde commissis suspectos, hospitio excepit, eisdemque non tantum potum ministravit, sed etiam carnes ab ipsis allatas probabiliter furtivas, præparavit. Exoptavit quidem corde et animo, ut hujusmodi hospites adeo invisi nunquam amplius ad suam tabernam diverterent; nihilominus timore, ne forte domum suam comburerent, vel aliud grave damnum sibi inferrent, ingressum denegare non ausus est. Imo nuper eos, a ministris justitiæ conquisitos, in domo sua abscondit et occultavit.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur recursum furibus præbens ?*
2° *An* Robertus, *caupo, peccaverit contra justitiam, fures in tabernam recipiendo, et supradictas carnes coquendo et ipsis ministrando ?*
3° *An, vel quomodo peccaverit fures abscondendo ?*

Solutio :

672. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Recursum præbens, seu *receptans*, qui *scienter* furi præbet assecurationem, tenetur damna inde provenientia reparare,

quia voluntatem furis firmiorem efficit ad nova furta inferenda vel etiam ad retinenda ea quæ rapuit.

Resp. ad 2^um Quæs. Robertus non peccavit, nec proinde ad restitutionem tenetur, eo quod fures receperit, et eorum carnes præparaverit, et ipsis ministraverit. Ratio est, quia tam receptio in hospitium, quam carnium præparatio, est actus de se indifferens; porro, qui actionem de se indifferentem ponit, necessitate gravi compulsus, seu ad grave damnum vitandum, non peccat: ergo neque caupo noster in hypothesi peccavit, cum, gravissimi damni a se avertendi gratia, fures in hospitium admiserit.

673. — *Resp. ad 3^um Quæs.* Distinguendum est. Si revera Robertus fures occultaverit timore mali gravissimi, a peccato etiam excusandus est, quia, eos occultando ex dicto motivo, non intendit ipsis favere, neque eorum damno cooperari. Imo, nec peccaret contra justitiam qui in aliquo casu particulari furem occultaret ne a ministris justitiæ caperetur, si id faceret ex commiseratione, ut eum a maximo periculo eriperet, nec timendum esset ne postea alia furta patraret. Sed generatim non valent præfatæ rationes. Etenim non valet plerumque timor damni subeundi, quia, si prodantur malefactores, nihil aut parum ex ipsis timendum erit. Neque sæpius valet ratio fures e periculo ex commiseratione eripiendi, sub prætextu quod non sint amplius aliis nocituri, quia perversi homines, furtis et deprædationibus assueti, raro ad meliorem frugem sese recipiunt. — *Elbel, n.* 138. — *Lugo.* — *Tamburinus.*

CASUS VIII

RECURSUM PRÆBENS 2°

Samuel, caupo, absque difficultate, imo libentissime et frequenter, in hospitium suum admittit filiosfamilias, quos novit consumere bona parentibus invitis subtracta. Alios etiam filios quoscumque recepit, qui pecunia carent ad expensas quas faciunt solvendas, ita ut debita, a parentibus postea exstinguenda, cumulentur.

Hinc:

Quær. 1° *Quid censendum sit de* Samuele, *et aliis similibus bene multis?*

2° *An debita præfata filiorum parentes solvere teneantur?*

3° *Quid dicendum sit de aliis quibuscumque, qui clam recipiunt et custodiunt res furtivas uxorum, filiorum, hæredum, vel illorum qui cessionem bonorum facere coguntur?*

Solutio:

674. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Damnandus omnino est Samuel et cum eo damnandi sunt turmatim innumeri alii caupones, qui dilapidationibus filiorumfamilias connivent. Pessime enim agunt, et contra justitiam peccant, damnis filiorumfamilias efficaciter cooperando. Etenim prædicti filiifamilias a gravi injustitia in genitores immunes esse nequeunt; sed illi caupones a quibus recipiuntur, eorum direptionum sunt vere participes: ergo, id omittentibus filiis, ad damnorum reparationem tenentur.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Neg.*, si parentes inviti fuerint, quia filii absque eorum consensu hæc debita contraxerunt. Ergo in foro interno ad nihil prorsus tenentur, et proinde, nisi sententia judicis urgeantur, possunt tuta conscientia solutionem denegare. Sibi imputare debent caupones, quod detrimentum illud subeant. — *Recole dicta supra*, *n.* 586.

675. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Generatim loquendo, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur illi qui recipiunt et occultant res furtivas uxorum, filiorumfamilias, hæredum, vel illorum qui cessionem bonorum facere coguntur. Ratio est, quia vere furtis eorum cooperantur. Attamen exceptio quandoque, licet raro, admittenda foret: v. gr., si misera materfamilias, quæ maritum bibulum et omnia bona dilapidantem sortita est, aliquid seponeret, vel occultaret ad filios in necessitate sublevandos, non illicitum foret recursum illi præbere. — *V. Comp. n.* 685.

CASUS IX

PARTICIPANS 1°

Rogerius, famulus Crepinii, domi solus custos, a latronibus invaditur: metu mortis adigitur ad patefaciendam domini arcam pecuniariam, ad res furtivas cum ipsis asportandas, et ad scalam eisdem tradendam, qua vicinam domum ingredi possint. Ad omnia obsequitur Rogerius, ut vitam incolumem servet.

Hinc:

Quær. 1° *Ad quid teneatur participans in damno aliis inferendo, ratione restitutionis?*

2° *An* Rogerius *ad restitutionem teneatur propter cooperationem mediatam, seu scalam furibus tradendo?*

3° *An teneatur restituere propter cooperationem immediatam, seu arcam pecuniariam domini ostendendo, et res domus cum furibus asportando?*

Solutio:

676. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Participans* in præda tenetur ad restitutionem partis quam accepit, ut patet. 2° *Participans* in actione damnosa pariter ad restitutionem adstringitur, quoties actio illius reapse in damni substantiam influxit. 3° *Participans* in actione damnosa aliquando a labe injustitiæ erit immunis, si adsint debitæ conditiones, scilicet actus positus non sit intrinsece malus, et ponatur ex causa relative gravi. — *V. Comp. n.* 686.

677. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia in eo casu non fuit illicita cooperatio mediata. Licet enim cooperari mediate actioni injustæ alterius, quando actio cooperantis est de se indifferens, finis ejus bonus, et adest causa valde gravis, seu damno proximi proportionata, ut sequitur ex dictis supra *de actibus humanis, n.* 7, *et seq., et de virtutibus, n.* 241. Porro illæ conditiones in præsenti casu scalæ commodatæ habentur: etenim dare scalam est quid per se mere indifferens: adest quoque gravissima causa id

faciendi, nempe ad mortem vitandam. Insuper ROGERIUS minime intendit malum, sed bonum, scilicet vitam a summo periculo subtrahere : ergo non injuste egit. Ergo ab onere restitutionis sub illo respectu liberari debet. — *V. Comp., tom.* 1, *n.* 9, 248, 688.

678. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Controvertitur.* ROGERIUS *probabiliter* excusandus est ab obligatione restitutionis, quia homo constitutus in extrema necessitate surripere potest, ut mortem declinet, quia in tali casu omnia bona sunt communia. Ergo a pari ille qui metu mortis adigitur ad cooperandum proxime, vel etiam immediate, subreptioni bonorum proximi, non peccat neque contra caritatem, neque contra justitiam. — *S. Lig. n.* 571. Negant tamen multi, si agatur de furto in materia valde gravi, contra dominum, quia hic in hujusmodi cooperationem consentire non tenetur. — *V. Comp. n.* 687.

CASUS X

PARTICIPANS 2°

TITIOLUS, puerulus triennis, graviter ægrotabat cum TITIO patre. Prior e vita cessit filius; tribus post horis subsecutus est genitor. Uterque in tumulo eodem consepultus fuit. Ast subinde MŒVIA mater, adhibitis quatuor falsis testibus, asserit maritum ante filium vitæ valedixisse, et consequenter se filii hæredem esse. SILVERIUS causidicus primum, bona fide, causam MŒVIÆ tuetur. Detecta autem rei veritate pergit in causa dicenda, innitendo in testium depositione : *Videte, judices,* ait, *cum unanimes testes sint, qualis sententia sit a vobis ferenda.*

Hinc :

QUÆR. 1° *Quid de* MŒVIA *et testibus dicendum ?*
2° *Quid de* SILVERIO ?

Solutio :

679. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Omnino damnanda est MŒVIA, et primario quidem ad restitutionem hæreditatis erga hæredes mariti sui, quia minime fuit hæres filii sui, quippe qui ante patrem vitæ valedixit. Testes vero, cum *scienter* iniquitati MŒVIÆ sint cooperati, et causam efficacem damni per falsum testimonium posuerint, secundario tenentur. — *V. Comp. n.* 686.

680. *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Quid vero de SILVERIO causidico? Male egit, et peccavit contra justitiam erga hæredes TITII defuncti. Etenim, juxta sententiam communem Doctorum, causidicus qui advertit causam quam tuetur esse injustam, eam deserere debet, licet jam fuerit incœpta, quia secus injustitiæ patrocinatur. Nec obstat quod SILVERIUS in fine causæ dicendæ se negative tantum habuerit, innitendo tantum in testium depositione; quia motiva quæ prius proposuit pergunt in mentem judicum influere. Insuper neque ipsi licuit invocare testium depositionem, cum sciret falsum esse eorum testimonium. — *Elbel, de Statibus, n.* 765.

CASUS XI

COOPERATIO NEGATIVA 1°

1° Baldus, paterfamilias, modo ex gravi negligentia, seu videns et taceps, modo ex aliqua incuria, non impedivit damna vicinis, sive ab uxore, sive a filiis vel famulis illata, quamvis ea impedire facile potuisset. Requirentibus autem damnorum reparationem, frigide respondet: se nemini nocuisse. — Cum ejusdem filiolus vas aliquod pretiosum Caprasii fregisset, hunc pretium requirentem furca domo expulit.

2° Sabellus Tityro pastori gregem custodiendum commiserat. Cum autem Tityrus semel obdormivisset, et alia vice a sociis nugantibus ad arborem invitus alligatus fuisset, grex Hilarii agrum in utroque casu vastavit. Hilarius vero damni reparationem a Sabello requirit.

Hinc:

Quær. 1° *Ad quid teneantur cooperatores negativi?*

2° *An paterfamilias uxoris et filiorum damna resarcire debeat, etiam ante judicis sententiam?*

3° *An dominus, vel magister, reparare debeat damna a subditis illata?*

4° *Quid de* Baldo *et* Sabello?

Solutio:

681. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Cooperatores *negativi*, seu ii qui obligantur ex officio impedire damnum proximi, et ex culpa gravi non impediunt, ad restitutionem tenentur; quia ex munere, ideoque ex contractu implicito, et proinde ex justitia, invigilare et damna impedire debent.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Dist.* Paterfamilias damna subditorum reparare debet ex justitia, si ex silentio graviter culpabili animum vel audaciam eis addiderit, quia tunc fit vere cooperator *positivus*. Non tenetur vero ante judicis sententiam, quoties a culpa theologica immunis est, ut sequitur ex principiis, v. gr., si ante factum prorsus ignoraverit hæc damna facienda esse. Imo, *probabilius* etiam a restitutione erit excusandus paterfamilias *in foro interno*, si nullatenus in damnum influxit, v. gr., si filii, vel uxor, in damnificando putarunt eum rei esse inscium, licet silentio graviter peccaverit, filios a peccato non impediendo. Ratio est, quia qualitas *patris* per se non sufficit ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat.

682. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Idem prorsus dicendum est de domino erga famulos, et de magistro erga discipulos, ac de patre familias, et etiam de omni Superiore non publice constituto ad damna inferiorum propulsanda.

Resp. ad 4^um^ *Quæs.* 1° Baldus non tenetur ante sententiam resarcire damna subditorum, etiamsi aliquando gravis culpæ reus evaserit. Modus tamen denegandi restitutionem Caprasio, immitior cuique merito videbitur.

2° Sabellus in nullo casu, ad damni reparationem, pro Tityro erga

Hilarium, tenetur ante judicis sententiam. Imo, pro damno in ultimo casu facto, ne per sententiam quidem damnari potest, neque Tityrus, neque Sabellus, ejus dominus, quia pastor omnimoda libertate caruit. — *V. Comp. n.* 690 *et seq.*

CASUS XII

COOPERATIO NEGATIVA 2°

1° Sabinus, famulus, videns extraneos, et aliquando conservos ipsos, imo et filiosfamilias, res varias domini subripere, non obstat, nec id hero denuntiat, sive ex incuria, sive etiam ex timore, ne horum animadversionem in se concitet.

2° Adrianus, agrorum custos, damnificatores denuntiare sæpius omittit. Si quando litem moveat, mox ejus minæ in vino a damnificatore oblato facile exstinguuntur.

3° Æmilius, Confessarius, cum restitutionem ab aliquo pœnitente exigere ex incuria omisisset, a proprio moderatore jussus est ut ipse, loco pœnitentis, qui jam impotens evasit, restituat.

Hinc :

Quær. 1° *An famuli damna domini non impedientes ad restitutionem teneantur? et quid de* Sabino?

2° *An custodes, qui damnificatores non denuntiant, damnum ipsi resarcire debeant? et quid de* Adriano?

3° *An Confessarius, omittens culpabiliter pœnitentem monere de obligatione restituendi, supplere debeat? et quid de* Æmilio *et ejus Confessario?*

4° *An præpositi gabellarum fisco restituere debeant, si defraudantibus pepercerint?*

Solutio :

683. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Famuli non tenentur de damno ab aliis famulis, vel ab iis qui domi sunt, patrato, nisi res damnificata speciali eorum curæ fuerit commissa. Ratio est, quia famuli non videntur conducti ex justitia, nisi ad laborem, et ad res domesticas contra extraneos protegendas. Peccant tamen contra caritatem, si facile damna etiam domesticorum et filiorum impedire possint, nec impediant, nisi metu gravi deterreantur. 2° Quoad damna ab extraneis illata, *probabilius* famuli tenentur ad restitutionem si ea sua culpa theologica non impediant. Non desunt tamen auctores oppositam tenentes sententiam, nisi agatur de rebus famulis specialiter commissis. Eorum ratio est, quod obligatio non censetur includi in contractu vel quasi-contractu locationis, ex justitia, etsi famuli se credant communiter obligatos ex aliqua decentia et fidelitate. Attendatur igitur ad contractum locationis, et ad regionis consuetudines.

684. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Certissime ad restitutionem tenentur custodes agrorum, vinearum, etc..., qui damnificatores non denuntiant, nisi de rebus levioris momenti agatur, quia ex officio damna impedire debent. Hinc patet quantæ injustitiæ sint rei custodes, qui, ad bibendum et man-

ducandum invitati ab ipsis damnificatoribus, eos denuntiare omittunt; et a fortiori, si ab eis pecuniam accipiant. Hinc Adrianus adeo pronus ad misericordiam bibita vini oblati lagena, absque misericordia ad restitutionem erga dominos læsos urgendus est, nisi forte damni parvitate excusetur.

685. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Controvertitur. *Probabilius* negandum, quia Confessarius non tenetur ex officio bonum temporale neque pœnitentis, neque aliorum procurare, cum munus ejus animam tantum confitentis respiciat. Hinc injuste Æmilius a suo Confessario obligatus est ad restitutionem; proinde Confessarius ipse Æmilio restituere debet.

686. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirm.*, generatim loquendo, quia ex officio sunt obligati ad invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda, nisi quandoque in re levi benignius agant. — *V. Comp., n.* 691-693, 745.

CASUS XIII

COOPERATIO NEGATIVA 3°

Januarius, sartoris famulus, in heri officina, cum duobus aliis conservis, ætate minoribus, laborans, aliquid de segmentis aureis vel argenteis residuis ex alicujus optimatis vestibus clepsit, vidente quidem, sed non viso magistro. Quod alii duo famuli advertentes, statim senioris exemplum secuti sunt. Licet vero singulorum furta seorsim sumpta, ratione habita illius magnatis, non videantur materia gravis, attamen, simul conjuncta, procul dubio materiam notabilem constituunt.

Hinc :

Quær. 1° *An herus restituere debeat ex eo quod furta famulorum non impediverit ?*

2° *An duo famuli minores contra justitiam peccaverint?*

3° *Quid de* Januario *seniore dicendum?*

Solutio :

687. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Herus seu magister sartor, si novit furta famulorum, peccavit contra caritatem erga optimatem cujus vestes pretiosæ in ejus officina conficiebantur; imo non est excusandus a peccato gravi contra justitiam, nec proinde ab obligatione restituendi, et quidem in solidum. Ratio est, quia ex officio, seu ex implicito contractu tenebatur invigilare in rem speciali suæ custodiæ commissam, et ejus damnificationem impedire; adeoque damnum culpa sua non impeditum reparare debet.

688. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Duo famuli juniores non peccaverunt graviter, sed leviter tantum contra justitiam. Ratio est, quia singuli quid leve tantum surripuerunt; nec præterea unica est actio moralis, qua in solidum singuli tenerentur; sed singulorum damnificatio fuit ipsis singularis, siquidem neuter fuit causa furti alterius. Secus vero dicendum foret, si communi consensu aut consilio illa segmenta aurea vel argentea abstulissent, quia tunc quisque causa totius damni illati existeret. — *Elbel, de Peccatis, n.* 588.

689. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Neque JANUARIUS peccavit graviter contra justitiam, saltem peccato injustæ damnificationis, nec proinde *in solidum* ad restitutionem adstringitur; quia ille, sicut alii, quid modicum tantum subripuit, nec fuit causa moralis efficax furti aliorum, sed tantum occasio, saltem *probabilius*. Etenim esset causa furtulorum ab aliis patratorum, si jussu, consilio, auxilio, etc..., in hæc furtula influxisset; sed nullo modo positive eos induxit ad furandum, nec insuper *ex officio* tenebatur eos a furando impedire. Ergo... Nec dicas JANUARIUM suo pravo exemplo alios induxisse ad damnificandum; nam scandalum quod præbuit, qua tale, non fuit contra justitiam, saltem efficaciter, sed tantum contra caritatem : ergo non tenetur JANUARIUS sub gravi ad damni illati compensationem, siquidem obligatio restituendi non oritur ex caritatis læsione, aut ex peccato ineffi-caci contra justitiam. — *Recole dicta supra de damnificatore, n.* 631 *et seq.* — *Elbel, ibid. n.* 588. — *Sporer,* etc.

CASUS XIV

MUTUS

CANUTUS cernit furem segetes in prædio PAULI surripientem; non obstat, neque clamat, licet facile illum impedire possit. Imo, nedum eum cohibeat, vel denuntiet, ab eodem pecuniam accipit, ut de re altum servet silentium. Verum, cum confessus fuisset, arguitur a Confessario de peccato gravi, et obligatur tum ad pecuniam acceptam pauperibus erogandam, tum ad re-sarcienda damna a fure PAULO illata.

Hinc :

QUÆR. 1° *An graviter peccaverit* CANUTUS *furtum non impediendo?*
2° *An teneatur ad restitutionem erga* PAULUM?
3° *An pecuniam a fure acceptam dare debeat pauperibus, vel reddere furi, aut eam servare possit ?*

Solutio :

690. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Certo CANUTUS graviter peccavit *contra ca-ritatem,* omittendo clamare, vel furem impedire, licet ex officio non fuerit obligatus ad damnum a prædio PAULI arcendum. Ratio est, quia omnes tenemur, ex generali principio caritatis, malum proximi impedire, quoties id facile, absque damno nostro proprio gravi, præstare possumus. 2° CA-NUTUS non peccavit *contra justitiam,* pecuniam accipiendo ad tacendum, si furtum jam consummatum fuerit; quia, per silentium promissum, non fuit causa efficax furti, seu non protexit furantem, sed tantum protexit furti patrati reum contra pœnæ incurrendæ periculum; et proinde in ipsum furtum, ut causa efficax, influere non potuit : secus vero si pecu-niam acceperit ante furti executionem, ita ut furi securitatem præbuerit.

691. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* CANUTUS tenetur ad restitutionem erga PAU-LUM, ut cooperator efficaciter in damnum influens, si accepit pecuniam a fure ante furtum, ita ut securitatem ei præstiterit, et fur inde animosior

ad furandum factus fuerit; adeoque in eo casu loco furis damnum ab illo illatum reparare debet. A fortiori injustæ cooperationis reus foret, si pecuniam accepisset ad invigilandum, seu ad terga furi servanda. — *Collet*, etc.

692. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Si Canutus non influxit in furtum, v. gr., si, furto patrato, accepit pecuniam ad tacendum, ne furem prodat, pecuniam servare potest, quia contractus est de re indifferenti, proindeque validus. Si vero, pecuniam accipiendo ante furtum, furi securitatem præbuit, ita ut hic animosior, redderetur, juxta plures tenetur pecuniam reddere ipsi furi; quia contractus est nullus, utpote de re iniqua. Sed juxta alios non paucos, etiamsi Canutus fuisset aliquo modo cooperator per silentium promissum, probabiliter tamen pecuniam retinere posset post factum, tanquam pretium officii erga furem præstiti. — *V. Comp. de Contr. in genere, n.* 760, *et Cas.* 1, *de Contr., n.* 762 *et seq.*

CASUS

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

SEU

De solidaritate. — De ordine restitutionis quoad cooperatores et creditores. — De tempore et modo restituendi. — De causis a restitutione excusantibus.

CASUS I

SOLIDARITAS

1° Cæsar, inito cum duobus sociis consilio, perrexit nocturno tempore ad fructus in prædio Caii furandos; singulorum tamen furta seorsim spectata materiam gravem non æquarunt, licet collective sumpta damnum grave constituerint.

2° Melito, cernens duos homines sarcinam mercium furtivam deferentes, illis se adjunxit, et onus cum iisdem bajulavit, unde pars aliqua rerum ipsi tributa est. Alias, resciens tres homines pergere ad aream Damiani incendendam, perrexit et ipse, et cum eis simul ignem apposuit.

3° Flavia et Rosina, inita commercii societate, pannum pro sexcentis francis infra infimum pretium emunt a Barbara conjugata, quæ, inscio marito, illud vendit, ut pecuniam habeat ad superfluum ornatum sibi comparandum.

Hinc :

Quær. 1° *An* Cæsar *graviter peccaverit, et teneatur ad totum damnum, omittentibus id sociis, reparandum?*

2° *An* Melito *teneatur ad restitutionem in solidum, si pro parte sua non restituant socii, sive quoad sarcinam ablatam, sive quoad areæ incendium?*

3° *An* Flavia *et* Rosina *teneantur singulæ in solidum, altera restitutionem denegante?*

Solutio :

693. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Teneris restituere in solidum, quandoquidem totum damnum tuæ actioni adscribi potest. Hoc autem fit in tribus his casibus : 1° quando cooperatio tua est *necessaria* ad damnum patrandum : v. gr., si adjuves furem ascendentem ad furandum, cum secus ascendere solus non potuisset; 2° quando cooperatio tua fit *cum stricta conspiratione,* ita ut, te non concurrente, damnum non evenisset; 3° quando actio tua est causa principalis damni, ut in mandato. — *S. Lig. n.* 579. — *V. Comp. n.* 695.

2° Cæsar procul dubio peccavit graviter, et, omittentibus sociis, *in solidum* restituere debet. Ratio est, quia, cum *ex communi consilio* cum aliis egerit, actio omnium fit *communis*, seu datur unica actio moralis, ex qua damnum grave sequitur. Ergo singuli *in solidum* tenentur, siquidem singuli totum damni secuturi periculum susceperunt. Ergo Cæsar etiam *in solidum* tenetur.

694. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Melito excusandus est in utroque casu ab onere restituendi *in solidum*. 1° Quidem non tenetur ratione sarcinæ ablatæ, quia tunc ejus cooperatio non fuit necessaria ad totum damnum, siquidem alii fures absque eo sarcinam deferebant. 2° Neque ratione incendii, saltem *probabiliter;* quia, licet ejus actio sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum hæc actio neque *necessaria* neque *communis* sit.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Affirm.* Sequitur a fortiori ex supra dictis, siquidem *communis consensus* adhuc clarius patet. Proinde utraque mulier, alterutra non restituente, *in solidum* tenetur.

Nota. Quoad praxim, ut recte advertit S. *Lig.*, rustici non intelligunt obligationem restituendi *in solidum :* existimant enim satis esse si unusquisque partem suam restituat; proinde caute cum iis a Confessario procedendum est, nec urgenda obligatio solidaria, si fructus ex monitione non speretur.

CASUS II

ORDO RESTITUTIONIS 1°

Nicasius, calamitatibus pressus, multis oneratur debitis, tum ex furto variisque fraudibus, tum ex diversis rebus ad creditum emptis; hæret dubius et anceps quibusnam satisfacere primo loco debeat vel possit, cum omnibus ad juris æqualitatem solvere omnino nequeat. Infelix homo adit Confessarium, ut ab ipso in tantis angustiis resciat quid consilii sit capessendum. Respondet ocius doctor consultus præferendos omnino esse: 1° creditores tempore priores, licet non sint privilegiati, posterioribus; 2° pauperes divitibus; 3° præsentes absentibus; 4° cognitos incognitis; 5° creditores quibus debetur ratione delicti, creditoribus qui ex contractu jura acceperunt.

Hinc :

Quær. 1° *An sint creditores qui debeant vel possint præferri, quando debitor omnibus satisfacere nequit?*

2° *An recte Confessarius responderit in casibus propositis, vel quid sit respondendum?*

Solutio :

695. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Præferri debent aliis, creditores quorum debita sunt in jure *privilegiata,* ut sunt plerumque expensæ judiciales et funeris, stipendia medicorum et famulorum, etc. 2° Postea solvendi sunt creditores *hypothecarii,* servato temporis ordine. 3° Inter alios præferendi

sunt creditores ex *titulo oneroso*, creditoribus ex titulo gratuito, quia debitor gratuito promittens censetur apponere hanc tacitam conditionem : *Si commode præstare valeam.* Porro ille qui non potest omnibus creditoribus satisfacere, sane commode præstare nequit id quod gratuito promisit. — Quod spectat ad cæteros creditores quoslibet, nulla est obligatio alios aliis præferendi. Attamen probabiliter præferri possunt creditores tempore priores.

696. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ex dictis patet quantum erraverit Confessarius respondendo pœnitenti suo, scilicet *fere in omnibus.* Doctor igitur *consultus* non videtur doctor *eximius*, et prius quidem docendus quam doceat. Debuisset saltem scire dubitare, seu scire *se nescire*, et non adeo præcipitanter suam doctrinam tradere, sed prius inquirere, sive doctores interrogando, sive auctores probatos consulendo. — *V. Comp., n.* 704 *et seq.*

CASUS III

ORDO RESTITUTIONIS 2°

Leontius, homo dives, cum Hircano, mercatore, amicitia conjunctus, trecentos frumenti modios, pretio non soluto, ei vendidit, eidemque mille nummos absque ullo fenore mutuos dedit. Sed ecce paulo post, Hircanus, cum navis ejus mercibus onusta periisset, in maximum discrimen venit. Ære alieno se gravatum, et omnibus debitis solvendis imparem sentiens, rem totam amico suo Leontio manifestat. His cognitis, Leontius, merito timens ne alio tempore recuperare nequeat quidquid sibi debebatur ab amico, enixis precibus eum rogat ut frumentum, quod adhuc invenditum exstabat, et mille nummos mutuo acceptos, sibi restituat. Hircanus igitur, ut ingrati animi notam erga amicum effugeret, et frumentum et pecuniam amico suo reddidit. Quare factum est, ut aliis creditoribus satisfacere non potuerit.

Hinc :

Quær. 1° *An debitor peccet contra justitiam, si creditori extra judicium petenti ex integro solvat?*

2° *An vel quomodo peccet debitor, si aliquem ex creditoribus de statu labili rerum suarum secreto admoneat, vel si ipsi etiam non petenti solutionem integram offerat?*

3° *An creditor ipse peccet contra justitiam, solutionem integram accipiendo? Et an teneatur ad restitutionem sive erga debitorem, sive erga ejus creditores?*

4° *Quid de* Hircano *et* Leontio *dicendum?*

Solutio :

697. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Controvertitur. *Neg. probabilius*, quia creditor actionem personalem habet in debitorem, et totum debitum petendo jus suum prosequitur. Nec adversatur lex civilis, quæ, secluso casu cessionis bonorum, nunquam talem creditorem ad restitutionem obligat. Insuper,

si privatim petenti solvatur, vitantur strepitus, scandala et expensæ notabiles, quæ sequerentur si debitor judicis sententiam exspectaret. — *Billuart.* — *Lessius.* — *S. Lig. n.* 692. — *Negat* tamen *probabiliter Lugo* cum *aliis*, quia, aiunt, creditores jus æquale habent, et proinde iniquum est unum cum detrimento aliorum indemnem ex integro facere.

698. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Debitor peccat graviter contra caritatem et justitiam secreto unum e creditoribus de statu suo labili admonendo, vel in eo casu integram solutionem uni soli offerendo; quia, cum nullus creditor jus suum prosequatur, neminem potiorem diligentia facit : proinde omnes creditores sunt jure æquales, postulatque naturalis æquitas ut nulli integra solutio fiat cum aliorum damno. — *S. Lig. n.* 692.

699. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Scilicet, an creditor ipse peccet contra justitiam solutionem integram accipiendo?

1° Certo creditor peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, si solutionem accipiat in casibus in quibus talis solutio expresse irritatur, v. gr., post declaratam bonorum cessionem.

2° In cæteris casibus *controvertitur*. Sententia *communior* affirmat, quia creditor ille nullum jus habet ut integram accipiat solutionem cum aliorum detrimento. Attamen sententiam negativam tenent graves Theologi, *Lessius*, *Molina*, etc. — *Card. Lugo* eximit a restitutione creditorem, qui bona fide solutionem acceperit; secus autem si mala fide; et tunc, inquit, obligatur ad restituendum cæteris creditoribus. — *S. Lig. n.* 693.

700. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Leontius, *ex Jure Romano*, frumentum repetere potest, si non accepit neque pignus, neque cautionem, neque testimonium debiti, quia existit adhuc in individuo, nec censetur perfecta omnino venditio, cum pretium non sit solutum, neque assecuratum. — *S. Lig. n.* 685. — *Ex jure Gallico*, res vendita reclamari nequit in casu cessionis bonorum, nisi intra octo dies post factam traditionem. Attamen creditor est privilegiatus, quoties res in individuo existit, et proinde aliis creditoribus præferri debet. — *Cod. civ. art.* 2102.

2° *Probabilius* Leontius non potest retinere integrum suum debitum pecuniarium, quod reclamavit et obtinuit, postquam infortunium amici sui resciverit. Plures tamen, ut diximus, permittunt ut retineat. Sed graviter sine dubio peccavit Hircanus, eum de labili statu fortunæ suæ admonendo, quia sic damnum aliis creditoribus intulit.

CASUS IV

INFELIX DEBITOR! INFELICIOR MANDATARIUS!

Licinius, vir integerrimæ famæ, premente inopia, licet non extrema, occulte surripuerat Petro gravem pecuniæ summam. Elapsis vero pluribus annis, meliori facta conditione, restituere volens, debitum commisit Bernardo, viro fidissimo; sed cum hic pecuniam ad dominum deferret, a latrone spoliatus et enecatus est. Id resciens Licinius, reputavit se jam ad nihil amplius teneri; sed audit a Confessario, urgere adhuc restitutionis obligationem. Igitur ipsimet Confessario aliam pecuniam commisit, Petro

reddendam. Ast heu! Confessarius hac eadem die, antequam restitutionem peragere potuerit, repentina morte correptus est; nec pecunia ipsi tradita recuperari potuit. Iterum aliam pecuniam alii Confessario commisit; sed hic debitum deferens, aquis submersus est.

Hinc :

Quær. 1° *An* Licinius *adhuc quarta vice teneatur ad restitutionem?*

2° *An teneretur, si debitum commisisset viro ab ipso creditore ad hoc designato, et hic simili infortunio periisset?*

3° *An possessor bonæ fidei, vel debitor ex contractu ad novam solutionem teneatur, si pecunia solvenda vel res tradenda aut restituenda in itinere pereat?*

Solutio :

701. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Infelix Licinius magnam sane commiserationem meretur, sed nullam indulgentiam. Quid enim ad Petrum, creditorem, de triplici debitoris infortunio? Non ideo *indemnis* efficitur. Porro fur totum rei periculum in se suscipit, usquedum dominum omnino indemnem effecerit. Ita sententia *communis* et tenenda, ait *S. Lig. n.* 704, contra plures qui dicunt consensum creditoris *rationabiliter* præsumi posse in eo casu. Attamen *S. Lig.* non audet damnare excusantes eum qui per Confessarium rem debitam remisit.

Non excusatur Licinius, ex eo quod pecuniam Petri in gravi necessitate surripuerit; quia hæc necessitas a furto saltem gravi non excusat, ut patet *ex propos.* 36^a^ *ab Innoc. XI damnata.* — *V. Comp. n.* 711-716.

702. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.;* quia debitor, quando solutionem fecit penes virum a creditore designatum, vel approbatum, jam cessat eo ipso esse rei sponsor; est enim perinde ac si debitum ipsi domino traderet. Ergo a debiti sollicitudine penitus liberatur.

703. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Possessor bonæ fidei ad nihil prorsus tenetur, seclusa omni culpa theologica; res enim perit domino, qui est ipse creditor. 2° Debitor ex contractu neque ipse ad restitutionem tenetur, si agatur de re alterius existente in individuo, v. gr., accepta in depositum, commodatum, etc.; quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus vero, si agatur de pretio solvendo; quia debitor dominium illius servat donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii missi, usquedum in illius manus illud transmiserit. — *V. Comp. n.* 711.

CASUS V

TEMPUS RESTITUTIONIS

1° Mirocles, ob inopiam parentum quos alere debuit, damnorum a se illatorum restitutionem, necnon debitorum ex contractu solutionem ad notabile tempus differre debuit. Parentibus autem defunctis, creditoribus tandem satisfacturus, rescit eos, ob solutionis moram, tum lucrum cessans, tum damnum emergens passos esse.

2° Pamelius vendit Lœlio 30 mensuras vini, ea lege ut pretium intra duos menses solvat. Cum autem pecuniam hanc, tempore præfixo, certo sibi ab emptore tradendam esse confideret, alium cum Caio init emptionis contractum, cujus solutionem eodem tempore præstare debet. Verum, Lœlio debiti pretium solvendi moram faciente, magnum patitur damnum Pamelius.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam differens restitutionem teneatur de damnis inde sequentibus ?*

2° *An* Mirocles, *in primo casu, teneatur ad resarcienda damna quæ ex mora solutionis creditoribus evenerunt ?*

3° *An* Lœlius, *in secundo casu, reparare debeat damnum quod* Pamelius *passus est ?*

Solutio :

704. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Quod ad debita *ex injuria* spectat, compensanda sunt damna omnia quæ ex dilatione solutionis secuta sunt, et quæ *in confuso* saltem *prævisa* sunt. Hoc valet etiamsi mora fuerit inculpabilis, quia injusto damnificatori imputanda sunt, saltem in causa, siquidem ille, injuriam patrando, suscepit in se omne periculum rei damnificatæ, et aliorum damnorum quæ inde subsequi possent. *Controvertitur* autem, utrum reparari etiam debeant damna *extraordinaria* quæ non sequuntur *necessario* ex dilatione restitutionis. *Probabiliter negatur,* quia hæc damna ne *in confuso* quidem prævideri potuerunt.

2° Quod attinet ad debita *ex contractu,* debitor non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens, si justam causam differendi habeat, seu si non sit in *mora culpabili.* — Ita *communiter.* — *S. Lig. n.* 680. — *V. Comp. n.* 713-714.

705. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Mirocles non tenetur ad resarcienda damna quæ evenerunt propter dilationem debitorum ex contractu provenientium, quia dilatio non est ei voluntaria et culpabilis.

2° Imo, nec tenetur ad reparanda damna quæ secuta sunt ex dilatione restitutionis ratione injuriæ debitæ, in præsenti casu; quia hæc damna non proprie ex delicto sequuntur, nec prævisa fuerunt.

706. — *Resp. ad* 3^um *Quæs. Neg.;* quia Lœlius nullo modo incitavit Pamelium ad ineundum contractum cum Caio : ergo non potest dici causa damni quod ille patitur. Adde quod damnum illud non fuit a Lœlio prævisum, cum non sequatur immediate ex mora solutionis. — *V. Voit, n.* 839. — *Pontas, V. Restitutio, cas.* 2.

CASUS VI

MODUS RESTITUENDI

Didacus, debitis nonnullis erga Sidonium contractis, eidem interdum munera elargitur, aliquando memor, alias vero immemor debitorum. Post hæc autem, cum de solutione peragenda penitus sileret, comiter a creditore

admonetur, ut velit obligationi suæ satisfacere. « Ecquid, exclamat DIDACUS, inter me et te superest? Miror sane te habere quod ulterius a me requiras? Nonne a me dona accepisti, quæ debita facile superant? — Papæ! vice sua exclamat SIDONIUS, miror et ego, miror magis, debita solvi per donationes! Quis unquam de hujusmodi re audivit? Amice, *redde quod debes.* » Surdo canit SIDONIUS, ideoque, ut se indemnem faciat, ad occultam compensationem confugit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An valeat restitutio facta per donationes, si donans sit memor debiti?*

2° *Quid vero, si sit immemor debiti?*

3° *Si quis restituerit per fictam donationem, et donatarius aliud donando rependat, an a debito liberetur?*

4° *An* SIDONIUS *juste reclamet et se compenset?*

Solutio :

707. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid, si debitor sit memor debiti? — *Dist.* Vel enim vult donum merum facere, vel intendit restituere per simulatam donationem. *Si prius,* non valet restitutio, quia non vult eam facere, sed aliquid gratuito donare : ergo remanet ad solvendum debitum omnino adstrictus.

Si posterius, id est, si intendat restituere per donationem simulatam, probabilius valet restitutio. Ratio est, quia non requiritur ad veram solutionem ut debitor externe fateatur se solvere : proinde vere satisfacit, licet creditor existimet sibi donum fieri : indemnis enim efficitur. Hinc, si TITIUS, v. gr., non possit sine nota infamiæ restituere CAIO 100 fr. huic a se surreptos, et ei restituat tempore nuptiarum, quo solent munera fieri, et sub specie donationis, non esset urgendus ad aliam solutionem. — *Ita communius* contra *Billuart,* etc.

708. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.,* seu quid si debitor sit immemor debiti? *Controvertitur.* Prima sententia *negat.* Ratio est, quia debitor in eo casu unice intendit donum facere, non vero debita solvere. Præterea, cum sit debitor ex *titulo justitiæ,* et ex *titulo donationis* acceptatæ, non potest utrique obligationi satisfacere simul. *Ita Layman,* — *Sanchez,* — *Bonacina,* etc. Attamen sententia opposita, *affirmans* debitorem liberari, non caret sua *probabilitate,* ut ait *S. Lig. n.* 700. Ratio est, quia, in omni liberali præstatione, quisque præsumitur velle prius satisfacere obligationi justitiæ, quam donum gratuitum erogare. — Præterea, oblivio debiti efficit ut donatio fuerit omnino involuntaria; qui enim donat censetur semper habere hanc implicitam voluntatem : « Dono, nisi tenear ex aliquo alio titulo potiori. » — Insuper dicunt Theologi non pauci, quod si quis voverit pium opus præstare, et illud ponat, immemor debiti, eum ab obligatione voti liberari; et hoc concedit *Layman,* etc. Si autem talis adimpletio satisfacit Deo, inquit *S. Lig.,* quare homini non satisfaceret?

709. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Negandum est. Ratio est, quia donatio illa facta ab ipso donatario non videtur plene voluntaria et spontanea, ut debet esse donatio mere gratuita; procedit enim ex opinione obligationis grati-

tudinis, quæ falso nititur fundamento. *Affirmant* tamen aliqui. Ratio eorum est, quia, aiunt, simulata donatio non fuit causa, sed mera occasio doni quod retributum fuit. — In praxi autem suadendum est ut non fiat restitutio per simulatam donationem, nisi gravis ratio urgeat, ob difficultates quæ subsequi possint, ratione donorum quæ rependerentur.

Resp. ad 4um Quæs. Ex dictis Didacus *probabiliter* debitis sui satisfecit; proinde Sidonius omnino injuste ad occultam compensationem recurrit, et ipse vice sua restituere debet : attamen, ut Didacus censeatur debitis satisfecisse, dona quæ creditori tribuit talis generis esse debent, ut veram utilitatem ipsi afferant, et debitum vere compensent.

CASUS VII

RETRIBUTIO SPIRITUALIS

Morinus, Confessarius, inducere solet pœnitentes restitutioni obnoxios, ut Missas pro creditoribus celebrari curent. Etenim, ait, si defuncti sint, melius sic directe eis restituitur, cum ipsis tali modo prodesse possit restitutio, et sæpius ab hæredibus crudeliter derelinquentur; si vero adhuc vivant, meliori modo eis satisfit, nempe potius bona spiritualia quam temporalia retribuendo.

Hinc :

Quær. 1° *An restitutio fieri possit per Missas?*

2° *An* Morinus, *Confessarius, contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

Solutio :

710. — *Resp. ad 1um Quæs. Dist.* Si dominus cognoscatur vel inveniri possit, *nego;* quia nulla est ratio ut ipsi restitutio non fiat. Proinde talis restitutio non valet, et iterum est restituendum. — *Affirmo* vero, si dominus sit incognitus, neque cognoscantur ejus hæredes; quia tunc debitum in pium opus impendi potest, imo et debet, si ex delicto ortum sit.

711. — *Resp. ad 2um Quæs.* Doctrina Morini, Confessarii, non fuit secundum *scientiam* et *discretionem,* cum absque distinctione induxerit pœnitentes ut per Missas debitis satisfacerent. Debuit igitur inducere debitores ad dominos læsos sedulius inquirendos; nec potuit hæredes cognitos prætermittere, præsertim, si sint hæredes necessarii, ut filii, etc. *Per se* igitur Confessarius ille indoctus et imprudens peccavit graviter contra justitiam, atque ad restitutionem loco pœnitentis obligandus est. Postquam pluries restituerit, forte melius doctrinam tradendam tenebit.

CASUS VIII

EXPENSÆ AD RESTITUENDUM

Henricus restituere vellet mille nummos quos Arsenio surripuit. Sed res ardua est. Etenim Arsenius habitat nunc in alia regione valde dissita, et

Henricus magnas expensas facere debet ad debitum in locum hunc transferendum. Igitur eam pecuniam pauperibus distribuit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quænam expensæ solvendæ excusare possent debitorem a restitutione ipsi domino facienda?*

2° *Quid si agatur de debitis relative minutis?*

3° *Quid de* Henrico *statuendum? An iterum restituere debeat? Si a Confessario ignaro accepisset concilium erroneum restituendi pauperibus, an, detecto errore, adhuc restituere deberet?*

Solutio :

712. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Non clare constat ; Theologi enim de hoc non conveniunt. Attamen regula sequens sat communiter traditur : si expensæ, quas facere deberes ad restituendum ipsi domino, essent plus quam duplo majores damno creditoris, sufficit ut restitutio fiat pauperibus, vel differatur, si spes sit ut difficultas restituendi domino cesset. Secus vero, si hanc proportionem non adæquent. Sed pro variis circumstantiis hæc regula erit modificanda. — *Lugo.* — *S. Lig. n.* 598. — *Vogler, n.* 415, etc. — *V. Comp. n.* 710.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Si agatur de minimis relative debitis, satis erit ea in pauperes refundere : v. gr., si quinque francos missurus esses in Americam ; vel si decem francos decem hæredibus distribuere deberes, etc...

713. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Henricus male fecit, et *per se* ad restitutionem tenetur, non obstante solutione jam pauperibus facta. Debebat enim interrogare, et rem tanti momenti per se ipsum solum non dirimere. Excusaretur tamen ab alia restitutione facienda, si enormes expensas facere debuisset ad dominum indemnem faciendum erga ipsum debitum, ut modo dictum est.

2° Si, suadente Confessario, pauperibus restituit indebite quidem, sed bona fide, in Confessarii decisione innixus, a restitutione eximendus est. Verum ejus loco restituere debet Confessarius, si hujus ignorantia fuerit graviter culpabilis. Si vero debitor non fuerit in bona fide constitutus, v. gr., si noverit Confessarium esse indoctum, restituat ipse prior, et ejus defectu Confessarius.

CASUS IX

CAUSÆ PER SE EXCUSANTES A RESTITUTIONE 1°

Anolinus, iter agendo per multos annos, dominis variis varia intulit damna. Surripuit uni 20 asses, alteri 3 fr., tertio 5 vel 10 fr., imo aliquando 20 fr. et amplius. Cum autem de his fuisset confessus, et a Confessario ad restitutionem obligatus esset, respondet se non posse sine æqualibus et forte majoribus expensis restitutionem peragere ; deficere insuper media ad compensationem faciendam ; se nescire omnium nomina, nec locum certum habitationis, neque si nunc adhuc vivant, vel etiam quinam, et quot sint eorum hæredes.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quænam sint causæ excusantes a restitutione ?*

2° *An absolvi possit qui restitutionem ad aliud tempus absque necessitate remittit ?*

3° *An* ANOLINUS *excusari possit a restitutione, saltem erga dominos læsos in allatis casibus ?*

Solutio :

714. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Excusant *ad tempus* impotentia, sive physica sive moralis, quæ habetur quando restitutio fieri non potest absque incommodo valde gravi : v. gr., si debitor deberet notabiliter decidere e statu suo juste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere. Ratio autem quare excuset magna difficultas est, quia in moralibus dicitur impossibile id quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. Hinc nobilis vir restitutionem differre potest, si eam facere nequeat quin artem mechanicam sibi insuetam exerceat, etc.

2° Excusant *in perpetuum :* 1° remissio seu condonatio debiti ex parte creditoris; 2° præscriptio debitis vestita conditionibus. — *V. Comp. n.* 715.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Negative per se,* generatim loquendo, nisi urgeat gravis necessitas, et debitor promittat quamprimum restituere. Etenim qui restitutionem differt sine necessitate, injuste retinet id quod suum non est, et proinde contra justitiam peccat, etiamsi debitum non fuerit ex delicto contractum.

715. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* ANOLINUS revera maximis laborat difficultatibus, ad faciendam restitutionem. Ad illas autem attendere debuisset antequam pecuniam alienam surriperet, ut a damno inferendo averteretur. Sed nunc a restitutione non ideo excusandus est, ut bonum alienum retinere queat, siquidem nemini licet unquam ditescere ex re aliena injuste accepta.

Hinc 1° *pro furtis minoris momenti* restituat pauperibus aut causis piis, vel curet Missas celebrari pro iis quibus damnum intulit, si domini sint incogniti, vel adiri non possint sine notabili vel relativa difficultate.

2° Quod ad *furta præcipua* attinet, restituere satagat dominis cognitis, etiam cum gravi suo incommodo, quamvis expensas duplo majores damno facere deberet, ut supra dictum est *n.* 712. — 2° Si domini sint incogniti vel si defuncti sint, et hæredes admodum multiplicati fuerint, quod facile evenit post longum temporis intervallum, vel si nimia adsit difficultas ipsis creditoribus restituendi, ANOLINUS in sinu pauperum debitum extinguat. — *S. Lig. n.* 598. — *Lugo, D.* 20, *n.* 190, etc.

CASUS X

CAUSÆ EXCUSANTES A RESTITUTIONE 2°

1° MAGLORIUS, gravatus debitis temporum calamitate contractis, nihil aliud habet præter sex millia fr., sibi et familiæ necessaria, præsertim ad alendum filium mente captum.

2° Thyrsus varia debita dubia solvere recusat, alia quia non est certus quod ipse vel pater ea contraxerit, alia vero, quia probabiliter pater vel ipse jam satisfecit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Maglorius *ab onere restitutionis liberetur?*

2° *An* Thyrsus *excusetur a restitutione, sive in dubio de contracto debito, sive in dubio de solutione ab alio seu a se peracta?*

Solutio :

716. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Maglorius facile a restitutione nunc facienda excusandus videtur. Sed in similibus casibus vix solutio certa et determinata in theoria dari potest ; ideo ex circumstantiis est depromenda.

717. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Thyrsus potest tuta conscientia recusare solutionem debitorum dubiorum patris, præsertim si vir probus fuerit, donec illa debita certis argumentis probentur. *In dubio* enim, vel *in pari causa melior est conditio possidentis.* Insuper, quot homines se fingerent defunctorum creditores, si solutionem reclamare possent quin debitum probare tenerentur. 2° Si Thyrsus non habeat memoriam debiti a se contracti, nec a reclamante probari queat, potest etiam abstinere a restitutione facienda, ob eamdem rationem. 3° Quoad vero debita certo contracta et dubie soluta major est difficultas. In mero dubio Thyrsus ad solvendum tenetur, quia obligatio semel contracta certo adimplenda est, saltem nisi solida ratio suadeat peractam esse solutionem. Idem etiam tenendum si præsumptio Thyrso adversetur : v. gr., si negligens sit in rebus suis ordinariis adnotandis, vel in debitis persolvendis. In cæteris casibus controvertitur. Alii dicunt eum teneri ad totum debitum solvendum, quia ad ipsum pertinet ut invigilet et certo restituat. — *S. Lig. n.* 700. Alii *probabiliter* tenent restituendum esse *pro rata dubii.* Alii tandem debitorem eximunt ab omni restitutione facienda, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Generatim recedendum est ab illa ultima sententia, quæ est paucorum ; quia præsumptio ordinarie debitori adversatur, et is facilius propendit ad judicandum se restitutionem peregisse. Excipe tamen casum particularem, in quo evidenter præsumptio vel multo major probabilitas debitori faveret : v. gr., si sit probus et diligens in debitis solvendis, et imprimis, si ipse asserat se certo debitum solvisse, licet creditor adhuc reclamet. — *V. Comp. n.* 721.

CASUS XI

PUERI ET RELIGIOSI

Ratione restitutionis.

1° Agapitus, puer decem annorum, confessionem generalem ad S. Eucharistiam prima vice suscipiendam instituens, se accusat de variis furtulis in domo paterna commissis, qualia sunt ea quæ a pueris fieri solent, v. gr., in esculentis, vel in aliis similibus. A Confessario autem obligatur loco resti-

tutionis, quam implere minime poterat, cum nihil prorsus haberet, ad veniam seu condonationem a parentibus postulandam, antequam absolutionem recipiat. Promisit AGAPITUS, se id præstiturum esse. Verum postea, metu cohibitus et irretitus propositum exsequi non ausus est. Quid inde? Infelix puer absolutionem et S. Communionem, ut putavit, sacrilege suscepit, atque per multos annos in consuetudine sacrilegii perseveravit.

2° PETRONILLA, Monialis, cum religiosam paupertatem, nescio qua de causa, in re gravi ad communitatem pertinente violasset, culpam in confessione debite fatetur; sed cum damnum a se illatum compensare nequeat, urgetur, licet valde invita, ad hoc Superiorissæ patefaciendum, ut damni illius veniam et condonationem obtineat.

Hinc :

QUÆR. 1° *An pueri obligari possint ad condonationem furtulorum domi patratorum a parentibus postulandam, deficiente alio restitutionis modo?*

2° *An Religiosi qui paupertatis votum infregerunt, res cœnobii deteriores faciendo, ad condonationem a Superiore petendam teneantur?*

3° *Quid de ratione agendi utriusque Confessarii?*

Solutio :

718. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia pueri qui furta domestica fecerunt, sunt simpliciter ab onere restitutionis exempti, utpote impotentes, cum nihil habeant; impotentia enim præsertim physica a restitutione excusat. Ergo minime est necessaria parentum condonatio, quia condonatio est remissio debiti erga eum qui restituere debet; impotens autem nulla obligatione ligatur, siquidem *nemo ab impossibile tenetur:* ergo AGAPITUS puer adstringi non potuit a Confessario, ut a parentibus veniam pro furtulis a se commissis rogaret; imo, juxta *S. Lig., n.* 700, cum sententia *sat communi*, ut is ait, excusandi sunt a restitutione, licet eam peragere queant, ii qui præsumere possunt *rationabiliter* creditorem debitum remittere, seu illud remissurum esse, si rogaretur. Verum, nonne parentes respectu filiorum, præsertim juniorum, furtula libenter remittere censentur?

719. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Idem prorsus dicendum est de Religiosis ac de pueris; siquidem eadem impotentia non solum morali, sed etiam physica, laborant. Ergo PETRONILLA, æque ac AGAPITUS, nullam debuit compensationem facere pro damno a se communitati illato; ergo non potuit a Confessario urgeri, ratione *injustitiæ reparandæ*, ut a Superiorissa remissionem debiti rogaret.

720. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Jam satis liquet ex dictis, quid sit de utroque Confessario statuendum. Uterque enim scientia et prudentia necessaria caruit, imponendo obligationem, valde gravem ac difficilem, pro re prorsus indebita. Sed gravius est arguendus prior Confessarius, utpote majoris imprudentiæ reus. Destruenda igitur omnino est praxis quæ viget in quibusdam locis, hujusmodi obligationem imponendi pueris qui ad primam Communionem disponuntur. Lugenda enim experientia constat, hanc praxim causam esse sacrilegiorum bene multorum.

CASUS XII

DEBITOR MUNDO VALEDICENS

Patricius, mercator, cum infelicem in commercio successum fuisset sortitus, nullum novit modum quo res suas in pristinum statum restituere, atque debita sua bene multa diluere valeat. Quid miser? Ecce! Ipsi in mentem venit mira excogitatio; modum invenit a tam infelici casu sese eripiendi. Quemnam? Accipe. Fallaci mundo simul et improbis creditoribus in æternum valedicens, religiosam paupertatem, omnibus thesauris potiorem, apud Capucinos amplectitur, per preces debitis satisfacturus.

Hinc :

Quær. 1° *An gravatus debitis licite et valide Religionem ingredi et profiteri valeat?*

2° *An ingressus in Religionem reapse a debitis solvendis excusari possit?*

3° *Si Religiosus lucretur aliquid in Religione, an possit vel debeat hoc debitis solvendis applicare?*

4° *Si legatum ipsi obveniat, an possit vel debeat ex illo debitis satisfacere?*

Solutio :

721. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Quidquid sit de jure naturali, homo gravatus ingenti ære alieno, per dilapidationem contracto, prohibetur sub gravi Religionem ingredi. Attamen valide profitetur. *Sic ex Constit. Sixti V* et *Clementis VIII.* Non comprehenduntur in prohibitione illi qui, absque gravi culpa, debita contraxerunt; quia lex loquitur tantum de dilapidatoribus, et de iis qui rationes reddere debent, scilicet rationes valde litigiosas, intricatas, et litibus causam daturas.

2° Neque gravatus debitis licite potest ingredi Religionem, saltem *probabilius,* in aliis casibus, si in sæculo manens brevi tempore, v. gr., intra annum aut biennium, secluso animæ periculo, industria et labore, debita sua aut magnam eorum partem facile soluturus esset. Secus vero, si diu exspectare deberet, vel si absque notabili difficultate satisfacere non posset. — *S. Lig., l.* 4, *n.* 71.

722. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ingressus in Religionem non liberat *per se* directe a deditis solvendis, sed indirecte : scilicet quatenus impedit licite, juxta modo dicta, media quibus debita solvi possunt. Etenim, exceptis casibus Jure canonico prohibitis, debitor licite ingreditur Religionem, saltem quando nequit facile et brevi tempore debitis satisfacere, ante ingressum : ergo eo ipso ab onere solvendi debita liberatur. Etenim lex naturalis non amplius urget quando debitor nequit satisfacere, nisi cum suo tanto detrimento libertatis, et cum periculo æternæ salutis in sæculo amittendæ. Debitor enim non tenetur cum tanto incommodo perfectiori statu Religionis privari. *S. Th.* 2. 2. *q.* 89. — *S. Lig. ibid.*

723. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Debitor qui Religionem ingressus est, si facile possit, laborare debet ad debita solvenda, et lucrum quod facit ad id appli-

care, si Superior permittat ; quia, ut diximus, status religiosus non liberat *per se* a debitorum solutione, sed tantum facultatem solvendi impedit. Superior vero minime hanc licentiam concedere tenetur. — *Elbel, n.* 345.

724. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Non potest debita solvere ex legato sibi obveniente, si solemnem emisit Professionem : quia tunc est incapax dominii, et ex Jure canonico legatum devolvitur ad monasterium per Religiosum ; juxta regulam notissimam : *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.* Secus vero, si vota simplicia tantum emiserit, quia in eo casu legatum reapse ei obvenit. — *V. Comp. n.* 718.

CASUS XIII

CESSIO BONORUM 1°

Lampridius, mercator, ex infelici casu fit impar ad omnia debita solvenda. Collectis creditoribus proponit integram solutionem, si exspectare velint quinque annis, quibus conditionem suam restituere sperat. Creditores rem statim dirimi cum qualicumque jactura malunt. Consentientibus igitur omnibus, proponit solvere 60 pro 100, quod paucis post mensibus feliciter exsequitur. Plerique absolute et simpliciter subscripserant, plures tamen, subscribendo, subjecerant se integram repetere solutionem in casu quo status debitoris felicior evaserit. Re autem familiari Lampridii in pristinum statum restituta, ipse nescit ad quid teneatur.

Hinc :

Quær. 1° *An bona cedens, a reliquis debitis solvendis, si postea dives evadat, eximatur ?*

2° *An* Lampridius *debeat omnibus creditoribus integrum debitum solvere?*

3° *An possit filiabus dotem conditioni convenientem erogare, et filiorum educationem perficere?*

4° *An uxor, quæ eleemosynas plurimas facere solebat, adhuc eodem modo facere valeat?*

Solutio :

725. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego :* 1° quoad cessionem *judiciariam,* quia illa cessio est tantum beneficium quod lex concedit debitori bonæ fidei et infelici, ut a coactione in foro externo immunis evadat. 2° Imo nego etiam quoad cessionem *voluntariam per se,* seu seclusa remissione, sive expressa, sive implicita ; quia creditores, componendo cum debitore, non renuntiant proprio juri ad integram solutionem, si debitor postea solvere queat. — *S. Lig. n.* 699. — *V. Comp. n.* 719.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Sequitur ex dictis. Creditores enim, qui conditionem expresse non apposuerunt, eam implicite apposuisse censentur ; siquidem paucissimi inveniuntur, qui reliquam partem debiti remittere velint. Attamen ad circumstantias attendendum est. Etenim si unus vel plures subscribentes apponant scripto conditionem de repetenda reliqua parte debiti, si debitor statum suum recuperet, et alii in eodem folio

subscribentes hanc conditionem non ponant, censentur debitum integrum remittere.

726. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirm.* ad utrumque, si cessio non fuit fraudulenta; quia debitor, ad restituendum, non tenetur decidere notabiliter e sua conditione. — *S. Lig. Hom. ap. n.* 118. Attamen Lampridius debet excludere quidquid in expensis non est conditioni suæ et educationi filiorum absolute congruum.

Resp. ad 4^um^ *Quæs.* Uxori Lampridii non sunt quidem interdicendæ omnes eleemosynæ, quod durissimum foret, et pro conditione sua incongruum; sed eas multum imminuere debet. Sunt enim prius solvenda debita, quam elargiendæ eleemosynæ.

CASUS XIV

CESSIO BONORUM 2°

Olibrius, ære alieno gravatus, jam est solvendis debitis omnino impar; adeoque ad bonorum omnium cessionem faciendam cogitur. Infelix autem homo, ut jamjam instanti miseriæ subveniat, sibique, uxori et numerosæ proli consulat, tacitus quamdam pecuniæ summam sedulo seponit et abscondit. — Alias omittit declarare quoddam debitum secretissimum, sibi a Titio solvendum, monetque debitorem ut rem sub altissimo silentio teneat. Quod promittit et tenet Titius. Alias cum nuperrime prædiolum vendiderit, fingit se acceptum pretium ad miseriam sublevandam ocius impendisse, licet nullum adhuc pretium acceperit; imo supradictum prædiolum vendere festinaverat, antequam bona cederet, ne illud in prædam creditorum deveniret.

Hinc :

Quær. 1° *An cedens bona aliquid secreto servare possit?*

2° *An debitor erga bona cedentem ipsimet solvere possit, aut creditoribus illius debitum tribuere debeat?*

3° *An sit valida vel licita venditio facta ante cessionem?*

4° *Quid de* Olibrio? *An teneantur ad restitutionem?*

Solutio :

727. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Certo peccat contra justitiam cedens bona, si res magni valoris occultet, quia damnum creditoribus infert. 2° Excusandus tamen est ab injustitia, si inopia pressus bona quædam servet, quibus sustentetur cum familia, saltem donec per judicem provisum fuerit. Post factum autem, non inquietandi sunt illi qui res vere sibi necessarias modici valoris retinuerint. Verum bona cedentes quam maxime a periculo hallucinationis cavere debent. — *S. Lig. n.* 699. — *V. Compend. n.* 700 *et* 719.

728. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Debitor bona cedentis, cessione facta, fit debitor ipsorum creditorum illius cedentis bona; hic enim non est amplius dominus bonorum quæ semel cessit, siquidem dominium in suos creditores transtulit : ergo debitor cedentis bona non huic, sed ejus creditoribus debitum tribuere debet. Excipe, nisi forte agatur de re minimi momenti, et infelix qui bona cedit magna inopia pressus videatur. — *V. Comp. n.* 700.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* 1° Venditio est valida, nisi lex eam in aliquo casu irritet, ut irritantur ex Jure Gallico contractus qui fiunt intra decem dies qui cessionem præcedunt. 2° Illicita vero est quoties est fraudulenta, seu quando bona venduntur cum prævisione proximæ cessionis, ut creditoribus subtrahantur.

729. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Seu, quid de Olibrio in triplici casu? *In primo et secundo casu* non est inquietandus, si pecunia quam seposuit, vel servavit, sit ipsi vere *necessaria* ad suam miseriam sublevandam. Sequitur ex dictis in responsione *ad* 1^um^ *Quæs.* — *In tertio casu,* tum Olibrius, tum ejus debitor, peccat contra justitiam fraudulenter prædium vendendo cum creditorum detrimento. Igitur, si pretium agri adhuc habeat, creditoribus illud restituere debet. — *V. Comp. n.* 719-788.

CASUS XV

DEBITORES ANGUSTIIS PRESSI

1° Maurus, antequam cessionem bonorum publice faciat, Bertæ filiæ suæ 200 fr. elargitur, titulo donationis vel remunerationis, ob officia ab ea sibi præstita.

2° Romanus, iisdem pressus angustiis, bona sua fere omnia filiis suis vendit, sicque ea e creditorum manibus eripit et in sua familia servat.

3° Adrianus, debitis solvendis impar, postulat et obtinet juridicam bonorum separationem ipsum inter et uxorem, ne utriusque bona, quæ communia sunt, in creditorum prædam deveniant.

Hinc :

Quær. 1° *An* Maurus *contra justitiam peccaverit?*
2° *An* Romanus *ab injustitiæ labe immunis sit?*
3° *Quid de* Adriano *statuendum ?*

Solutio :

730. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Maurus *per se* peccavit contra justitiam erga creditores, 200 fr. filiæ gratuito erogando. Ille enim qui debita sua solvere nequit, donationes elargiri non debet. Dixi *per se*, quia excipi forte posset casus in quo, magna inopia pressus, id faceret ut a filia inde sublevaretur; vel si hanc pecuniam filiæ dedisset non gratuito, sed in remunerationem ante officia præstita promissam. Sed illæ exceptiones in casu nostro comprehendi non videntur.

731. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Romanus de gravi injustitia *per se* damnandus est, quia hæc agendi ratio est omnino iniqua et fraudulenta, ut nemo non videt. Attamen in aliquo casu excusari potest, v. gr., si filiis bona sua vendendo, et ea in familia servando, intenderet pretium creditoribus tribuere, vel si ea vendat ut majus pretium obtineat, et sic creditoribus faveat, nedum ipsis noceat.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Adrianus non videtur inquietandus *per se;* uxor enim jus habet juridice petendi bonorum separationem, modo id absque *fraude* fiat, nec uxor injustitiis mariti cooperata fuerit, v. gr., in debitis injuste vel prodigaliter contrahendis.

CASUS

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

SEU

De restitutione pro homicidio, pro stupro et adulterio, pro defraudatione in tributis, et pro damno occasione militiæ.

CASUS I

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO 1°

Hircinus, inimicus Beraldi, ei vitam se erepturum decrevit, cum impune hoc pravi animi consilium exsequi poterit. Paulo post accidit, ut inter Beraldum et Rufum grave exoriretur dissidium. Rufus ira excandescens, pluribus audientibus, se interfecturum Beraldum jurat. His cognitis, Hircinus judicat propitiam occasionem sibi offerri, iram in Beraldum absque ullo sui periculo explendi : prævidet enim hujus mortem Rufo imputandam esse, quippe qui, ob alia crimina, vulgo scelestus habetur. Itaque, spe impunitatis fretus, sequenti nocte Beraldum domum revertentem clam occidit. Die sequenti, morte Beraldi vulgata, Rufus criminis reus vulgo putatur : quare a satellitibus comprehensus, et in judicium adductus, tum testimonio eorum qui eum mortem Beraldi juramento promittentem audierant, tum aliis indiciis, capite damnatur ac plectitur. Hinc Rufi uxor et teneræ adhuc ætatis filii, qui omnes ejus labore victitabant, ad egestatem redacti sunt.

Hinc :

Quær. 1° *An mors* Rufi; *præter* Beraldi *necem, sit* Hircino *imputanda ?*
2° *An ad aliquid teneatur erga familiam* Rufi *et familiam* Beraldi, *si detrimentum ex ejus morte patiantur, licet in egestate non versentur ?*
3° *An ad aliquid teneatur erga alios cognatos, præter uxorem et filios et parentes ?*

Solutio :

732. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Hircino minime parcendum. Etenim, præter Beraldi homicidium, etiam Rufi mors ipsi imputanda est. Ratio est, quia cædes Beraldi, in istis circumstantiis patrata, gravissimam suspicionem in Rufum *per se* injicit, ita ut ejus damnationis causa moralis fieret. — *V. Vogler, n.* 174, ubi similem habet casum, et eodem modo solvit.

Dices : Prævisio damni non sufficit, juxta multos, ut prævidenti damnum sit imputabile, si ipse per suam actionem non sit ejus causa efficax. Porro in præsenti casu Hircinus est tantum occasio, et non causa damnationis Rufi. Ergo hæc damnatio non Hircino, sed errori judicum est imputabilis.

Resp. In nostro casu non agitur tantum de damno præviso, sed etiam de damno moraliter creato et vere intento. HIRCINUS enim de industria uti voluit præsentibus circumstantiis, RUFO maxime nocivis, ad homicidium BERALDI patrandum. Ergo datur vera connexio inter media ab ipso adhibita et RUFI damnationem; ergo mors RUFI est reapse HIRCINO imputabilis; ergo HIRCINUS nulla misericordia dignus est. — *Vogler, ibid.*

733. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* HIRCINUS tenetur *per se* ad restitutionem erga utramque familiam, tum BERALDI, tum RUFI, si damna ex eorum morte passæ sint. Est enim causa necis utriusque, scilicet, causa *physica* mortis prioris, et causa *moralis* mortis posterioris. Per familiam autem intelliguntur cognati proxime conjuncti, ut sunt filii, parentes, uxor, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto. Attamen *probabiliter* homicida a restitutione excusandus est circa damna futura, si cognati facile sibi subvenire possint; quia cognati non videntur jus habere nisi ad ea quæ occisus, ex stricta pietate, ipsis erogare debuisset. — *Vide Compend. n.* 725-726.

734. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* HIRCINUS *probabilius* non tenetur ad resarcienda damna quæ subire potuerunt alii cognati occisorum, præter eos qui stricte et proxime sunt conjuncti, ut modo dictum est; quia fuit causa remota tantum et velut per accidens, horum damnorum. — *V. Comp. ibid.* — *Elbel, n.* 210. — *Lacroix, n.* 310, etc.

CASUS II

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO 2^o^

1° JACOBUS occidit MARCUM, qui familiam luxu et potu depauperabat. Jubetur a Confessario, ut aliquam pecuniæ summam compensationis titulo tribuat. Respondet ille mortem MARCI minime ejus familiæ nocuisse, imo potius in ejus beneficium vertisse. Instat Confessarius, et parere nolentem absque absolutione dimittit.

2° UBALDUS, habita cum SABIANO querela, ira percitus, alapam adversario impegit. SABIANUS injuriam talem sola sanguinis effusione reparari posse censet: UBALDUM igitur in singulare certamen provocat. Hic vero infeliciter decertans in palæstra, ab illo confossus occubuit, uxorem, filios et matrem ipsam angustiis et inopia pressos relinquens.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* JACOBUS *reapse ad aliquid teneatur erga familiam* MARCI, *quem occidit? Et an Confessarius compensationem illam injungere potuerit?*

2° *An* SABIANUS *resarcire debeat damna quæ, ex occisione adversarii in duello, ejus familiæ evenerunt?*

3° *An provocatus ad duellum, si adversarium occidat, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, damna familiæ occisi illata compensare teneatur?*

Solutio :

735. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego.* JACOBUS enim nullum damnum intulit familiæ MARCI, cum e contrario majorem bonorum dilapidationem

impediverit. Ergo Confessarius non potuit, ratione justitiæ, illam compensationem erga prædictam familiam præscribere sub absolutionis denegatione. Potuit tantum, per modum pœnitentiæ, ipsi injungere ut aliquid huic familiæ tribuat, si inopia laboret, vel ea non indigente, ut eleemosynas pauperibus eroget. Contradicit *Collator Ruthenensis, de justitia, p.* 280; quia, ait, MARCUS potuisset ad meliorem frugem se recipere, et familiæ opitulari. Sed spes illa admodum tenuis apparet; præter quod non est imponenda obligatio restitutionis pro damnis adeo incertis et remotis.

736. *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Nego.* Ratio est, quia decertans in duello sive provocans, sive provocatus, censetur facere adversario potestatem ut contra se agat quantum potest: ergo pariter censetur consentire in sui occisionem, casu quo fuerit superatus, et consequenter remittere obligationem compensandi. *Scienti* enim *et volenti non fit injuria,* quando jus remitti potest; atqui duellans remittere potest bona temporalia. Ergo, etc. —*Elbel, n.* 217. — Sunt tamen quædam jura familiæ quibus duellista renuntiare nequit, scilicet, jura *strictissimæ pietatis;* juxta quæ, v. gr., paterfamilias suæ familiæ indigenti procurare necessaria debet.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Nego.* Sequitur ex dictis. Etenim qui duello confligit, confert adversario potestatem agendi contra se in quantum potest. Ergo circa hoc censetur pariter renuntiare juri suo, in ordine ad damna ab altero resarcienda. — *Elbel, ibid.* — *V. Comp. n.* 725, etc.

CASUS III

RESTITUTIO PRO STUPRO

SILVIA, puella bonis imbuta moribus, infelici casu a LUPINO seducta, vel potius violenter oppressa est. Virginitatis suæ jacturam deplorans, et quasi desperationi proxima, elapsis duobus vel tribus mensibus, ad LUPINUM accessit, asserens falso, se ex illo concepisse, postulansque ut sibi, tum pro defloratione, tum præsertim ad vitandam infamiam, et prolem alibi pariendam et educandam, duo francorum millia solveret; secus minabatur eidem accusationem coram judice, et propalationem criminis coram universo mundo. LUPINUS, tum ad vitandam infamiam, tum ad prolem enutriendam et educandam, postulatam pecuniam, licet valde invitus, solvit. SILVIA vero, ad confitendum accedens, a Confessario postulat an prædictam pecuniam acceptam retinere possit? At Confessarius pecuniam illam LUPINO restituendam esse pronuntiat.

Hinc:

QUÆR. 1° *An* SILVIA *acceptam fraude pecuniam servare possit in compensationem jacturæ virginitatis vel alio titulo?*

2° *Quid, si puella non habuerit intentionem* LUPINUM *denuntiandi, neque ejus crimen propalandi, sed id ad pecuniam extorquendam simulaverit?*

Solutio:

737. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° SILVIA nihil potest retinere præcise pro jactura virginitatis, quia hæc jactura non est pretio æstimabilis, et proinde

illud damnum pecunia compensari nequit. — *S. Lig. n.* 640. — *V. Comp. n.* 728.

2° Neque potest retinere pecuniam fraude obtentam, sub prætextu prolis alibi pariendæ et educandæ; quia, ubi intervenit error circa causam principalem impellentem movens ad contractum ineundum, ibi contractus est nullus. Atqui motivum finale, partialiter saltem, non subsistit, quia nulla est proles parienda. Ergo contractus, in quantum pro educatione prolis aliquid datum est Silviæ, est nullus de jure naturali. Ergo Silvia sub illo respectu nihil retinere potest.

3° Silvia servare potest partem pecuniæ, scilicet, ratione cessionis juris quod habet Lupinum denuntiandi, vel crimen ejus manifestandi. Ratio est, quia ex illa parte subsistit motivum formale honestum pecuniæ a Lupino concessæ. Etenim Silvia, ob illatam sibi injuriam per stuprum, Lupinum accusare et diffamare potuisset : ergo potuit aliquid juste acceptare, eo fine ut e jure suo cederet. Hæc enim cessio juris est vere pretio æstimabilis; nec est dubium quod stuprator malit solvere certam summam puellæ, et famam servare, quam infamiæ, dissidiis, aliisque innumeris malis inde proventuris, et judicis sententiæ subjici. Verum occurrit difficultas, scilicet quantam summæ partem puella retinere possit? Solutio præsertim pendet a variis circumstantiis, v. gr., ex atrocitate injuriæ, ex stupratoris facultatibus, etc. etc. — *Elbel, de Contr. in genere, n.* 307. *Lugo, de Contr., D.* 22, *n.* 166. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 635. — *Lessius, Sanchez,* etc. In dubio, omnibus perpensis, quidni Silvia dimidiam pecuniæ partem servare posset? — *Recole dicta supra, n.* 626-627.

738. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Nihilominus Silvia poterit partem pecuniæ servare, juxta superius dicta, licet non habuerit animum stupratorem denuntiandi, sed tantum pecuniam obtinendi. Etenim talis dolus non est injustus : nam juste poterat minari, sive habuerit serium animum denuntiandi, sive non. Non enim omnis dolus malus est; sed etiam datur bonus, vel certe indifferens, qui potius industria vel solertia quam fraus dici debet, scilicet, aliud faciendo et aliud intendendo, commodi justi gratia.— *Ita Elbel, ibid., n.* 309. — *Lacroix, ibid.* — *Lessius,* — *Sanchez,* — *Diana,* etc., *contra Lugo, ibid. n.* 166. — *Recole dicta supra, n.* 627.

CASUS IV

RESTITUTIO PRO FORNICATIONE 1°

Labanus, precibus et blanditiis, Romeliam, puellam, in peccatum induxit. Primum reluctans illa, consensum tandem præstitit. Deinde subsecuta est proles, quæ ab ortu statim tumulo excepta est. Verum, divulgato crimine, Romelia nullam matrimonii honesti occasionem invenire potest. Quapropter damnorum compensationem a Labano cum strepitu, indignabunda, requirit.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quid teneatur pater illegitimæ prolis?*
2° *An* Labanus *ad aliquid erga* Romeliam *teneatur?*

Solutio :

739. — *Resp. ad 1um Quæs.* 1° Si stuprator vi, fraude, dolo, minis, puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus obvenientia, quia est causa efficax et injusta totius damni.

2° Si mulier sollicitationi consentit, fornicator ad nihil tenetur, nisi ex pravo consortio proles nata et educanda sit, ut modo dicetur.

3° Si vero, stante eodem casu, proles nata et educanda sit, tum pater, tum mater expensas ad ejus educationem *de jure naturæ* pro rata conferre debent. *Ex Jure Romano*, mater tenetur alere prolem per tres annos, et postea pater ei providere debet. *In Jure Gallico*, nihil expresse statuitur; attamen jurisperiti agnoscunt patrem et matrem in solidum æque obligari, saltem ad alendos et educandos filios legaliter recognitos. Si autem filii non fuerint recogniti, eadem obligatio ex jure naturali ad ipsos pertinet.

740. — *Resp. ad 2um Quæs.* Labanus ad nihil *per se* tenetur, nisi ipse rem propalaverit. Etenim, ex dictis, ubi mulier libere in peccatum consensit, vir ad nihil tenetur, nisi ex parte sua ad expensas pro educatione prolis faciendas. Atqui in nostro casu nullæ sunt expensæ faciendæ pro educanda prole, siquidem ex utero matris in tumulum translata est. Ergo Romelia sibi imputare debet infortunium, quod ex culpa subsecutum est. Illud ante criminis patrationem prævidere debebat. Quot lacrymæ tardius ex oculis manant !

CASUS V

RESTITUTIO PRO FORNICATIONE 2°

1° Sigebertus, cum Annam seduxisset, et ex crimine prolem suscepisset, neque matri neque proli vult succurrere, quia, ait, mulier libere peccato consentiendo, libere etiam in omnia damna quæ subsecutura forent subeunda, consensit.

2° Lœlius pravum consortium pluries habuit cum Lucia. Postea gravida evasit illa, et suo tempore prolem in lucem edidit. Reclamat igitur, ut sibi miseræ et filio opituletur. Negat ille se ei quidpiam erogaturum esse, quia, ait, illa eodem tempore in aliis turpibus consortiis versabatur, et facile sui corporis copiam aliis etiam faciebat : ergo minime constat natam prolem sibi esse tribuendam.

Hinc :

Quær. 1° *An valeat excusatio* Sigeberti ?
2° *An* Lœlius *ab omni obligatione liberetur ?*

Solutio :

741. — *Resp. ad 1um Quæs.* Turpiter errat Sigebertus circa obligationem suam, ut nemo non videt. Quam sint injustæ ejus excusationes, patet ex dictis. Pater enim in omni casu saltem ad dimidiam partem expensarum pro educanda prole faciendarum, de jure naturali adstringitur. Ergo non audiendus Sigebertus.

742. — *Resp. ad 2um Quæs.* Quid vero de Lœlio erga Luciam? Si verum sit quod asserit Lœlius, seu si ipsi certo constat Luciam alios amasios frequentasse et sui corporis copiam eis fecisse, non est urgendus ad restitutionem faciendam, saltem probabiliter. Ratio est, quia tunc nata proles non certo ad eum pertinet; onus autem certum imponi non debet, ubi dubia est obligatio. Lucia illud damnum sibi imputare debet, quippe quæ, plures fornicatores admittendo, dubii causa fuit. — *V. Comp. n.* 728, *etc., et* 733. — *S. Lig. n.* 641, 657, etc.

CASUS VI

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 1o

Rosaura, mulier a quinque annis conjugata, prole carens, reputat difficulter eventurum esse ut prolem a marito suo Crispino suscipiat. Hinc duobus amasiis, circa idem quasi tempus, sui copiam fecit. Mox gravida est effecta, et subinde prolem suscepit, nec discernere potuit a quonam e duobus complicibus prolem hanc habuerit. Postea vero, cum duos filios a marito suscepisset, dubium de vero patre prioris prolis majus adhuc evasit. Crispino autem defuncto, ejus hæreditas a duobus filiis certis et a filio putato collecta est.

Hinc :

Quær. 1o *An ad aliquid teneatur adulter in dubio an proles sit sua vel mariti?*

2o *An ad aliquid teneantur duo adulteri in dubio utrum proles, certo illegitima, ad unum vel ad alium pertineat?*

3o *Quid ad casum expositum?*

Solutio :

743. — *Resp. ad 1um Quæs. Probabilius* adulter ad nihil tenetur, quia de damno non constat. Non est autem imponenda obligatio, nisi certa sit. Adde quod filius reputari debet legitimus, nisi illegitimus probetur; in hoc enim dubio possidet matrimonium. — *S. Lig., n.* 657, et alii *communius*, contra *plures* qui dicunt restituendum esse *pro rata* ab adultero.

Resp. ad 2um Quæs. Videtur utrumque adulterum obligandum esse ad restitutionem *pro rata*, juxta sententiam *communiorem;* quia damnum in hoc casu est certum, et constat illud ab alterutro adultero patratum esse. Uterque igitur est causa efficax incertitudinis, quæ impedit ne compensatio ab uno determinato exigi possit. Innocens autem seu paterfamilias pro illa incertitudine pati non debet, *Lacroix, Lugo,* etc. Dissentit tamen *S. Lig.*, quia, ait, onus certum imponi non debet ubi dubia est obligatio. — *V. Comp. n.* 733.

744. — *Resp. ad 3um Quæs.* In casu exposito, de ortu illegitimo primi filii minime constat. Etenim, cum Crispinus certos duos filios ex uxore susceperit, potuit etiam primum ipse suscipere, licet per quinque annos prolem nullam habuerit. Ergo pro legitimitate primi filii standum est.

CASUS VII

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 2°

Anatolia, a decem annis conjugata, nullam adhuc prolem a Bonifacio, marito suo, suscepit. Hinc reciprocæ querimoniæ inter conjuges, diuturnusque rancor. Tristem ducebant vitam, quum ecce uxor cum alio viro pravum habet consortium, et inde mox gravida evadit. Absque mora vaferrima mulier felicem eventum marito renuntiat, scilicet tandem ipsum evasisse patrem. Reipsa suo tempore, egregia forma filium parit. Gaudet et exsultat lætitiæ impotens, nimium credulus maritus, ex eo quod diuturnis tandem votis progenies supervenerit. In posterum omnia prospere Bonifacio succedunt; summa pace mutuoque amore gaudent conjuges. Tandem in senectute bona moritur putativus pater, lætus quod amplam hæreditatem filio, talentis et laudibus cumulato, relinquat.

Hinc :

Quær. 1° *An aliquid sit restituendum* Bonifacio, *sive ab uxore adultera, sive a viro complice?*

2° *An ab utroque sit restituendum hæredibus* Bonifacii *collateralibus, pro hæreditate quæ ad eos devenisset, sit filius non fuisset fraudulenter* Bonifacio *suppositus?*

Solutio :

745. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Nihil videtur restituendum Bonifacio, neque ex parte uxoris, neque ex parte complicis. Etenim ipse Bonifacius omnia bona sua, decurrente vita, servat. Si quid autem pro filio putato, tum nutriendo, tum educando, expenderit, amplam percipit compensationem in pace sibi occasione hujus filii restituta, in gaudio et felicitate qua abhinc fruitur, uno verbo in omnibus prosperis quæ ipsi propterea succedunt, ita ut pro eo multo melius sit illa gaudere prole quam ea carere. Hæc autem commoda non mediocri pretio sunt æstimabilia.

746. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Uterque adulter *per se* restituere debet in quantum fieri potest hæredibus etiam collateralibus, *pro rata,* et *in solidum,* alterutro deficiente. Obligatio ista ex principiis generalibus juris fluit. Etenim consanguinei qui, secluso spurio, in hæreditatem colligendam vocati fuissent, hoc commodo injuste frustrantur; habent enim *jus strictum* non quidem in ipsam hæreditatem, si non sint hæredes necessarii, sed ne fraude ab illa adeunda impediantur. Ergo ipsis est restituendum, saltem *pro rata* spei quam habebant ut illam consequerentur. — *Carrière, de Justitia, n.* 1388. — *Schmalzgruber, Jus. eccl. t.* 5, *part.* 1, *tit.* 38, *n.* 112, ubi dicit : « Tenetur adulter compensare omnia damna quæ intulit aliis liberis aut hæredibus legitimis. » Hinc Bonifacius habendus est perinde ac si ab intestato moreretur, et prole careret. Possunt autem excipi plures casus, v. gr., si constaret quod Bonifacius bona sua his legitimis hæredibus relinquere noluisset in casu in quo prole fuisset destitutus, etc. In praxi vero difficillime restitutio saltem ex integro fieri potest, sive ex parte viri, sive præsertim ex parte uxoris.

CASUS VIII

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 3o

Drusus prolem, ex illegitimo commercio cum Drusilla susceptam, ad nosocomium secreto deferri jussit, vitandi scandali, famæque tum complicis tum propriæ servandæ causa. Verum, licet satis dives sit, ad nullam tamen compensationem pro expensis educationis prolis erga nosocomium faciendam a Confessario induci potest. Quare absque absolutione dimittitur.

Hinc :

Quær. 1° *An ad aliquid teneantur qui prolem spuriam exponunt, ut colligatur, et in nosocomio suscipiatur atque educetur ?*

2° *An recte Confessarius egerit cum* Druso ?

Solutio :

747. — *Resp. ad* 1um *Quæs. Affirm. probabilius,* cum sententia communiori. Ratio est, quia, si pia loca a munificentia fidelium fundata sint, pii fundatores non sunt præsumendi voluisse parentes divites ab expensis eximere ; quippe qui eleemosyna non indigent. Si vero a Gubernio erecta sint, hoc non magis fornicatoribus favere intendit. Ergo... — Attamen *S. Lig.* sententiam oppositam non solum ut *probabilem,* sed etiam ut *probabiliorem* habet, *n.* 656, quia pia loca erecta sunt generatim pro omnibus infantibus qui a parentibus abjiciuntur. — *V. Comp. n.* 734.

748. — *Resp. ad* 2um *Quæs.* Non videtur damnandus confessarius, quippe qui sententiæ communi se conformavit. Insuper recte potuit Druso aliquid solvendum præscribere, saltem ratione pœnitentiæ, etiamsi ratione strictæ justitiæ non potuisset. Caveat tamen Confessarius pro sua prudentia, ne rigorosam et absolutam obligationem imponat, quando advertit pœnitentem non esse monitioni obtemperaturum, quia absque fructu, imo summo ejus periculo illum a Sacramentis averteret. In hoc igitur casu sententia *S. Lig.* facilius uti licebit : *In omnibus respice finem.*

CASUS IX

UXORIS ADULTERÆ CONFESSIO

Zumella, vidua, e vivis abitura, congregatis quinque filiis, declarat unum ex ipsis spurium esse, et ab eis postulat utrum velint ut quis sit ille aperiat, aut malint sibi invicem illius injuriam remittere. Obstupefacti et perturbati siluere primum omnes ; subinde singuli declararunt se malle ut res alto premeretur silentio.

Hinc :

Quær. 1° *An mulier adultera teneatur se declarare, ad damnum prolis legitimæ impediendum ?*

2° *An filius qui diceretur a matre spurius, ei credere deberet?*
3° *An recte egerit* Zumella?
4° *An condonatio mutua filiorum valeat?*

Solutio:

749. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Neg. generatim loquendo,* quia *communiter* hujusmodi revelatio sine maxima matris infamia et gravissimis incommodis totius familiæ fieri nequit. Insuper tali modo difficile damnum reparari posset. — *S. Lig. n.* 653.

Resp. ad 2^um *Quæs. Neg.* etiam, quia nemo tenetur credere, in suum gravissimum incommodum, unico testi, etiam probatæ fidei, nisi alia indicia evidentissima accedant. — *S. Lig. n.* 654.

Resp. ad 3^um *Quæs. Neg.* Remedium est malo pejus. Hæc enim agendi ratio est imprudentissima, quia potest esse causa proxima suspicionum et dissensionum, etiamsi spurius nullo modo designaretur.

750. — *Resp. ad* 4^um *Quæs. Neg.* pariter; talis enim matris propositio est iniqua, quia omnibus filiis metum gravem injicit, et efficit ut suspicioni illegitimi ortus subjiciantur. Hinc tali via mater nullatenus ab onere restitutionis excusaretur. Confessarius igitur nunquam hujusmodi praxim suadere, neque permittere potest. — *Lugo, D.* 13, *n.* 42.

CASUS X

DEFRAUDATIO IN TRIBUTIS 1°

Severinus, Sacerdos, confessiones excipiens, sedulo pœnitentes interrogat utrum nonnihil defraudaverint in tributis solvendis pro mercium emptione, venditione aut transvectione; item utrum præpositos devitaverint, vel etiam utrum ultro omiserint merces transvectas præpositis manifestare, etiam non interrogati : fatentes autem obligat ad restitutionem integram præpositis faciendam, seriamque promissionem ab iis exigit, et quidem sub absolutionis denegatione, non amplius de cætero delinquendi.

Blandinus autem, alter Sacerdos, de proposito nunquam pœnitentes circa tributa interrogat; si quos ultro confitentes audiat, tacet; interrogantibus de liceitate defraudationis respondet non videri quidem illicitam, saltem post factum non esse restituendum; imo damnare non audet præpositos negligentes aut malevolos in officio suo adimplendo, nec ipsorum præpositorum corruptores.

Hinc:

Quær. 1° *An detur stricta obligatio in conscientia solvendi vectigalia seu tributa, quæ pro mercibus vendendis aut evehendis statuuntur?*
2° *An vel quomodo peccent præpositi in officio negligentes, vel defraudationem permittentes, et an teneantur restituere fisco, tum pro damno emergente, tum pro mulcta quam defraudantes solvere debuissent?*
3° *Quid de ratione agendi utriusque Confessarii?*

Solutio :

751. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Nemini dubium est adhortandos esse fideles, ut tributa omnia diligenter solvant. Attamen non tenetur Confessarius petere a pœnitentibus, utrum alicujus defraudationis sint rei; hoc enim a praxi communi omnino alienum est. Non est constitutus Confessarius sicut vectigalium præpositus, aut exactor publicus. Quod vero ad forum conscientiæ attinet, generatim fideles etiam timorati non existimant se peccatum, saltem grave, committere, neque ad restitutionem teneri, si quandoque vectigalia solvere omittant, si merces propter quas tributum exigitur occultent, si præpositos declinent. Plerumque nihil proficeret Confessarius, si e bona fide eos excutere contenderet. Insuper res maximæ controversiæ inter Theologos subjicitur, nec pertinet ad Confessarium eam dirimere. — *V. Comp. n.* 738.

752. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Præpositi tributum non exigentes peccant *per se* contra justitiam et quidem *graviter* in materia *gravi*, quia *ex officio* stricte obligantur ad invigilandum atque ad tributa diligenter exigenda; et consequenter ad restitutionem erga Gubernium tenentur. Excusandi tamen videntur, si in re levi benignius agant, præsertim cum pauperibus, vel etiam cum iis qui diligenter solvunt.

2° Non tenentur restituere fisco pro mulcta quam defraudantes solvere debuissent, quia non sunt constituti ad procurandum fisco lucrum ex mulcta, sed ex tributis. Constat etiam ex praxi contraria, cui consonat sensus communis. — *V. Comp. n.* 693, 745.

753. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* 1° Quantum imprudens fuerit in tota sua agendi ratione Severinus, luce meridiana clarius est. In posterum abstineat a pœnitentibus, qui de tributis tacent, vexandis. Prudentius silebit et ipse; quod si interrogetur, adhortetur ad tributa omnia fideliter præstanda, sed caveat ne solvat difficultates, quas etiam doctiores dirimere non valent.

2° Blandinus in sensu opposito ulterius procedit : errat enim, a peccato et a restitutionis obligatione eximendo præpositos gabellarum negligentes in officio adimplendo, aut defraudantibus indulgentes, et eos qui præpositorum prævaricationi cooperantur, eos, v. gr., pecunia corrumpendo. Constat ex supradictis.

CASUS XI

DEFRAUDATIO IN TRIBUTIS 2°

Forbinus vendit Giberto prædium triginta francorum millibus. Vellent autem imminuere tributum gravissimum venditioni immobilium a Gubernio impositum. Quomodo facient? Industria nota est, imo et communissima. Conveniunt de pretio 20 millium francorum tantum in actu publico manifestando et inserendo. Pergunt ad notarium, et hinc inferiorem valorem solum declarant. Subridens notarius, quippe qui verum prædii valorem noverat, ait Giberto : *Egregia tibi res erit, papæ! hui!* et tacitus actum conscribit.

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccent contra justitiam illi qui, empto prædio, in contractu minus fingunt pretium ne solvant tributum ?*

2° *An in hoc casu notarius, qui fraudem novit et contractum scribit ad restitutionem teneatur ?*

3° *Quid, si notarius id contrahentibus suasisset ?*

Solutio :

754. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur :* triplex datur sententia probabilis. 1ª *Sententia affirmat* cum *Bouvier, de Restitut. in specie, q.* 4, *a.* 3, § 2. Ratio est, quia est semper fraus et mendacium celare verum pretium in venditione solutum.

2ª *Sententia,* obligat ad declarandum non quidem pretium ipsum solutum, sed intrinsecum rei valorem saltem infimum, quo res absolute emi potuisset; quia talis declaratio æquitati conformis est, nec potest esse contra mentem legislatoris, qui intendit tantum percipere tributum valori rei aliquo modo proportionatum. Imo plures dicunt satis esse, si declaretur paulo ultra dimidiam pretii partem. — *Rousselot et Sætler, de Leg.*

3ª *Sententia*, quæ *probabilior videtur,* eximit contrahentes ab omni obligatione pretii veri declarandi, quia lex non videtur aliud intendere nisi firmare contractum publicum et traditionem rei, sicut solutionem pretii, et dare assecurationem in casu litis judiciariæ, v. gr., *evictionis,* etc. Quare nulla apparet conscientiæ obligatio, neque declarandi pretium solutum, neque valorem, saltem infimum, quo res æstimari possit. Sed illi qui rei pretium plus æquo imminuunt, se periculo mulctam solvendi exponunt. Quod vero spectat ad successiones, satis erit declarare valorem juxta reditus annuos, ut ex generali consuetudine fieri solet. *Sic Collator Aniciensis, de Leg., part.* 3, *sect.* 3. — *Valentin, Examen sur les professions,* etc., *c.* 8, *n.* 239. Cæterum Gubernium, ope *cadastri,* modum facilem præ manibus habet fraudes hac in re detegendi.

755. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Nego :* etenim notarius non constituitur *ex officio* ad tributa fisco procuranda, ut præpositi tributorum, sed ad actus publicos recte conficiendos. Declaratio autem pretii, ad valorem actus non pertinet. Insuper, neque peccat contra justitiam defraudationi cooperando, quia probabiliter a peccato excusantur ipsi contrahentes.

756. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Crescit difficultas : alii dicunt notarium in hoc casu teneri ad reparandum damnum quod fisco infertur, quia, si non teneatur ad impediendam defraudationem in tributis, tenetur saltem ad non cooperandum modo positivo. Verum ab aliis excusatur, quia, si non peccant in hoc contrahentes, neque peccat notarius, cooperando etiam *positive.* Notarius enim, licet homo publicus, non est tributis præpositus. Ergo non tenetur *ex officio* procurare ut solvantur. Ergo sub illo respectu est homini privato æquiparandus. — *Id probabile censet Valentin, ibid.*

CASUS XII

DAMNUM OCCASIONE MILITIÆ 1°

1° Placidus ad militiam sorte cogitur. Paulo post, tædio affectus, et periculo corporis necnon animæ perterritus, derelicta secreto statione, arreptaque fuga, tam bene delituit, ut per varios annos a satellitibus nunquam detegi potuerit. Verum cum ad confitendum accessisset, ei pro salutari pœnitentia injunxit Confessarius, ut stationem illico repeteret. Sed surdam præbens aurem ille, confessioni æque ac militiæ valedicit.

2° Pacificus, non minus a militia quam a peste abhorrens, sorte tamen designatus, digitum indicem dextrum sibi amputat, et sic legi conscriptionis se subtrahit. Elapso anno, confitetur; sed absque absolutione dimittitur, donec ei, qui suo loco profectus est, restituerit.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo peccaverit* Placidus? *An sub gravi militiam repetere teneatur? An recte Confessarius egerit?*

2° *An* Pacificus *peccaverit contra justitiam legalem vel etiam commutativam? Quid, si ante sortem ipsam, sibi digitum amputasset, aut fugam in aliam patriam arripuisset?*

Solutio :

757. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Placidus *per se* peccavit graviter contra justitiam legalem, seu contra obedientiam Principi debitam. Ratio est, quia leges quæ militiam respiciunt, sunt justæ et necessariæ ad rectum ordinem, et proinde in conscientia observari debent.

2° Tenetur proinde *per se* sub gravi redire ad castra, quia, si peccavit graviter aufugiendo, permanet in peccato non redeundo. Excipe si nimium salutis periculum incurreret, v. gr., si media confitendi non ei suppeterent, etc., vel si redeundo gravissimis pœnis plectendus esset.

3° Confessarius non sat prudenter egit. Debebat enim perpendere utrum Placidus ad militiam redire posset absque tanto incommodo *spirituali* vel *temporali*, et etiam prævidere utrum obligationi manifestatæ obtemperaturus esset. Id enim, quod probavit eventus, facile suspicari potuisset. Nam aliud est obligationem in *speculatione* definire, et aliud eam *in praxi* urgere, saltem in multis casibus. — *Bouvier, de Damnificatore.* — *Conférences d'Angers, de Statibus, Conf.* 5.

758. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° *Controvertitur.* Juxta alios Pacificus peccavit graviter *per se*, non tantum contra justitiam legalem et obedientiam, sed etiam contra justitiam commutativam, si alter, secus non cogendus, ejus loco substitutus fuerit; quia injuste oneri militiæ se subducendo, onus illud injecit in alium qui a militia exemptus fuisset... Singuli enim eximendi *jus strictum* habent ne talia media fraudulenta cum ipsorum detrimento adhibeantur. — *Bouvier, de Restit. q.* 2, *art.* 2. — *Gousset, n.* 1002, *Conf. d'Angers, ibid.*

Alii vero *non improbabiliter* PACIFICUM nostrum eximunt a peccato contra justitiam commutativam, et proinde a restitutione. Ratio est, quia miles sorte designatus, et fraudulenter militiæ se subtrahens, videtur peccare tantum contra obedientiam suo Principi debitam, neque causa est efficax damnorum quæ aliis inde provenire possunt. — *Sic DD. Lyonnet, Tr. de Justit. — Collator Aniciensis, de Justitia, etc.*

759. — 2° Si PACIFICUS ante sortem se mutilasset, *controvertitur* pariter utrum peccasset contra justitiam commutativam necne, ob easdem rationes. Si vero in aliam patriam se conferret, ut ibi vitam degeret, nullo modo peccaret, quia lege patriæ suæ absens non adstringeretur, cum lex extra territorium suum extendi nequeat. — *V. Comp. n.* 749.

NOTA. Cæterum confundendi non sunt conscripti ad militiam sorte legitima designati, cum iis qui pro injuste liberatis militiam subeunt; his enim indulgendum foret, cum injuste cogerentur.

CASUS XIII

DAMNUM OCCASIONE MILITIÆ 2°

TREPIDANTIUS, militiam maxime reformidans, sorte tamen designatus, ARMANDUM, medicum, pecunia corrumpit, atque ab eo infirmæ valetudinis testimonium obtinet, etsi bene valeat; sicque a militia exemptus dimittitur. En tibi casus millies quotannis repetitus et a te solvendus.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quid dicendum de* TREPIDANTIO *corruptore, et de* ARMANDO *pecunia corrupto ?*

2° *An* ARMANDUS *pecuniam acceptam restituere debeat ?*

Solutio :

760. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° TREPIDANTIUS peccavit graviter contra justitiam legalem, pecunia medicum corrumpendo, ut ab eo in fraudem legis invalidus declararetur. Peccavit etiam *probabilius,* juxta dicta in Casu præcedenti, contra justitiam commutativam, si pro ipso alter requisitus fuerit; et tunc tenetur ad restitutionem erga eum qui loco suo profecturus erit in militiam, quia per fraudem oneri militiæ se subtraxit.

2° ARMANDUS, medicus, pariter in hoc ultimo casu *probabilius* tenetur ad restitutionem defectu TREPIDANTII, cum ejus iniquitati efficaciter cooperatus fuerit. Hoc enim ex principiis absolute sequitur.

761. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Certo ARMANDUS, medicus, pecuniam a TREPIDANTIO acceptam retinere nequit, antequam eum invalidum declaraverit, quia contractus est de materia turpi, et proinde irritus. Facta autem declaratione fraudulenta, *controvertitur,* ut mox dicetur in casibus sequentibus *de materia contractus.* — *V. Comp. n.* 746.

CASUS

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

SEU

De materia contractus; de ejus objecto; de consensu requisito; de oppositis consensui, nempe de errore, metu et dolo.

CASUS I

MATERIA CONTRACTUS 1°

1° Marius Antonio : « Te liberabo, ait, ab inimico tuo, Titio, si nummos centum mihi promittas, quinquaginta statim erogando, cæteros mortuo Titio soluturus. » Annuit Antonius. Itaque Marius, acceptis 50 nummis, Titium occidit.

2° Marius, a satellitibus requisitus, Paulum rogat ut in ejus domo abscondi possit, 600 fr. ei promittens, si votis annuat. Paulus, accepta pecunia, Marium abscondit et ab omni periculo salvat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Marius, *patrato homicidio, pecuniam jam ante acceptam retinere et promissam requirere possit?*

2° *An* Antonius, *post factum, reliquam pecuniam* Mario *promissam solvere teneatur?*

3° *An* Paulus *pecuniam a* Mario *accipere vel retinere valeat, in secundo casu?*

Solutio :

762. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur,* Marius *probabiliter* potest retinere id quod, ratione contractus, ipsi promissum est. *Ita communius cum S. Lig., n.* 712, contra *alios non paucos.* Ratio est, quia, licet contractus, primum initus, fuerit invalidus ob materiam ejus turpem, seu intrinsece malam, attamen post factum intervenire videtur contractus implicitus, cujus natura exigit ut, quoties unus contrahens partem suam præstitit, alter teneatur suam implere, si licite possit. Etenim, quamvis actio turpis nullo pretio per se digna sit, pretium tamen aliquod meretur, quatenus laboriosa, periculosa aut ignominiosa agenti. Igitur, re turpi peracta, jam nullum est peccatum, si pars, quæ pretium promisit, illud solvat. Ergo Marius *probabiliter* pretium solutum servare et promissum repetere potest.

763. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Quid vero de Antonio? Non tenetur reliquam partem pretii solvere, quia Marius non habet nisi jus probabile in

illud, et proinde incerta est obligatio ipsi solvendi, ut patet ex dictis. Ergo quisque sua probabilitate uti potest, MARIUS nempe, id quod recepit servando, et ANTONIUS partem quam non adhuc solvit retinendo. In dubio enim melior est conditio possidentis. — *Reuter, n.* 109, 339.

764. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* PAULUS licite et valide cum MARIO contrahit. Nihil enim in hac conventione reperitur, quod eam illicitam aut invalidam reddere valeat. Materia enim contractus est licita, et consensus utriusque contrahentis liber; nec insuper pretium pro officio præstando exaggeratum, nisi agatur de viro exiguæ conditionis, qui pecuniam promissam solvere moraliter non possit. Ergo PAULUS pecuniam a MARIO accipere et retinere potest. Nec dicas, MARIUM contraxisse metu adactum; nam metus non fuit incussus a PAULO, sed a necessitate rerum exortus est.

CASUS II

MATERIA CONTRACTUS 2°

1° MILESIUS, a TITIO conductus ut litteras ad dissitum locum ferat, audit ROBERTUM velle etiam aliquem eo mittere, ad negotium quoddam peragendum. Illi se offert ad mandatarii partes adimplendas, et cum eo paciscitur de pretio eodem, quod jam a MILESIO obtinuit, non manifestans se jam ab alio conductum esse.

2° ARMELINA, puella, cum a LŒLIO, eam ad peccandum sollicitante, pecunia donata fuisset, consensu in actum turpem prorsus denegato, pecuniam servavit. Alias, cum ei ab eodem oblata fuisset pecunia, ea conditione expressa ut in peccatum consentiret, consensit quidem primum, sed, accepta pecunia, consensum revocat, et pecuniam sibi servat.

3° ÆMILIUS et SIMON, amici, inter se statuunt ut Lugdunum tali die conveniant, peregrinationis ad limina Apostolorum suscipiendæ causa. Advenit quidem statuto die ÆMILIUS. SIMON vero, licet non impeditus, minime comparet. Hinc ÆMILIUS, factis frustra expensis, domum revertitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MILESIUS *integrum pretium a secundo mandante accipere potuerit, vel ad restitutionem teneatur?*

2° *An* ARMELINA *pecuniam a* LŒLIO *receptam retinere possit in utroque casu?*

3° *An* SIMON *contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem erga* ÆMILIUM *teneatur?*

Solutio :

765. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* MILESIUS potuit totum pretium a secundo mandante accipere et retinere, quia non lædit jus prioris quocum contraxerat, et posteriori se utilem præstat, æque ac si pro eo solo iter susciperet.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° ARMELINA, *in prima hypothesi,* absque ulla injustitia pecuniam servare potest, quia nullum intervenit pactum de peccato

patrando, siquidem pecunia a Lœlio ad sollicitandam tantum puellam erogata fuerat. In praxi tamen, ratione periculi, vel scandali, plerumque inducenda esset puella ad pecuniam Ecclesiis exornandis, vel pauperibus, erogandam.

2° *In posteriori casu,* Armelina pecuniam servare nequit, quia concessa non fuit nisi ex pacto de peccato patrando, et proinde nulla datur ratio ad pecuniam retinendam. Etenim, non impleta conditione *sine qua non,* nullus datur consensus, ex parte Lœlii, in dominii pecuniæ translationem.

766. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Per se* non videtur Simon peccasse contra justitiam, nec proinde ad restitutionem obligari erga Æmilium. Etenim nullus contractus proprie dictus inter utrumque initus fuit, sed merum propositum habitum est. Nam Simon non intendit se obligare ex justitia, nec suscepit obligationem damnum alterius reparandi; nec alter id requisivisse videtur. Homines enim solent hujusmodi obligationem explicite declarare, quando eam suscipiunt. Porro de hac obligatione ne cogitarunt quidem. Insuper Æmilius ab itinere faciendo impeditus non est, licet solus fuerit. Attamen Simon non est excusandus a peccato gravi contra caritatem, si socium præmonere potuerit, sive nuntio, sive scripto, de propositi sui mutatione.

CASUS III

CONTRACTUS DE RE TURPI

1° Valfridus Elodiam ad peccatum inducit, sub ea conditione quod eam in matrimonium sit ducturus, si votis annuerit. Verum, crimine patrato, stare promissis recusat, quia, ait, nulla proles ex pravo consortio cum Elodia concepta est, ac proinde nullum quoque damnum reparandum.

2° Maro, cum a Fulvia sub matrimonii promissione copulam obtinuisset, fidem recusat servare, quamvis ex ea muliere prolem susceperit, quia, ait : 1° non habuit seriam intentionem eam ducendi; 2° quia ipsi nimium divitiis et conditione præstat; 3° quia sui ipsius parentes offensi remanebunt.

3° Leontius Camillam ad crimen sollicitaverat eo pacto, ut aliquam pecuniæ summam esset ipsi traditurus; patrato autem peccato, fallax homo miseram feminam, remuneratione promissa vacuam, derelinquit. Cum autem id Confessario aperuisset, ab eo ad pecuniam sub gravi solvendam adigitur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Valfridus *ad matrimonium cum* Elodia *ineundum teneatur?*

2° *An* Maro Fulviam *ducere teneatur? vel ad quid sit obligandus? Et quid de adductis ab eo rationibus sit dicendum?*

3° *An* Leontius *graviter peccaverit, promissam pecuniam non tradendo? Si vero solvisset, an pecunia a* Camilla *servari potuisset?*

Solutio :

767. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Valfridus, juxta sententiam communissimam, Elodiam ducere tenetur. Ratio est, quia contractus innominatus, *Do*

ut des, etc., perficitur tantum quando fit rei traditio, seu operis præstatio, et tunc cessat ratio et vis legum quæ pacta turpia irritant; neque enim obligatio quæ tunc ponitur in altera parte turpis est, aut ad rem turpem obligat. — *S. Lig. n.* 642, ubi dicit hanc sententiam tenendam esse. Contradicunt tamen nonnulli recentiores ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis. — *Sic Carrière, Gousset*, etc.

Attamen *S. Lig. et alii communiter Doctores* exceptiones suæ doctrinæ apponunt; scilicet : 1° si ex matrimonio timeatur pessimus exitus, ut discordia, rixæ, scandala, etc.; 2° si vir cognoverit feminam, putans eam esse virginem, sed corruptam invenerit; 3° si futurum sit familiæ dedecus; 4° *probabilius* etiam si vir conditione mulierem notabiliter antecellat.

768. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Maro tenetur ad Fulviam ducendam, si alio modo damnum reparare nequeat, quod plerumque evenit. Ratio est, 1° quia, licet ad matrimonium forte non obligetur ratione contractus, deficiente consensu, ab eo tamen non est eximendus ratione damnorum, quæ a damnificatore necessario reparanda sunt; 2° quia ad bonum commune jus naturæ postulat ut omnis fraus a contractibus absit, et propterea obligat decipientes ut in pœnam suæ fraudis teneantur adversam partem deceptam omnino indemnem facere, perinde ac si nulla fraus intercessisset. Excipe tamen nisi femina ex verbis, aut ex aliis circumstantiis, ad promittentis deceptionem facile advertere potuerit, quia in eo casu sponte decipi voluisse censetur. — *S. Lig. n.* 642, 643. — *Sanchez.* — *Sylvius, et alii communiter.*

2° Quid vero de rationibus a Marone adductis? Non valet *prima excusatio* ex ficta promissione deducta, quia existit damnum necessario reparandum. Igitur vel illud adæquate compenset, vel puellam ducat. *Secunda ratio* valere potest ad Maronem a matrimonio excusandum, si convenientem dotem Fulviæ concedat, ita ut aliud matrimonium suæ conditioni congruum contrahere valeat. *Tertia ratio* non valet, nisi in quantum damnum puellæ illatum resarciri posset, ut dictum est.

769. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Leontius *probabiliter* non tenetur pecuniam promissam solvere, si nullum sit damnum reparandum, ut sæpius contingit, quia contractus de re turpi non valet; nec constat de obligatione aliunde proveniente. Si vero mulier jam pecuniam accepisset, *probabiliter* non teneretur eam reddere, juxta superius dicta. — *V. Comp. n.* 760, etc.

CASUS IV

MINOR CONTRAHENS

1° Victor, filius minor, studiorum causa a patre suo missus alio, liberiorem vitam ducere cupiens, mox omnem pecuniam a parentibus acceptam consumpsit. Quapropter aliam pecuniam mutuo ab hospite postulavit, et simul victualia ab eodem ad creditum accepit. Cum autem his debitis satisfacere non posset, horum solutionem ab ejusdem patre hospes requirit. Sed pater ea solvere renuit, quia in hujusmodi debita a filio contracta minime consensum præstitit.

2° Alfredus, decem et octo annos natus, in nundinis cum Marcello versans, simulat se optimam occasionem debita quædam patris absentis solvendi habere. Hinc a Marcello postulat trecentos francos mutuo sibi tradendos, et a patre restituendos. Libenter hic postulatam tribuit pecuniam, fraudem nullam in adolescente suspicans. Alfredus vero pecuniam hanc in res vanas impendit.

Hinc :

Quær. 1° *An valide contrahant minores ?*

2° *An teneantur ad solvenda debita, sive nomine proprio, sive nomine parentum contracta ?*

3° *An eorum defectu teneantur parentes, etiam ante judicis sententiam ?*

4° *Quid de casu* Victoris *et* Alfredi? *An ipsi, vel eorum parentes, præfata debita solvere debeant ?*

Solutio :

770. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Validitas aut firmitas contractus a *minore* initi, a variis locorum legibus pendet. Ad eas igitur quisque in sua regione attendere debet. — De *jure naturali* minores valide contrahunt, si usu pleno rationis gaudeant. Ex *jure* vero *Gallico* minorum contractus sunt quidem validi, sed non firmi, id est, sunt rescindibiles per judicis sententiam, nisi ipsi minori faveant. Hinc, si ex contractu minor videatur læsus, ad beneficium restitutionis seu rescissionis admitti potest; secus vero, si nulla læsio subsecuta est.

771. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm. per se,* nisi per judicis sententiam excusentur; quia, ut diximus, contractus minorum de jure naturali sunt validi, usquedum juridice irritentur. Minor autem beneficio legis uti non potest ut eximatur a restitutione pecuniæ, quam mutuo accepit aut dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit, quia tenetur adimplere obligationem quam certo novit, cum pecuniam postularet. Ipsius vero culpæ tribui debet, si nullum emolumentum acceperit.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Neg.,* nisi in contractum consenserint. Nemo enim obligationem ratione contractus suscipit, nisi in illam consenserit. Neque parentes de *jure naturali* pro filiis respondere debent, nisi eorum debitis efficaciter cooperati fuerint. Ergo parentes ante judicis sententiam non sunt compellendi *per se* ad restitutionem pro filiis faciendam. — *Recole dicta supra, n.* 586.

772. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Victor tenetur ad omnia debita quæ fecit, solvenda, quia pecunia et victualia ab hospite in ejus beneficium ipsi præstita sunt. Si nunc ob impotentiam excusatur, suspenditur obligatio, non vero solvitur. Igitur, quando bona propria habebit, ex eis debita prius contracta solvere tenebitur.

Quid vero de patre Victoris? Recte egit denegando solvere ex propriis bonis debita a filio cum tanta prodigalitate, ipso inscio, contracta. Sibi imputare debet hospes, si in Victore adeo imprudenter confisus fuit.

2° Alfredus pariter debita a se contracta sive proprio, sive patris nomine compensare tenetur, saltem quando poterit, si hic et nunc in impotentia

versetur. Non enim ipsi prodesse potest fraus et malitia sua : *fraus* enim *sua nemini patrocinari debet*. Secus omnia impune a minoribus deprædationi traderentur. MARCELLUS, qui optima fide officium præstare putavit, jacturam pecuniæ suæ facere non debet. Clamat enim æquitas naturalis, eum indemnem faciendum esse. Neque pater ALFREDI pro eo solvere tenetur, ut de VICTORIS parente dictum est. — *Elbel, n.* 310. — *Gousset, n.* 747. — *Comp. n.* 762, etc.

CASUS V

UXOR CONTRAHENS 1°

1° GERTRUDIS, mulier viro alligata, inscio marito, bona quædam paraphernalia vendit, ad solvenda debita sibi et conjugi communia. Mortuo autem viro, inducitur a vicino, qui bona vendita ambiebat, ad contractus venditionis rescissionem juridice impetrandam. Majori pretio oblato illecta, GERTRUDIS huic vicino morem gerit, et recuperata bona eidem vendit.

2° CELINA, vivente marito, sed ipso inscio, dotis partem vendidit ad exstinguenda debita liberiore vita contracta. Filii vero, utroque parente defuncto, venditionis rescissionem postulant, et bona a matre vendita cum damno emptoris recuperant.

Hinc :

QUÆR. 1° *An, vel quatenus uxor contrahere possit ?*

2° *An* GERTRUDIS *in primo casu potuerit rescissionem venditionis licite et juste postulare ? Et si obtineat, an pecuniam ab emptore acceptam reddere debeat ?*

3° *An filii* CELINÆ, *in secundo casu, potuerint juste contractus a matre initi rescissionem petere ?*

Solutio :

773. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quod ad contractus uxorum spectat, etiam ad varia jura attendendum est. Ex *Jure Gallico*, uxor valide quidem contrahit, sed non *firmiter* absque mariti *consensu*, ut de minoribus dictum est. — *V. Comp. n.* 767.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* 1° GERTRUDIS ab beneficium rescissionis recurrere nequit, quia contractus venditionis paraphernalium fuit ipsi et marito utilis, cum pecunia accepta ad debita solvenda impensa fuerit. Nec est ratio sufficiens venditionem rescindendi, quod majus pretium de illis bonis ipsi a vicinis suis offeratur, modo justo pretio vendita fuerint. Si tamen infra justum pretium hæc paraphernalia vendiderit, justam compensationem repetere potest.

2° In casu in quo rescissionem contractus obtineret, pecuniam ab emptore acceptam ex integro restituere deberet, quia, rescisso contractu, singulæ partes in pristinum statum restitui debent.

774. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Filii CELINÆ beneficio legis uti possunt ad bona a matre vendita recuperanda, quia damnum ex illa venditione patiuntur. Debet igitur sibi imputare emptor, quod cum muliere sub potestate viri constituta contraxerit.

CASUS VI

UXOR CONTRAHENS 2°

Sophia virum ære alieno pressum habet. Ejus nomine et in ejus commodum, uxor pecuniam sibi mutuo tradendam ab Elodia efflagitat. Hæc vero suspicans statum rerum mariti hujus labilem esse ait : « Pecuniam tibi in viri tui favorem minime tradam, nisi tu, qui notabili gaudes dote, pro illo spondeas. » Spondet ocius Sophia; sed vir, haud multo post, cessionem bonorum omnium facere adigitur, et mœrore confectus e vivis excedit. Pecuniam suam confestim repetit Elodia. Ast Sophia solvere abnuit, quia ex lege, ait, spondere non potuit absque mariti consensu.

Hinc :

Quær. 1° *An* Sophia *pecuniam ab* Elodia *acceptam restituere debeat?*

Solutio :

775. — *Resp. ad Quæs. Affirm.* Sophia pecuniam ab Elodia acceptam omnino restituere debet, quia se contractu speciali ad id obligavit. Etenim Elodia mutuum non tradidisset, nisi Sophia pro marito spopondisset. Sciebat enim Sophia omnem obligationem quam contrahebat, necnon futurum mariti infortunium satis prævidit. Voluit igitur, stantibus his circumstantiis, se *strictissime* obligare. Quod si noluerit hujusmodi obligationem suscipere, Elodiam fraude decepit, et detrimentum quod ea patitur reparare debet.

CASUS VII

CONSENSUS IN CONTRACTU

1° Lucanus Rutilio domum 1,500 fr. vendit. Perfecto ex utraque parte consensu, statuitur quod die sequenti, hora nona matutina, adeundus esset notarius instrumenti conficiendi gratia. Interea vero id casu rescit Germanus, qui, hanc domum ambiens, pretium majus offert, ut sibi tribuatur. Hinc Lucanus renuit stare conventionibus prius initis, nisi Rutilius pretium a Germano oblatum solvat.

2° Ivo decem frumenti mensuras Andreæ vendiderat. Cum autem eas non statim tradidisset, et interea frumenti pretium repente crevisset, Ivo jam non vult frumentum tradere, nisi emptor illud juxta actualem valorem solvat.

3° Tiberius equum Hilario vendit, dum est vino captus. Die autem altera, mente sanior factus, contractum hunc vult rescindere : obsistit emptor. Tunc Tiberius venditionem confirmat ea conditione, ut Hilarius sibi auxilium præstet ad grave damnum Marino inferendum.

Hinc :

Quær. 1° *An* Lucanus *injuste egerit, pretium domus adaugendo ?*
2° *An* Ivo *potuerit pretium majus ab emptore requirere, posthabita conventione?*
3° *An valeat venditio equi facta ab homine vino capto? et an secundus contractus de damno inferendo priorem confirmet ?*

Solutio :

776. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Juxta Jus Romanum, Lucanus non injuste egit, quia venditio immobilium non perficitur, nisi per instrumentum legitime confectum. Sed ex *Jure Gallico* graviter peccavit contra justitiam et tenetur ad restitutionem, quia venditio quælibet solo vendentium consensu perficitur. *Art.* 1582 *Cod. civ.* Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo, vi cujus venditio non censeatur perfecta ante instrumenti confectionem aut rei traditionem, ut facilius evenire potest de mercibus quæ in foro publico venduntur. In casu dubii, res componenda est per arbitros, qui de consuetudine loci testimonium perhibeant.

777. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Ivo *per se* conventioni prius initæ stare debet, quia de jure naturali et jure positivo, per consensum præstitum ad rem pro tali pretio tradendam, se obligavit. Jus Gallicum *juri naturali* omnino consonat. Ex *Jure* autem *Romano,* licet venditio mobilium non sit perfecta ante rei traditionem, non est tamen plane invalida, siquidem tribuit emptori saltem jus *ad rem,* si jus *in re* non constituat. Exceptio autem dari potest, ut in casu præcedenti dictum est.

778. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Venditio prima equi omnino invalida est, si Tiberius vino captus perfecte sui compos non fuerit, ut in casu supponitur. Injuste primum egit emptor, obstando ne venditor a contractu resiliret. Nec valet ratihabitio contractus sub conditione turpi facta, saltem antequam hæc conditio adimpleatur, quia, hac posita conditione, *de jure naturali* irritatur. Attamen, damno illato, *probabiliter* valet hæc contractus confirmatio. Igitur, ante factum cooperationis in damnum, Hilarius equum reddere debet; postea autem *probabiliter* bestiam retinere potest, juxta dicta supra *in primo casu et sequentibus.* — *V. Comp. n.* 772, 881.

CASUS VIII

ERROR IN CONTRACTU

1° David, ad Irenæum veniens, ait : « Cupio a te emere tres mensuras vini de anno 1861. » Illud enim vinum ut pluris valens habebatur. De pretio statuitur ; Irenæus ad cellam vinariam Davidem ducit et ei ostendit tria vini dolia, quorum duo de anno prædicto erant, et aliud præcedentis anni. David hoc ultimum eligit. Tacet Irenæus, et vinum istud minoris valoris ipsi tradit, quia, omnibus probatis, illud elegit. David igitur numerat pecuniam pro alio vino promissam.

2° Delphinus emit vaccam quam fœtam existimat, et quæ talis non est.

Emit pannum quod bonum apparet, sed quod combustum est. Emit equum, qui die sequenti ex vitio intrinseco perit.

3° Honorius, accepta hæreditate, inter res a testatore relictas annulum invenit, lapide, quem cristallinum reputat, exornatum. Illum mediocri pretio vendit Paulino, qui et ipse putat talem esse ejus valorem. Sed postea aliquis peritus detegit esse lapidem adamantinum, et notabili pretio illum emit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Irenæus *ad restitutionem teneatur?*
2° *Quid, si quis emisset vinum Burgundinum pro vino Burdigalensi?*
3° *An* Delphinus *valide contraxerit in prædictis casibus?*
4° *Quid de validitate contractus in tertio casu? Vel cui restituendum?*

Solutio :

779. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Contractus quoad substantiam valet, quia error est tantum accidentalis. Attamen Irenæus tenetur ad restitutionem *pro rata* excessus pretii vini melioris, si revera illud, quod tradidit, tanti vendat quanti illud vendidisset.

780. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Per se* error esset tantum accidentalis, ut in casu præcedenti. Valeret igitur contractus cum obligatione tamen damnum resarciendi si vinum emptum sit valoris inferioris, ut modo dictum est. Dixi *per se*, quia non valeret contractus, si emptor motivo speciali duceretur ad tale vinum emendum, v. gr., pro remedio vel pro alio fine ad quem aliud vinum non conduceret. — *Reuter, n.* 114.

781. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Valet emptio vaccæ, quia in casu nihil de fœtu stipulatum fuit. Venditor igitur emptorem non decepit. Quid vero si asseruisset vaccam fœtam esse? Error esset accidentalis, saltem generatim; quare satis esset *pro rata* damni restituere. Secus tamen, si emptor significasset se velle vaccam fœtam ad lac habendum, et vacca ista lacte careret.

2° Quoad pannum, error *substantialis* est, adeoque invalidus contractus, et damnum adæquate resarciendum.

3° Quoad equum, error quoque *substantialis* est, quia tempore venditionis equus nullius valoris erat. Proinde venditor ex integro pretium restituere debet.

782. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Error *substantialis* in annuli venditione datur, licet venditor et emptor bona fide fuerint, et rem pretio multo minori valere existimaverint. Plures et gravissimi Theologi dicunt valere contractum, licet error sit *notabilis* in pretio rei extraordinariæ; sed hic error circa rei substantiam versatur, siquidem vitreum reputatur id quod reapse adamantinum est.

CASUS IX

DOLUS IN CONTRACTU

1° Vincentius cupiens domum suam summo pretio Leoni vicino suo vendere, simulat se de hujus domus venditione agere cum Ursino, homine

iracundo, rixoso, et ab omnibus vicinis reformidando. Tunc Leo festinat ei pretium requisitum offerre, ne vicinum adeo ingratum sortiatur.

2° Narcissus a Gordiano pecuniam mutuo acceperat, cum pacto de fenore legali quotannis solvendo. Anno elapso, Narcissus, censum annuum retribuendo, dicit Gordiano : « Nolo ego in posterum tibi concedere, nisi quatuor pro centenis singulis; quod si nolis, totam pecuniam tuam tibi restituam. » Porro non erat ille sic peracturus; pecunia enim indigebat. Gordianus, ad dolum non advertens, consensum præstat.

Hinc :

Quær. 1° *An sit validus contractus in primo casu? et an* Vincentius *aliquid emptori restituere debeat?*

2° *An* Narcissus, *in secundo casu, teneatur solvere fenus, ut antea solvebat?*

Solutio :

783. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Contractus videtur validus quoad substantiam, si Leo libenter quidem domum acquirat, utpote sibi vere utilem; licet enim eam, secluso dolo, non emisset, non tamen censetur proprie invitus. Attamen in hoc casu, saltem quoad summum domus pretium, decipitur emptor, proinde pro illo pretii excessu saltem jus ad compensationem habet.

2° Contractus habendus est ut invalidus, si domus ementi sit parum utilis, ita ut valde ægre, seu cum magna voluntatis repugnantia eam emerit, et unice quidem ad vicinum adeo invisum a se removendum, quia tunc consensus est omnino erroneus, seu error aut dolus est vere causa movens contractus.

784. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Distinguendum est : 1° Narcissus non facit injuriam Gordiano, nec proinde tenetur solvere quinque pro centum in posterum, si habeat pecuniam vel habere possit ut sortem refundat; quia reapse cedit de jure suo sortem refundendi, eaque refusa, Gordianus forte non plus accipiet.

2° Si vero Narcissus pecuniam non habeat, nec habere possit, mentitur et injuriam facit, ac proinde ad restitutionem tenetur, quia de potestate refundendi non cedit, cum potestate illa careat; proinde jus imminuendi pensionem non habet, et stare contractui tenetur. Nec dicas intervenire dolum in primo casu æque ac in secundo : nam in primo casu dolus non est injustus, cum Narcissus jus habeat contractum rescindendi; secus vero in secundo casu. — *Reuter, n.* 122. — *Lacroix, n.* 635 *et* 1018.

CASUS X

METUS IN CONTRACTU

1° Nicetas metu gravi adigitur ad aliquod donum Alipio, cognato suo, erogandum, et ad agrum Drusillo, vicino suo, vendendum.

2° Sidonius vicinum habet improbum, a quo mala gravissima reformi-

dat; minas enim mortis et incendii pluries repetitas in mediis querelis ab ipso audivit. Ut illum ad discedendum cogat, ejus domum summo pretio emit.

Hinc :

Quær. 1° *An contractus ex metu gravi initus sit validus? Et quid de utroque contractu in primo casu proposito?*

2° *An valeat contractus emptionis domus in secundo casu?*

Solutio :

785. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Contractus *gratuitus* ex metu gravi initus est certo *invalidus,* quia, stante metu gravi, deficit spontaneitas, quæ ad gratuitam donationem omnino requiritur.

2° Quoad contractum *onerosum, controvertitur :* probabiliter etiam est *invalidus,* quia jus ab injustitia oriri nequit. Attamen Doctores *communius affirmant* validum esse, quia ille qui metum patitur, vult absolute contrahere; sed dicunt, talem contractum rescindibilem esse ad nutum illius qui metum passus est : quare, practice loquendo, parum differunt ambæ sententiæ. Hinc donatio Nicetæ corruit, et venditio agri probabiliter non valet. — *V. Comp. n.* 781.

786. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur :* emptio domus a Sidonio peracta non videtur valere, quia, licet metus non fuerit incussus in ordine ad contrahendum, contractus tamen non fit nisi ad propulsandam injustam vexationem ex parte alterius contrahentis. Secus esset dicendum, si metus ille ab alio tertio proveniret. — *V. Comp. n.* 783. — *Reuter, n.* 127.

CASUS XI

CONDITIO IN CONTRACTU

Fridericus, homo dives, sed improlis, jamjam moriturus, sequentia constituit legata : 1° dedit Rosæ, puellæ tenuis conditionis, 1,000 nummos, si nubat; 2° dedit Rosaliæ, filiæ spirituali, seu a Baptismo, 100 aureos, si Religionem ingrediatur; 3° dedit Rosinæ, famulæ suæ, 300 scuta, si apud Catharinam, uxorem suam, maneat. Sed, mortuo legatore, Rosa Monialis fieri cupit, Rosalia nuptias ambit, et Catharina, uxor, in monasterio se includit ubi Rosina, famula, illi servire non potest.

Hinc :

Quær. 1° *An* Rosa *legatum servare possit, licet conditionem non adimpleverit?*

2° *An* Rosalia *jus ad legatum habeat?*

3° *An* Rosinæ *legatum competat, licet dominæ non adhæreat, cum ipsi inservire nequeat?*

Solutio :

787. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Rosa jus habet ad legatum, quia testator evidenter ei favere voluit, ut statum honestum amplecteretur, et e peri-

culis corporis et animæ eriperetur. Insuper status religiosus est vere connubium spirituale, et si a testatore excluderetur, esset conditio turpis, quæ pro non adjecta censeretur. Quare legans præsumitur voluisse Rosæ succurrere : ut honeste nubere posset, si vellet, aut alium statum honestum eligere ac servare. Attamen attende ad circumstantias. Etenim, si testator dixerit : « Lego Rosæ mille aureos, si Petro consanguineo meo nupserit, » corruit dispositio, nisi illi nubat, quia legans voluit favere non soli Rosæ, sed etiam consanguineo suo Petro. — *S. Lig. n.* 930. — *Reuter, n.* 131. — *Comp. n.* 830.

788. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Rosaliæ quoque legatum debetur, quia ex circumstantiis etiam præsumi potest testatorem voluisse ei speciali modo favere, cum in ejus Baptismo patrinus fuerit; nec censetur intendisse eam legato destituere, si ad Religionem se vocatam non sentiat.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Quid de Rosina famula? Etiam ipsi indulgendum videtur, quia per ipsam non stetit quominus apud Catharinam non maneret. Etenim testator voluit prospicere tum uxori, disponendo ut famula fidelis eam soletur eique inserviat, tum ipsi famulæ, quæ sibi non mediocriter satisfecit, cum exoptat eam suæ conjugi adhærere. Ergo etiam Rosinæ concedendum est legatum.

CASUS XII

CASUS IMPROVISUS DUPLEX

1° Urbanus Juliano, messori : « Vis, inquit, agrum meum metere crastina die? — Esto, » reponit iste. — Hinc de justo pretio paciscuntur. Julianus vero, qua de causa nescio, rem in diem alteram protrahit. Verum, o casum infelicissimum! cum messor ad opus se accingeret, ecce horribilis grando imminet, instat, messem invadit, integramque vastat. Inde iræ Urbani, damni reparationem exposcentis, atque inde tibi solvendus casus.

2° Marinus, sutoris famulus, homo quidem bonus, sed pecunia destitutus, cum veste indigeret, nec in præsentibus ejus pretium solvere posset, patronum Rogerium rogat ut pro se apud Achillem, sartorem, sponsor esse velit. Libenter annuit ille, ea tamen lege ut vestis famulo conveniat. Mox conficitur prædicta vestis. Verum, cum primum vestis a sartore affertur, non satis probatur. De corrigendis defectibus quibusdam mutuo consensu statuitur. Paucis post diebus, redit sartor denuo vestem deferens. Sed heu! o casum inexspectatum! Marinus repentina morte correptus, jam sepulcro condebatur. Hinc lis oritur inter Achillem et Rogerium. « Solve vestis pretium, clamat prior. — Probes eam homini convenire, inquit reboando posterior. — Sed sepultus est. — Quid ad me? » — Suadent adstantes, ut lis ad judicem deferatur.

Hinc :

Quær. 1° *Quis damnum subiturus in primo casu?*
2° *Quis jacturam feret in secundo casu?*

Solutio :

789. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Julianus, messor, *per se* non tenetur damnum reparare, saltem ante judicis sententiam, quia mora quam attulit brevior est, ut ad culpam gravem imputetur. In contractibus enim hujusmodi tempus moraliter, non vero physice accipiendum est. Hinc applicandum est axioma : *Parum pro nihilo reputatur*. Casus igitur hujus damni, ut *extraordinarius* et omnino *fortuitus* habendus est. Secus autem dicendum esset, si in conventione dies ita fuisset affixa ut nulla mora intercedere posset, scilicet : Vel operam crastina die præstes, vel alium conducam ; tunc enim messor moram etiam minimam protrahens, rei periculum in se suscipit. Excipiendus etiam est casus in quo tempestas prævideri facile potuisset, v. gr., si tempus procellosum esset. Si vero judicis sententia intervenerit, Julianus totum damnum resarcire debebit, cum saltem culpam juridicam admiserit.

790. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Qualis sententia a judice ferenda, saltem in tribunali conscientiæ, primo aspectu non satis liquet. Re tamen sedulius perpensa, jus sartori tribuendum videtur, et proinde sutor ad pretium vestis solvendum damnandus. Etenim conditio inter contrahentes apposita omnino accidentalis apparet, scilicet, famuli patronus pro eo simpliciter spondet, sed ea tamen conditione ut non sit pretium vestis soluturus, nisi quando eam rite confectam esse constabit. Postquam autem jam semel probata fuerit, præsumendum minime est eam secunda vice convenientem non esse futuram ; judicandum enim est ex ordinarie contingentibus. Quod si in aliquo adhuc deficeret, ageretur de levi defectu, qui causam justam solutionem denegandi non tribueret ; *parum enim pro nihilo reputandum est*. Insuper, stante casu, si patronus non spopondisset pro famulo, certo hujus hæredes vestem solvere tenerentur ; ergo etiam ipse patronus, cautio factus, solvere debet, servato tamen in hæredes recursu.

CASUS XIII

MODUS VINUM MELIORANDI

Publius, caupo, suis hospitibus vinum satis generosum apposuit. Attamen ipsis minime placuit, ex eo quod asperum nimis et rigidum visum fuerit. Hinc aliud vinum melius postularunt. Quid consilii Publius capesset? Meliori vino prorsus destituitur ; sed mirum et facilem modum excogitat vinum suum meliorandi, ita ut honori simul et commodo suo prospiciat. Ecce, disce secretum : Publius extemplo hospitibus promisit, se mox aliud vinum quod melius saperet allaturum esse. Itaque in cellam vinariam revertitur, eidem vino aquam infundit, sicque satis aqua dilutum, bibulis apposuit, et aucto quidem pretio, ne illi crederent hoc esse deterius vino prius allato. Hospites, rei prorsus ignari, libenter vinum acceptantes, cum gustu biberunt, et pretium adauctum solverunt.

Hinc :

Quær. 1° *An* Publius *contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur ?*

Quær. 2° *Quid, si novum pretium non excedat adhuc illud rei pretium quod summum dicitur?*

3° *Quid dicendum de illis qui ex more vinum aqua diluunt, sive ministrandum sit hospitibus, sive magna quantitate aliis vendendum?*

Solutio :

791. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid dicam de Publio? An exquisita ejus industria mihi probanda erit? Minime gentium : nam fraudem et fallaciam sapit, ut nemo non videt. Omnes igitur unanimi ore eum arguent de injustitia gravi vel levi, juxta deceptionis proportionem, seu pro quantitate vini ab hospitibus consumpti et pretii excessu. Audiat effatum : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Quare enim modum hunc mirum meliorandi vinum bibulos ipsos non edocuit? Si id rescirent, quibusnam verbis hominem compellarent? Numquid numerosiores in suum hospitium confluerent? Attamen, si semel aut raro industria ista usus fuerit, et exiguam vini quantitatem ministraverit, veniam facilem a me consequetur. Secus vero ab onere restitutionis, saltem pauperibus faciendæ, si aliter fieri nequeat, immunis minime evadet.

792. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Si pretium quod ab hospitibus exigitur summum vini pretium non superet, facile Publius a peccato et ab onere restitutionis absolvendus est, quia tunc fraus vel nulla vel admodum exigua intervenit. Præterea caupo noster supponitur id fecisse ob justam causam, seu ad honorem suum, necnon ad hospitum concursum servandum. Ob similes autem rationes permitti potest ut merces aliquo modo mixtæ aut minoris valoris effectæ vendantur, modo deceptio illa non sit æquo gravior. Excipe tamen, nisi vini pretium fuerit a magistratu taxatum, quia cauponi tunc non esset licitum pretium illud excedere; porro excederetur, si aqua dilutum eodem modo venderetur. — *Elbel, de Restit., n.* 164.

793. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Quoad vinum bibulis ministrandum, casus jam ex dictis resolvitur. Attamen sine speciali causa communiter permittendum non est cauponibus ut vinum aqua mixtum summo pretio vendant, quia hospites, fraudem ignorantes, injuste coguntur ad pretium illud summum tribuendum.

2° Si vero vinum in magna quantitate vendatur, ita ut brevi tempore non sit bibendum, gravissimæ injustitiæ evadunt rei mercatores illud notabili aqua diluentes, licet pretium justum non excedant, quia vinum illud facilius acescit et deterius evadit. — *V. Comp. n.* 896.

CASUS XIV

EVISCERATUS CANIS

Fulgentius mille francos, ratione mutui, Drusillo tradiderat. Elapso mutui tempore, Drusillus debitum soluturus, domum Fulgentii petit. Hunc cum familia, prandendi gratia, mensæ accumbentem reperit. Comiter exceptus et rogatus, cum accumbentibus et ipse discumbit. Syngrapham mille francorum referentem in mensa reponit, minime suspicans id

quod adeo infeliciter eventurum erat. Dum convivæ congaudent, ecce, aperta fenestra, repentinus venti turbo syngrapham sublevans, in jurulentum pulmentum projicit. Hanc ocius extrahit FULGENTIUS, extremoque angulo apprehensam, tenet pendulam extra mensam, ut juris guttulæ diffluant. Sed, heu! hic adstabat ejus canis, qui jurulentam et pinguem schedulam cernit, inhians ore arripit voratque. Absque mora, vitam cani eripere statuunt, sed aufugiens animal, sub nocte tantum domum revertitur. Evisceratur extemplo, sed tardius! concocta jam penitus erat schedula. Inde lis FULGENTIUM inter et DRUSILLUM instituitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quis damnum subire debeat?*

2° *Quid, si* DRUSILLUS *ipse schedulam ex pulmento extraxisset, et periculo tali exposuisset?*

3° *Quid, si canis* DRUSILLI *vel alterius fuisset?*

Solutio :

794. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid de casu? Ecce frustra canis cruenta cæde peremptus est; ejus nece lis acerrima impediri nequit. Tibi igitur superest dirimenda, sed cuinam e contendentibus favebis? An creditori? vel potius debitori? Vel utrumque damnabis ad damnum pro dimidia parte subeundum? Ego vero puto DRUSILLUM debitorem ab omni obligatione pecuniam iterum solvendi dimittendum esse. Quidni tu quoque? Mecum sane junges manus, si rem tantisper introspexeris. Etenim DRUSILLUS syngrapham aperte coram omnibus accumbentibus exhibuit, et in media mensa ante ipsum dominum apposuit, eo vidente. Quis e convivis tunc dubitavit peractam esse solutionem? Nemo prorsus. Ergo FULGENTIUS creditor abhinc censetur debitum suum recuperasse. Ergo, si postea pereat, ipsi domino seu FULGENTIO perit. Nonne insuper in ejus manu periit? Nonne ab ejusdem cane vorata est syngrapha, dum ipse eam teneret? Ergo FULGENTIUS solus totum damnum pecuniæ simul, et ipsius canis jacturam subire debet.

795. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Nova hypothesis adjecta casus substantiam minime mutat. Etenim ex dictis solutio censetur facta fuisse statim ac schedula super mensam apposita est; ergo rei interitus superveniens a FULGENTIO sufferri debet: res enim perit domino, nisi culpa theologica alterius perierit; hoc autem est contra suppositum : nam, si DRUSILLUS ipse syngrapham e pulmento extraxisset, id ex animo officioso peregisset, nec proinde graviter peccasset; ergo...

796. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Neque hæc nova circumstantia casum substantialiter mutaret, et semper damnum a FULGENTIO creditore subeundum esset. Etenim, facta solutione, totum syngraphæ periculum ipse subit, nisi alterius culpa theologica pereat. Ergo FULGENTIUS jacturam tum pecuniæ tum canis subeat. Durum! Sed est casus fortuitus, ut tot alii qui in hoc mundo sublunari accidunt.

CASUS

DE PROMISSIONE ET DONATIONE

SEU

De promissione; de donatione inter vivos; de donatione conditionata; de revocatione donationis; de donatione mortis causa; de donatione parentum.

CASUS I

PROMISSIO 1°

1° Antonius promittit Petro amico suo, se illi centum nummos daturum fore. Postea vero, mutata sententia, promissis stare recusat. Petrus autem pluries in mentem Antonii promissum revocat, sed frustra surdo canit. Quamobrem pecuniam hanc clam ab amico surripit.

2° Marcellus Apolloniæ 300 aureos promisit in dotem, modo Alberto nubere vellet. Anceps hæret aliquandiu puella. Pater ejus donum pro ea libenter acceptat. Verum Marcellus, mutata mente, promittit se hanc pecuniam erogaturum esse partim nosocomio, partim pauperibus, partim puero quinquenni cognato suo. Ast iterum mutat consilium, et integram summam sibi servat.

3° Victorinus, Sacerdos, variis amicis promittit, præter specialem memoriam in quotidianis precibus, ad aram præsertim Sacrum pro illis se applicaturum; non raro tamen in servandis promissis incuriosus est.

Hinc :

Quær. 1° *Quomodo obliget promissio, saltem acceptata?*
2° *Quænam acceptatio requiratur, vel sufficiat?*
3° *An, vel quomodo peccaverint præfati promissores?*

Solutio :

797. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Obligatio promissionis *probabiliter* non urget, nisi sub levi et ex sola fidelitate, quia contractus gratuitus obligat tantum *per se* sub vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur urgere sub gravi, nisi promittens veram obligationem justitiæ suscipere velit, in quo casu obligabitur sub gravi in materia gravi. Sæpius promissiones simplices, ut communiter fiunt, nec ex fidelitate quidem urgent, quia in animo promittentis non est fidem suam obligare; merum igitur propositum enuntiant. — *V. Comp. n.* 798.

798. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Requiritur ad promissionis obligationem, ut vere a promissario acceptata fuerit; quia nemo censetur velle se erga alium

obligare, nisi iste acceptet. Potest autem aliquis per alium acceptare, v. gr., per mandatarium, quia mandans et mandatarius unam personam moralem constituere censentur. Potest etiam promissarius acceptare per alium, qui ejus curam gerit, vel censetur unam personam moralem cum eo efficere, v. gr., filius per patrem, pupillus per tutorem, uxor per maritum et vice versa, Ecclesia per Prælatum, monasterium per Superiorem, etc...

799. — *Resp. ad 3um Quæs.* 1° Antonius peccavit venialiter contra fidelitatem tantum, si promissio vera et non merum propositum fuerit. Sed peccavit graviter Petrus contra justitiam, pecuniam hanc surripiendo, quia caret jure in re ipsa; siquidem promissio vera, etiam ex intentione se obligandi ex justitia, non dat nisi *jus ad rem*, seu non dat nisi actionem in personam promissoris, ubi lex contractum promissionis agnoscit. Insuper, nescit Petrus utrum Antonius voluerit se vere obligare necne.

2° Marcellus minime peccavit, pecuniam Apollioniæ promissam denegando; quia, cum ageretur de contractu oneroso, pater ejus pro ea minime acceptare potuit. Neque peccavit secunda vice, intentionem suam revocando, quia nulla acceptatio variarum promissionum subsecuta fuerat.

3° Victorinus ad summum venialiter peccaret, si strictam promissionem fecisset; sed plerumque promissiones hujusmodi non sunt aliud nisi propositi manifestatio, non vero strictæ promissiones. Adde quod plerumque debita acceptatio deficiat.

CASUS II

PROMISSIO 2°

1° Gorgonia, vetula, promittit Lucinæ, contubernali et amicæ suæ, se ei daturam esse modicam, quam habebat, pecuniam, ut post mortem suam partim in proprios usus, partim in opera pia et præsertim in Missas eam impendat. Postulat hæc enixe, ut velit igitur testamentum in ipsius favorem condere ad tricas vitandas; promittit illa, sed cum aliquandiu distulisset, morbo gravi correpta, sensibusque statim destituta, intestata moritur. Lucina vero pecuniam sibi notam subducere festinat, dimidiam ejus partem in opera pia impendere intendens. Sed postea anxia quærit a Confessario an potuerit pecuniam hanc sibi arrogare: 1° ex titulo promissionis; 2° quia amicæ diu infirmæ curam habuit; 3° quia solus hæres naturalis Titius, frater defunctæ, est impius, et proinde Missas pro sororis anima celebrari non curabit.

2° Nicasius, Sacerdos, Blandinæ, ancillæ, se aliquid daturum ad gratum animum ostendendum promittit. Alias de centum vel bis centum francis ipsi erogandis sermonem habet. Sed ecce! morte repentina ille corripitur. Blandina autem, promissionis memor, festinanter ad cistam advolat et 200 fr. accipit. Sed postea ab hæredibus, rem nonnihil suspicantibus, ad judicem probabiliter traducenda, quærit a Confessario an jurare possit se nihil accepisse?

Hinc:

Quær. 1° *An* Lucina *potuerit præfatam pecuniam accipere et servare ob rationes ab ipsa allatas?*

Quær. 2° *An* Blandina *pecuniam a domino promissam accipere potuerit, et jurare se nihil accepisse?*

Solutio :

800. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Lucina præfatam pecuniam accipere et servare non potuit, saltem ratione promissionis. Ratio est : 1° quia non videtur intervenisse promissio proprie dicta, sed quædam vaga futuræ intentionis manifestatio, quæ mero proposito æquivalet; 2° quia promissio jus accipiendi minime tribuit, cum jus *in re* non constituat, juxta dicta in solutione casus præcedentis. Dixi *saltem ratione promissionis,* quia, si Lucina curam mulieris infirmæ non suscepisset, nisi ex eo quod præfata promissio ei facta fuerit, jus ad mercedem sane haberet, et *pro rata* temporis et officiorum Gorgoniæ præstitorum, pecuniæ partem vel etiam totam retinere posset. Quod autem attinet ad Missas pro defuncta procurandas, generatim non valet allata ratio; quia pecunia relicta jam non est Gorgoniæ, utpote mortuæ, sed ad ejus hæredem pertinet. Attamen minime damnanda foret Lucina, si exiguam pecuniam pro Sacris ad intentionem defunctæ faciendis impenderet, si verum sit, fratrem impium aut incuriosum nulla vel paucissima pro sororis anima procuraturum esse; tunc enim voluntas moribundæ certo præsumenda foret.

801. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Quid de Blandina? Nulla ratione ei indulgere licet; furtum enim patravit, et proinde ad restitutionem tenetur, nedum jurare possit se nihil accepisse. Etenim non constat de promissione proprie dicta a Nicasio facta; imo evidenter non fuit nisi propositum vagum et indeterminatum, cum nequidem certam summam affecerit. Insuper, etiam concessa promissione vera et determinata, Blandina non potuisset sibi pecuniam arrogare, cum promissio nonnisi jus ad rem et non in re tribuat. Excipe, si herus ancillæ auctarium stipendii certo promisisset, quod in casu non reperitur. — *V. Comp. n.* 797. — *Gousset, n.* 798.

CASUS III

DONATIO INTER VIVOS

1° Benno, jamjam moriturus, Margaritæ, uxori suæ, mille nummos donare statuit, tum ut ejus curas et egregia officia in se collata rependat, tum ne a filio suo unico minus reverenter tractetur et etiam posthabeatur. Rogat igitur illam, ut præfatam pecuniam in arca positam statim accipiat. Acceptat quidem uxor; sed magis sublevando viro quam proprio commodo intendens, donum sibi erogatum, nisi post donatoris mortem, non accipit.

2° Blasius Odillæ, nepti suæ absenti, mille aureos per nuntium mittit. Sed moritur Odilla antequam nuntius ad eam pervenerit. Donum petunt ejus filii, sed dubitat nuntius utrum sit eis tribuendum.

3° Agoardus 200 nummos ad Drusillam, consanguineam, per Titium mittit. Sed nuntius hos sibi injuste retinet. Re autem post donatoris mortem detecta, hanc pecuniam reclamant tum Agoardi hæredes, tum Drusilla, donataria.

Hinc :

Quær. 1° *An sit valida donatio in primo casu? An uxor pecuniam potuerit accipere post mariti mortem? et an filius donationem impugnare posset?*

2° *An donatio cedat in favorem hæredum* Odillæ, *in secundo casu? vel donatori reddi debeat?*

3° *An, in tertio casu, pecunia reddi debeat* Drusillæ *vel* Agoardi *hæredibus?*

Solutio :

802. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Donatio facta Margaritæ a viro suo moribundo, validissima est; gaudet enim omnibus conditionibus ad valorem requisitis : nam est libera, clara, determinata, acceptata, et ab homine habili ad donandum inter vivos facta; supponitur enim filii legitimam non inde lædendam esse : ergo translatio dominii pecuniæ, vivente viro, in uxorem facta est. Ergo uxor pecuniam accipere potest ad libitum, sive ante sive post mortem conjugis; hæc enim temporis circumstantia ad casum omnino indifferens est. Ergo filius donationem impugnare non potest, cum sit donatio inter vivos omnino valida.

803. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Distinguendum est. Donatio donatori reddi debet, si unice vel principaliter intenderit favere donatariæ, quia corruit motivum finale quo impulsus fuit. Debet autem pecunia hæredibus Odillæ tribui, si Blasius ipsis primario vel æqualiter intenderit benefacere, quod ex circumstantiis dirimendum est. In dubio, donator de mente sua erit interrogandus.

804. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Controvertitur.* Probabilius non valet donatio quia non fuit acceptata vivente donatore, et eo mortuo ejus voluntas uniri nequit cum consensu donatariæ. — *S. Lig. n.* 729. Attamen, si pecunia Drusillæ tribuatur, *probabiliter,* juxta plures, eam servare potest, modo nuntius voluntatem defuncti manifestet. — *V. Comp. n.* 802-810-812.

CASUS IV

DONATIO CONDITIONATA

1° Beatrix Juliæ, sorori suæ, donatione inter vivos, tradidit prædium 15 millibus fr. valens, ea lege ut, dum viveret, 100 fr. solveret ad puellas pauperes educandas; sed, Beatrice absque testamento defuncta, Andreas, ejus frater, clausulam aliquam, lege prohibitam, in prædicta donatione detegens, ejus rescissionem juridice postulat obtinetque. Julia vero, pretio recuperata dimidia parte prædii a qua evicta fuit, a Parocho urgetur ad 100 fr. donationi adnexos solvendos; ab aliis consultis, ad partem dimidiam hujus summæ retribuendam obligatur; ab aliis ab omni debito liberatur. Tu autem quid dicis?

2° Quidonius, mercator, Bibianæ, nepti suæ, matrimonium contrahenti, 3,000 fr. promiserat; sed cum, elapsis pluribus annis, sortem notabiliter

adversam expertus fuisset, et insuper marito Bibianæ minime contentus esset, existimat se a contracta obligatione jam solutum esse.

Hinc :

Quær. 1° *An* Julia *in primo casu ad* 100 *fr. vel ad* 50 *fr. solvendos teneatur, vel ab omni prorsus debito sit excusanda?*

2° *An* Quidonius *a facta promissione liberetur?*

Solutio :

805. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid ad casum Juliæ? Est quidem, ut multi alii, casus factus non fictus; sed quomodo solvendus? Dico Juliam neque ad 100 fr. singulis annis erogandos, neque ad 50 quidem teneri, sed ab omni prorsus obligatione liberandam esse. 1° Non tenetur Julia ad 100 fr. annuatim solvendos. Quonam enim titulo, quæso, ad id obligaretur? Numquid titulo donationis a sorore factæ? Sed nullam accepit donationem *inter vivos,* cum hæc juridice irritata fuerit. Numquid titulo hæreditatis? Sed Beatrix nullam imposuit obligationem hæredibus suis, siquidem *ab intestato* decessit. Quare ratione hæreditatis magis teneretur Julia, quam ejus frater Andreas? Nonne sunt titulo pares? — 2° Neque tenetur Julia ad 50 fr. Ratio satis liquet ex dictis. Etenim ad pium opus non adstringitur ratione neque donationis neque hæreditatis, ut dictum est. Sed neque urgeri potest ratione emptionis alterius dimidiæ partis prædii; hæc enim hypothesis præcedenti absurdior est. Ergo turpiter errarunt tum Parochus, tum alii Doctores consulti, qui Juliam ad aliquid quotannis erogandum, ut piæ intentioni sororis satisfaceret, obligarunt.

806. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Si agatur de simplici promissione, Quidonius sane ex duplici ratione allegata facile ab omni obligatione liberatur; quia, si hæc prævidisset, certe a promissione abstinuisset. 2° Si vero sermo sit de donatione *inter vivos,* multo difficilius revocari potest. Imminutio enim bonorum non est causa sufficiens ad eam rescindendam; neque valet alia ratio, scilicet quia maritus Bibianæ malis imbuatur moribus, nisi præterea ex ejus parte injurias atroces acceperit. — *V. Comp., n.* 810, 813.

CASUS V

REVOCATIO DONATIONIS

1° Ubaldus, improlis, tertiam bonorum partem amico suo Sidonio, et aliam tertiam partem Balduino, fratris sui filio, *inter vivos,* donat. Sed, anno vix elapso, ex uxore suscipit filium, qui post diem alteram mortuus est. Eodem tempore injuria valde gravi a Balduino afficitur. His ductus rationibus utramque donationem revocat.

2° Remigius, cælebs, bona sua omnia nepoti suo Alberto donavit, vitalitio censu sibi reservato. In ipso autem donationis actu declaravit, se cuilibet juri donum revocandi renuntiare. Verum Albertus censum annuum non solvit, nisi multoties requisitus et coactus. Imo die quadam, cum donator repeteret debitum, diris conviciis gravissimisque vulneribus obru-

tus est. Quamobrem Remigius donationis revocationem a judice postulat; sed, antequam sententia feratur, ipse e vivis excessit. Hæredes autem doni restitutionem donatoris loco repetierunt.

Hinc :

Quær. 1° *Quandonam revocari possit donatio inter vivos ?*

2° *An donatio, in primo casu, valide ab* Ubaldo *revocata fuerit ?*

3° *An* Remigius, *in secundo casu, donationem revocare potuerit, licet juri suo revocandi renuntiaverit ?*

4° *An ejus hæredes, ipso mortuo, donationem repetere potuerint ?*

Solutio :

807. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Donatio *inter vivos* revocari potest de jure communi in casibus sequentibus : 1° si donatarius donationis conditiones non adimpleat; 2° si enormiter ingratus sit, v. gr., si donanti atroces injurias inferat, si inopia pressum non alat, etc.; sed ingratitudo juridice probanda est; 3° si donator, prole carens, magnam partem bonorum donaverit, et postea nascatur proles, ob implicitam conditionem donationi appositam; 4° si donatio sit inofficiosa contra officium pietatis paternæ, v. gr., si pater donis noceat *legitimæ* filiorum; sed tunc donatio infirmatur tantum quoad partem in qua filii fraudantur. — *S. Lig. n.* 728. *Ex jure Gallico,* ob easdem rationes donatio *inter vivos* revocari potest; sed, si res fuerit tradita, aut donatio in instrumento publico consignata, nonnisi per judicis sententiam fieri potest. Superveniente autem prole legitima, donatio ipso jure revocatur, *ex art. Cod. civ.* 960. Idem dicendum de prole illegitima, per subsequens matrimonium legitimata.

808. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Valet revocatio utriusque donationis ratione prolis natæ, licet tam exiguo tempore vixerit. Ratio est, quia, ipso facto nativitatis filii, donator recuperat id quod antea donaverat; proinde donatio per mortem prolis non reviviscit. — *Pontas, verbo* Donation, *cas.* 9.

809. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Remigius certo donationem revocare potest, licet juri suo revocandi renuntiaverit, quia hæc renuntiatio fieri valide nequit contra legis dispositionem. Porro Remigius ex duplici capite donationem suam revocare potest, scilicet, quia Albertus conditiones dono affixas non adimplevit, et insuper gravissimis conviciis imo et verberibus donatorem affecit. Ergo Remigius potuit valide et licite donationis revocationem a judice requirere et obtinere.

810. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Affirmative ex *Jure Gallico,* sed in solo casu ubi ipse prior causam agere incepit. *Art.* 957. — Non valeret revocatio donationis, si injuriæ atroces non a donatario, sed ab ejus proximis consanguineis, v. gr., ab uxore aut filiis provenirent, quia privilegium donum revocandi nonnisi propter injurias ipsiusmet donatarii conceditur.

CASUS VI

DONATIO MORTIS CAUSA 1°

Privatus, ægrotans, advocat Belinam, famulam suam, et ait : « Si morior, accipies ex arca mea capsulam centum nummis refertam. Hanc

post mortem meam tibi donatam volo. » BELINA, gaudio et lacrymis superfusa, millenas grates hero suo rependit. Verum adstabant solliciti hæredes futuri. Vix PRIVATUS animam efflaverat, cum illius bona illico obsignata fuere, et inde miseræ famulæ abstracta est via capsulam præfatam obtinendi. Reclamat, sed frustra, apud hæredes; ab eis enim repulsam patitur. Quid igitur BELINA? Occulta compensatione, data occasione, paulatim utitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An hæredes injuste denegaverint ancillæ pecuniam a* PRIVATO *promissam?*

2° *An ancilla potuisset juste post mortem pecuniam hanc accipere, etiamsi ipsa sola donationem noverit?*

3° *An juste ad occultam compensationem recurrerit?*

4° *Quid, si herus ei dixisset:* « *Nunc hanc pecuniam tibi dono, eam nunc accipias;* » *et ancilla, tantum hero mortuo, acceperit, vel accipere non potuerit?*

Solutio :

811. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Hæredes tenentur de jure communi et naturali pecuniam famulæ erogare, si certo donationem noverint, quia donatio mortis causa est modus naturalis et legalis de jure communi dominium transferendi. Sed minime ad id obligantur, si donatio illa non argumento certo probetur, quia sunt in possessione juris sui, nec famulæ asserenti fidem adhibere tenentur. Quilibet enim posset facile dictitare, sibi hoc vel illud fuisse a defuncto donatum. Nec obstat huic decisioni Jus Gallicum. Licet enim donationes *mortis causa* non admittat, gravissimi juris interpretes, v. gr., *Merlin* et *Delvincourt*, asserunt donationes manuales *mortis causa* valere, modo adsit traditio, aut derelictio (*dessaisissement*); et sic declaravit *Curia suprema*, 12 Decemb. 1815.

812. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* BELINA potuisset pecuniam accipere statim post mortem PRIVATI, cum certo ejus voluntatem noverit, et nulla conditio desit ad donationis hujus validitatem. Etenim donatio *mortis causa* est donatio *conditionata*, quæ per mortem donatoris fit *absoluta*. Ergo, donatore mortuo, res donata statim transit in dominium donatarii; ergo hic eam, ut suam, accipere potest. — *Elbel, n.* 427.

813. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* BELINA se compensare potuit, quia ad donum jus certum habet, et per accidens est quod illud ab hæredibus denegari possit, scilicet, quia de ipso illis non certo constat. Compensatio enim occulta a Theologis permittitur, quando debitum est certum, et nulla alia via obtineri potest. — *Elbel, ibid. n.* 428.

814. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* In hac hypothesi esset donatio *inter vivos*, et ancilla pecuniam accipere potuisset, sive ante sive post heri mortem; vel etiam se compensare, si eam obtinere alio modo minime valeret. Sequitur ex dictis in casu præcedenti.

CASUS VII

DONATIO MORTIS CAUSA 2°

Galdinus, improlis, graviter ægrotans, mortis causa, dat hic et nunc centum aureos Monicæ, uxori suæ, et 300 verbo, scilicet, ab ipsa post mortem suam accipiendos. Mortuo Galdino, ultimam ejus voluntatem uxor adimplere festinat. Sed mox a Pontio, hærede universali, ad judicem compellitur, ad præstandum juramentum quod nihil de bonis defuncti acceperit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Monica *potuerit servare pecuniam ante vel post mariti mortem acceptam ?*.

2° *An jurare possit se nihil accepisse?*

Solutio :

815. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Monica potest servare pecuniam acceptam, mortuo Galdino, et donationem *mortis causa* ipsi a marito factam. Nec refert quod pecuniæ partem ante mortem viri acceperit, cum id eo jubente fecerit. Dominium autem pecuniæ nonnisi per mortem Galdini in Monicam translatum est. — *Recole dicta in casu præcedenti.*

816. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Monica enim nihil accepit de bonis defuncti, sed id tantum quod suum erat. Namque, morte mariti, dominium pecuniæ donatæ ad uxorem devolvitur : ergo pecunia ad ipsam pertinet; ergo alienum non accepit. Nemo autem jus habet eam interrogandi de dispositione rei suæ. Ergo etiam juramento asserere potest se nihil accepisse ex bonis defuncti, scilicet, quod suum non fuerit. Nec dicas, donationem mortis causa saltem irritari Jure Gallico ; nam irritatur quidem per judicis sententiam, sed probabiliter non ipso facto, ut infra dicemus de testamentis quæ aliqua forma carent. Insuper, ut dictum est supra, *n.* 811, donationes manuales irritari non censentur.

CASUS VIII

DONATIO MORTIS CAUSA 3°

Philemon, graviter decumbens, Annæ, uxori suæ, ait : « Tibi dono mille nummos quos in cista nostra reperies. Hos tibi donatos volo pro tua in me tam ingenti cura et sollicitudine. » Gratissimo animo acceptat Anna hanc donationem. Filii vero ejus, quos ex primo toro habuerat, conati sunt patri persuadere ut donum istud revocaret, sed id minime ab eo impetrare potuerunt. Quapropter, post ejus obitum, præfatam donationem, ut sibi præjudiciosam, impugnarunt.

Hinc :

Quær. 1° *An hæc donatio censenda sit inter vivos, vel mortis causa ?*

2° *An* Anna *possit pecuniam a viro donatam accipere et retinere, saltem ante judicis sententiam?*

3° *An* Philemon *donationem revocare possit?*

Solutio :

817. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Præsumendum est hanc donationem factam esse *inter vivos* et non *mortis causa*. Ratio est, quia donatio facta ob merita præcedentia censeri debet facta *inter vivos :* donator enim præsumitur voluisse merita modo efficaciori compensare; donatio autem *inter vivos* est magis efficax. Porro donatio facta est propter merita Annæ : ergo... Insuper ad donationem *mortis causa* requiritur ut clare videatur fieri intuitu mortis, sive implicite sive explicite, v. gr., per verba : *Tibi relinquo,* atqui in nostro casu hoc clare non apparet : ergo... In dubio enim utrum donatio fuerit *inter vivos* vel *mortis causa,* præsumi debet eam factam esse *inter vivos,* quia est modus donandi efficacior, ut dictum est. Nec refert quod facta fuerit a viro graviter decumbente, quia ad summum sequitur donationem factam esse a moriente, non vero quod facta fuerit mortis causa. — *Elbel, n.* 342.

818. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Anna potuit, tuta conscientia, præfatam pecuniam sibi arrogare et retinere, saltem ante judicis sententiam, nisi *legitimam* filiorum læserit, in quo casu reducenda foret pro rata excessus. Etenim, vi legitimæ donationis, dominium de uno in alium transfertur. Atqui hæc donatio fuit legitima : ergo... — *Elbel, n.* 345.

819. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Philemon revocare donationem non potuit, et proinde surdas aures, ut fecit, filiis deprecantibus præbere debuit, nisi ex parte donatio inofficiosa fuerit, seu filiorum *legitimam* læserit. Ratio est, quia hæc donatio est *inter vivos* ex dictis ; atqui hujusmodi donatio libere facta et acceptata revocari nequit : ergo... Attamen ex Jure Gallico hæc donatio revocari posset, quia donationes inter conjuges sunt revocabiles ex *art. Cod. civ.* 1096. Secus esset, si de donatione *mortis causa* ageretur; quia ista donatio, sicut dispositio testamentaria, est semper ambulatoria, et usque ad ultimum halitum revocabilis. *Elbel, n.* 344.

CASUS IX

CONDONATIO A MORIENTE FACTA

Et ab hærede denegata.

Gennadius fratri suo Henrico, mercatori, mille aureos mutuo gratuito ad biennium crediderat, quibus ab infaustissimo casu sublevaretur. Anno autem vix elapso, Gennadius, gravi morbo correptus, mox ad extremum vitæ periculum deducitur. Henricus, eum invisens, instantissime rogat ut debitum sibi remittere velit, et condonare. Cui Gennadius : « Ita, ait, debitum libenter condono tibi, et liberrime remitto, quia filio meo, utpote unico hæredi, satis provisum est. Cupio tamen, ut de hoc nihil quidpiam ulli mortalium dicas. » Defuncto autem Gennadio, ecce filius ejus Nestor reperit inter alia epistolam qua patruus, seu Henricus, fratri suo Gennadio

gratias agebat pro mille aureis, sibi ad biennium mutuo gratuito traditis. Hinc, elapso biennio, filius a patruo prædictam summam repetit. Obstupefactus Henricus renuit solvere, asserens debitum ipsi fuisse a fratre suo condonatum. Verum, cum assertum probare non possit, a judice ad solvendum condemnatur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Henricus *debitum solvere teneatur, sive ante, sive post judicis sententiam ?*

2° *An, facta solutione ex juridica sententia, ad occultam compensationem recurrere potuerit?*

Solutio :

820. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Henricus non fuit obligatus ad debitum in conscientia solvendum, ante judicis sententiam. Ratio perspicua est. Etenim, cum Gennadius ei debitum remiserit, et liberrime condonaverit, reipsa non est amplius debitor, et hoc ipso nihil amplius ex justitia restituere tenetur. Nec obstat quod nullo titulo condonationem probare valeat; defectus enim tituli externi jus acquisitum non destruit.

2° Data judicis sententia, Henricus tenetur *per accidens* ad debitum solvendum, quia, cum jus suum probare nequeat, tenetur se conformare sententiæ judicis *formaliter justæ,* licet sit *materialiter injusta,* scilicet ratione obedientiæ, et ne aliis, qui condonationem ignorant, scandalum præbeat. — *Elbel, n.* 443.

821. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio jam satis liquet ex dictis. Etenim Henricus non erat amplius debitor Gennadii coram Deo, siquidem debiti remissionem obtinuerat. Ergo sententia judicis fuit saltem *materialiter injusta,* et nulla, utpote fundata in falsa præsumptione facti particularis, scilicet debiti contracti, et nondum soluti, vel non remissi; atqui, ubi sententia judicis est saltem *materialiter injusta,* ibi non datur obligatio parendi in conscientia : ergo Henricus injuste coactus fuit ad debitum solvendum; ergo quod injuste solvit coactus, repetere potest. Nestor revera accepit id quod suum non erat, seu ad quod nullum jus habebat. Ergo ejus patruus nullam injuriam ei inferret, si pecuniam, quam injuste et invitus solvit, tacite repeteret. Imo, si constaret filio de gratuita remissione a patre suo facta, ipse sponte acceptos mille aureos patruo refundere deberet. — *Elbel, n.* 444. — *Reiffenstuel,* etc.

CASUS X

DONATIO PARENTUM

1° Drusus, tribus gaudens filiis, Benjamino præ aliis dilecto, præter quartam partem bonorum in testamento legatam, munera de manu ad manum notabilia, pecunia, chirographis, vel etiam sub ficto contractu mutui aut venditionis, erogat; quia, ait, dum vivit, dominus est bonorum suorum quæ industria et labore acquisivit. Nec putat in hoc peccare, quia aliis filiis bona sufficientia, quibus honeste vivant, relicturus est.

2° Augustus duos habet filios, unum, scilicet, egregiis dotibus conspicuum, alterum vero asperum, bibulum et prodigum. Præter tertiam partem bonorum, quam priori tribuit ipso testamento, eidem notabilia munera elargitur, ipsi tamen enixe commendando ut postea fratri suo retribuat, ipsi indigenti succurrendo.

3° Gilbertus filio suo primogenito, præter quartam partem bonorum, in testamento consignatam, donat plerosque redditus prædiorum annuos, quibus res familiaris augeatur; quia, ait, intactam substantiam filiis relinquet, et de redditibus ad proprium libitum disponere potest.

Hinc :

Quær. 1° *An parentes peccent graviter contra justitiam et caritatem, si, præter partem bonorum ex lege disponibilem, aliquid notabile uni e filiis donent?*

2° *An filii, qui dona notabilia contra legis mentem a parentibus secreto acceperunt, ad restitutionem teneantur?*

3° *Quid ad singulos casus?*

Solutio :

822. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm. per se,* quia agunt contra legem, quæ gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiæ requisitis. — *S. Lig. et alii communiter.* — Dixi *per se*, quia aliquando parentes, qui gravi de causa donant aliquid amplius uni e filiis præter legis dispositionem, peccare non videntur. Tunc enim cessat finis legis, quæ non censetur velle attingere illos casus particulares, familiæ proficuos, nec bono communi nocivos. — *Gousset, n.* 194.

823. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm. per se.* Ratio patet ex dictis. Etenim, si parentes lædant justitiam, donationem illegitimam faciendo, filii etiam lædunt justitiam, donationem accipiendo. Porro ille qui lædit justitiam tenetur ad restitutionem : ergo... Dixi *per se,* quia exceptiones particulares gravi de causa admittendæ sunt, ut modo dictum est. Neque filii ad restitutionem obligandi sunt, si agatur de donationibus ordinariis quæ communiter a parentibus fieri solent, quia ipsi genitores a donis hujusmodi faciendis non impediuntur. Cæterum, post factum, mortuis donatoribus, caute agendum est a Confessario antequam restitutionem urgeat, quia donationes aliquando ex gravi ratione prorsus ignorata fieri potuerunt. Ad personarum igitur et familiarum circumstantias est præcipue attendendum.

824. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Graviter erravit et peccavit Drusus, legis dispositiones adeo facile prætermittendo. Paterfamilias est quidem bonorum dominus, sed non ita ut leges, quæ statuunt bonorum distributionem inter hæredes necessarios, violare queat. Leges quippe illæ ut justæ haberi debent, et bono familiarum necessariæ. Secus enim impii parentes, cæco amore ducti, vel aversione impulsi, aliis filiis prætermissis, uni vel pluribus plus æquo faverent, cum maximo familiæ detrimento.

2° Augustus, nedum de peccato et injustitia arguendus sit, videtur contra de prudentia et sapientia omnino laudandus : hac enim agendi ratione, filio dyscolo providet pro futuro, ita ut, postquam totam substantiam suam

voraverit, adhuc panem, quo in miseria sustentetur, inveniat. Ergo Augustus non est damnandus.

3° Quid tandem de Gilberto? Res dubia et ardua est, atque periculis plena. Concedunt quidem patremfamilias ad libitum posse disponere de redditibus omnino superfluis, si familia his non indigeat, quia intactum remanet patrimonium; verum hoc, etiam illæsa justitia, variis scatet incommodis, ut nemo non videt. Attamen post factum non facile damnandus Gilbertus, si reapse in prædictis limitibus constiterit; sed monendus sedulo est, ut ab abusu et præsertim ab acceptione personarum seminationeque discordiarum inter fratres summopere præcaveat. — *V. Comp. n.* 825-826.

CASUS XI

JUVENIS LAUREATUS

Donatio quando referenda.

Photinus, homo sat dives, Eugenio, filio suo, qui insigni cum plausu curriculum studiorum persolverat, et variis præmiis, pro merito, singulis annis laureatus erat, pecuniam tempore vacationum liberaliter admodum erogavit, in lusus honestos aliasve recreationes impendendam, ut ille hac via magis ac magis ad studia prosequenda stimularetur. Verum, ubi, defuncto utroque parente, ad hæreditatis divisionem ventum est, alii hæredes, longum catalogum prædictarum donationum recensentes, voluerunt illas in partem hæreditatis Eugenio debitæ computari, præsertim cum illi in domo paterna existentes, pro re domestica et pane lucrando, strenue laborarint, dum Eugenius contra nihil contulerit, imo et rem familiarem consumpserit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Eugenius *teneatur ad præfatas donationes in hæreditatem communem referendas, vel etiam quidquid pro ipso ad peragenda studia a patre solutum est?*

2° *Si contraxisset tempore studiorum, in luxu, ludo et potu, debita quæ a patre solvenda fuissent, an hæc referre deberet?*

3° *An referri debeat pecunia ad filium ex militia redimendum adhibita?*

4° *An filius referre debeat expensas a patre tenuis fortunæ factas, pro ipso ad Sacerdotium evehendo?*

Solutio :

825. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negative.* Ratio est, quia pater liberrime illas expensas fecit et pecuniam donavit; quæ autem adeo libere donavit, præsertim in remunerationem studiorum et laborum, censetur omnino donasse, nec proinde computari debent in portionem ordinariam hæreditatis. Consonat etiam Jus utrumque tum *Romanum* tum *Gallicum,* ex quo minime referendæ sunt variæ expensæ a donatore factæ alicujus hæredis gratia, in alimenta, vestes, munera consueta, ad educationem, artem addiscendam

et similia, *S. Lig. n.* 955. — *Elbel, n.* 340. — *Code civil, art.* 852 *et seq.*

826. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia non est præsumendum patrem voluisse hujusmodi debita gratuito compensare cum notabili detrimento aliorum filiorum, sed ea, interim, necessitate compulsus, solvisse, cum intentione ut suo tempore in portionem hæreditariam computarentur. Pater enim non censetur voluisse pecuniam concedere ad varios abusus et in proprii filii detrimentum. Secus tamen, si expensæ illæ non essent magni momenti. — *Lacroix, n.* 807. — *Layman.* — *Elbel, ibid.*

827. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Distinguendum est. *Affirmo* quidem, si filius ille in propriam utilitatem redimatur, quia id æquitas postulare videtur. *Nego* autem, quoties filius redimitur in utilitatem patris, v. gr., infirmi, senis, pauperis, aut familiæ sustentandæ; quia familia, quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet. — *Gousset, in Cod. civ., art.* 852.

828. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Nego, generatim loquendo,* quia expensæ illæ cedunt in bonum commune familiæ, nempe in ejus honorem, commodum, etc.; et gratuito a parentibus hæc donata censentur. — *S. Lig. n.* 955. Referri autem debet in hæreditatis divisionem patrimonium a patre datum filio ad sacros Ordines suscipiendos, quia æquiparari potest doti filiæ, quæ necessario referenda est. Secus enim *legitima* filiorum læderetur, et hoc esset contra mentem Conc. Trid. quod patrimonium exigit ad *titulum et statum Clerici stabilem.* — *S. Lig. n.* 956.

CASUS

DE TESTAMENTIS ET LEGATIS

SEU

De testamentis validis et invalidis; — de testamentis inter conjuges; — de legatis piis et profanis; — de fidei-commissis.

CASUS I

DE VALORE TESTAMENTI 1°

Gerontius, senex, carens hæredibus necessariis, se sentiens gravi morbo correptum, et brevi ad extrema perducendum, jubet advocari Parochum, medicum et notarium cum testibus. Advolat citius Parochus, cui, coram pluribus mulieribus, moribundus brevissime ad calamum dictat se velle Paulinum, amicum, participem facere hæreditatis cum Eugenio, unico hærede naturali. Mox adest notarius cum requisitis testibus et futuris hæredibus; sed ecce, dum interrogat moribundum, vox huic faucibus hæsit. Parocho tamen poscenti num ratum haberet quod modo dixerat, nutu capitis annuit, et extemplo vivis valedicit. Eugenius autem juridice impugnat testamenti validitatem, ut totam accipiat hæreditatem.

Hinc :

Quær. 1° *An valeat testamentum* Gerontii *in primo casu, et* Paulinus *hæreditatem ejus retinere possit, saltem ante judicis sententiam?*

2° *Si habeat secreto aliquam pecuniam* Gerontii, *an eam servare posset, sive ante sive post sententiam judicis circa hæreditatem?*

Solutio :

829. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Invalidum prorsus est Gerontii testamentum de jure positivo, quia in eo deficiunt plures conditiones, quæ lege ad testamentum solemne requiruntur. Etenim ex omni jure testator ipsemet, viva voce saltem, declarare debet, coram requisitis testibus, talem esse suam ultimam voluntatem; nec mulieres in testimonium admittuntur. *Ex Jure Romano*, in eo casu 8 testes testamentum subscribentes requiruntur, cum moribundus ipse subscribere nequeat; secus 7 sufficerent. *Ex Jure* autem *Gallico* absolute requiritur ut ipse testator declaret voluntatem suam de verbo ad verbum, coram uno notario scribente et 4 testibus, vel coram 2 notariis, uno scribente, et 2 testibus. Tum notarii, tum etiam testes subscribere debent. Non satis est igitur ut æger interrogatus, affirmative, sive verbo sive nutu capitis respondeat. — *Cod. civ., art.* 972. — *Gousset, Cod. civ. commenté, ibid.*

2° Attamen, juxta multos Theologos gravissimos, in foro conscientiæ de jure naturali, hæres hujusmodi testamentum retinere potest ante judicis sententiam, quia lex civilis non videtur illud ipso facto irritare, sed judicis sententia irritabile facere. — *S. Lig. n.* 927. Ergo Paulinus testamentum servare potest, usquedum ab eo per sententiam dejiciatur, quia de voluntate testatoris ipsi certissime constat, cum non solum ipsi, sed pluribus aliis manifestata fuerit. Proinde, si judicis sententia non interveniat, hæreditatem tuta conscientia tenebit.

830. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative,* ante judicis sententiam, ut patet ex dictis. Negative autem post judicis sententiam, quia per sententiam juridicam dejicitur omnino ab hæreditate : ergo quidquid ad hæreditatem pertinet, sive cognitum sive incognitum, hæredi legali tribuendum est. Ergo Paulinus nihil secreto sibi servare potest; accessorium enim sequitur principale. Excipe nisi aliquid ei specialiter donatum fuerit.

CASUS II

DE VALORE TESTAMENTI 2°

1° Sabas, neglecto fratre suo Potamio, hæredem instituit Placidum, in secundo gradu consanguineum; sed ante completum testamentum repentina morte corripitur, ideoque Potamius ab intestato hæreditatem occupat. Deceptus autem Placidus, tacite servat tum mille francos mutuo a testatore acceptos, tum alios mille francos, quos secreto ipsi Potamio debebat.

2° Sabanus fratris sui filium Joannem hæredem nominat. Verum, eo mortuo, duo adstant nepotes eodem nomine appellati. Exorta lite, de hæreditate inter se dividenda convenerant, cum adstat Martinus defuncti frater, contendens invalidum esse testamentum, et sibi, ut propriori consanguineo, devolvendam esse hæreditatem.

3° Sabellus duplex testamenti ologràphi exemplar eodem die conficit, sed in uno Urbanum et in altero Flavium hæredem suum universalem instituit. Qua de causa? Nescio. Probabiliter unum exemplar electurus erat, et alterum dilaceraturus. Quidquid sit, e vivis perimitur, utrumque testamentum intactum relinquens.

Hinc :

Quær. 1° *An* Placidus, *in primo casu, utramque prædictam pecuniæ summam sibi servare possit?*

2° *An, in secundo casu, uterque* Joannes *sit hæres, vel nullus, ita ut* Martinus *succedat?*

3° *An, in tertio casu, validum sit utrumque testamentum? vel quis hæreditatem adire debeat?*

Solutio :

831. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Placidus probabiliter servare potest mille francos, mutuo a testatore acceptos. Ratio patet ex dictis in casu præcedenti. Etenim hæres ex testamento informi de jure naturali servare potest

hæreditatem donec a judice ab ea dejiciatur : ergo, si potest totam servare, a fortiori partem. Atqui in nostro casu nulla sententia judiciaria intervenit, et insuper fraude non impeditur, ut in casu Ernesti, infra, casu V. Ergo Placidus ex hac parte placide mutuum illud servare potest.

2° Non potest autem excusari Placidus a restituenda pecunia quam Potamio, hæredi naturali, debebat. Etenim pecunia hæc ad hæreditatem non pertinet, cum sit Potamii hæredis, non vero Sabæ testatoris. Ergo Placidus hos mille francos servare non posset, nisi titulo compensationis, ex eo quod Potamius hæreditatem sibi voluntate Sabæ destinatam acceperit; atqui Placidus jus non habet ad se compensandum. Etenim jus non habet ad hæreditatem nisi *probabile*, de *lege naturali;* atqui nunquam permittitur compensatio cum *mera probabilitate*, sed cum sola certitudine juris. Præterea nulla injuria ei facta est a Potamio, qui juxta legem civilem consecutus est hæreditatem. Ergo Placidus nullum jus habet ad compensationem. Ergo hos mille francos Potamio restituere debet.

832. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Indagandum ex indiciis utrum testator uni e duobus potius favere intenderit, v. gr., si speciali benevolentia eum prosecutus fuerit, etc.; tunc enim ei tribuenda est hæreditas.

2° Si dubium istud ex nullis indiciis dirimi possit, hæreditas videtur inter utrumque hæredem probabilem, seu inter *utrumque Joannem* esse dividenda; quia *uterque* jus probabile æquale ad eam habet. Excipe, nisi, lege civili locorum, testamentum in eo casu irritetur; tunc enim hæreditas ad hæredem naturalem tribuenda foret, perinde ac si Sabanus ab intestato decessisset. — *V. Pontas, Testam. cas.* 15, *et Collet adnotator., ibid.*

833. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Utrumque testamentum est validum, cum utrumque omnibus conditionibus testamenti olographi gaudeat, et utrumque eadem die confectum fuerit. Proinde duo hæredes, Urbanus scilicet et Flavius, jus æquale habent. Ergo ambo inter se hanc hæreditatem dividere debent. Idem enim est hac si uterque in eodem testamento hæres institutus fuisset. — *Pontas, ib. cas.* 16.

CASUS III

DE VALORE TESTAMENTI 3°

Spectrum nocturnum.

Vulpinus, astutus homo, cum duas haberet filias nubiles, et dos ipsis constituenda penitus ei deficeret, industria utitur, ut e tantis angustiis evadat. Quid igitur ille?... Mox patebit. Non procul a pago eminebat spatiosa villa, in qua degebat Euphemia, matrona annosa proximis carens hæredibus. Vetulæ hæreditati inhiat Vulpinus noster. Mirum excogitat medium, ut sibi vel filiabus devolvatur. Ecce, intempesta nocte, fragor ingens auditur in rustica domo. Pavere, trepidare, clamare Euphemia! Abhinc per multas noctes iteratur strepitus, iterantur quoque vetulæ angores, Vulpinus vero, totius rei auctor, adit matronam, et simulato quodam negotio, ab ea rescit id quod plane noverat, eam solatur, rogatque ut,

hac maledicta villa relicta, velit in ipsius domum divertere. Annuit illa. Egregie recipitur, quibuslibet officiis cumulatur. In remunerationem vero, testamentum condit in favorem filiarum VULPINI, et paulo post e vivis excedit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* VULPINI *filiæ, quæ bona fide hæreditatem acceperunt, eam restituere debeant, si id quod fecit pater postea noverint ?*

2° *An vero* VULPINUS *pro filiabus restituere teneatur? vel quid, si ipse hæres constitutus fuisset ?*

3° *Quid, si, incusso prædicto metu, ab* EUPHEMIA *postulasset ut domum vili pretio sibi venderet ?*

Solutio :

834. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Filiæ VULPINI ab omni restitutionis onere immunes censendæ sunt. Ipsæ enim nedum ullam actionem injustam fecerint, contra ex vera caritate, bona officia erga EUPHEMIAM præstiterunt : neque hic et nunc rem alienam habent, quum eam legitimo testamento acceperint.

835. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° VULPINUS ad restitutionem pro filiabus non tenetur. Ratio est, quia non fuit causa testamenti in favorem filiarum conditi, sed tantum occasio : etenim metus non influit proxime et efficaciter in hunc actum quo matrona filias instituit hæredes ; nam omnino libera remanebat illa ut testamentum conderet necne, et conditum revocaret, vel etiam aliis remunerationibus officia a puellis accepta compensaret.

2° Si vero ipse hæres constitutus fuisset, neque etiam tunc casus alio modo solvendus esset; semper enim eædem rationes valerent.

836. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Si domum infra justum pretium emisset, certo valoris excessum compensare deberet. Attamen probabiliter valeret contractus venditionis, licet non omnes de hoc conveniant, quia metus non fuit directe incussus ad venditionem extorquendam, cum mulierem ad domum vendendam precibus adduxerit. Cæterum controvertitur utrum contractus onerosus, ex gravi metu initus, validus sit, necne.

CASUS IV

TESTAMENTUM SIMULATUM

LEONTIUS sic JULIANO, avunculo suo, graviter decumbenti : « Numquid, ait, mihi pauperculo providere non intendis? nonne aliquid mihi donabis ad miseriam meam sublevandam? — Ita sane, reponit JULIANUS, hæc est mea voluntas certissima; siquidem *omnia bona mea tibi relinquo.* Cura, ut confestim advocetur notarius qui testamentum conficiat. » Verum longe distabat notarius, et quum advenit, æger usu rationis destitutus est. Quid tum LEONTIUS? Ocius adhibuit virum quempiam in arte scripturam simulandi peritissimum, cujus ope testamentum in sui favorem conscribere curavit. Qua fraude minime detecta, LEONTIUS, seclusis aliis consanguineis,

solus integram hæreditatem consecutus est. Hac bona sorte auctus et beatus, LEONTIUS maximas Deo gratias religiosissime agens, nuptias favorabiles inivit, et dotem uxoris in hac accepta hæreditate constituit. Postea vero a Parocho suo urgetur ad restitutionem aliis consanguineis pro rata faciendam. Ipse autem alium adit Confessarium a quo absolvitur, tum quia certus erat de testatoris voluntate, tum etiam quia restitutio nullo modo fieri poterat quin fraus detegeretur, cum dos uxoris in accepta hæreditate consisteret, et præterea LEONTIUS nulla alia bona haberet.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* LEONTIUS *ad restitutionem teneatur?*
2° *An, in casu obligationis, a restitutione ut impotens eximi possit?*
3° *Quid de viro qui testamentum conscripsit?*

Solutio :

837. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* JULIANUS enim mortuus est simpliciter ab intestato. Ergo ejus hæreditas inter propiores consanguineos dividenda est, cum in hypothesi hæredibus necessariis careat : ergo LEONTIUS aliis consanguineis restituere debet *pro rata* juris singulorum violati. Etenim testamentum falsum supponendo non tantum turpiter mentitus est, et graviter læsit justitiam legalem, quæ sub pœnis severissimis scripturam suppositam prohibet, sed etiam justitiam commutativam gravissime infregit dolo et fraude alios hæredes impediendo ne jus suum strictum juridice prosequi valerent.

Objicies : LEONTIO constat de voluntate avunculi totam hæreditatem sibi tribuendi, ut patet ex his verbis : *Omnia mea bona tibi relinquo.* Ergo, ex voluntate expressa et formali JULIANI, alii consanguinei ab hæreditate excludendi sunt.

Resp. JULIANUS his verbis : *Omnia bona mea tibi relinquo,* noluit facere donationem inter vivos LEONTIO, sed tantum aperuit ei mentem suam de testamento in favorem ipsius condendo, ut patet ex verbo *relinquo,* vel ad summum est testamentum verbis tantum expressum, seu testamentum formis destitutum. Sed ideo jus non habet LEONTIUS supponendi testamentum falsum, et impediendi hac fraude ne alii hæredes naturales ad judicem recurrere possint.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Affirmative.* LEONTIUS enim, attentis omnibus casus circumstantiis, *moraliter* imo et *physice* videtur impeditus a restitutione, saltem statim et totaliter facienda : siquidem, ut restitutionem perageret, non tantum maxima famæ jactura esset ipsi subeunda, sed etiam severissimas pœnas, ut falsarius, incurrere deberet, ne alia incommoda quam gravissima pro ejus sponsæque familia subsecutura referam. LEONTIUS igitur clam et paulatim pro viribus, illæsa fama, injuriam aliis hæredibus factam, saltem ex parte, reparare debebit.

838. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Vir ille peritus in arte scripturam simulandi, qui falsum confecit testamentum, ut cooperator, seu ut participans, damnum resarcire debet, et quidem in solidum, defectu LEONTII qui primo loco tenetur. — *Recole dicta de injusta cooperatione, n.* 679 *et seq.*

CASUS V

TESTAMENTUM COMPLETUM

Post mortem testatoris.

Gildanus, graviter ægrotans, et hæredibus necessariis destitutus, testamento olographo Ernestum, fratris sui filium, aliis nepotibus prætermissis, hæredem suum universalem constituit. Verum, conscripto vix integro testamento, cum esset subscriptionem suam appositurus, repentina morte e vivis subripitur. Ernestus vero præsens, accepto statim calamo, nomen testatoris mira dexteritate subjicit. Cum autem alii consanguinei in æquali gradu testamentum postulassent, nec, eo diligenter examinato, fraudem detexissent, Ernestus solus totam hæreditatem accipit ac retinet.

Hinc :

Quær. 1° *An* Ernestus *hæreditatem totam servare possit ?*

2° *Quid, si hæredes, suborta fraudis suspicione, litem circa testamenti validitatem moverint, nec causam obtinuerint ?*

Solutio :

839. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Ernestus ad restitutionem hæreditatis *pro rata* juris aliorum consanguineorum damnandus est, licet judicis sententia non intervenerit, nec sit unquam interventura. Ratio est, quia per fraudem legatum sibi vindicavit; *fraus* autem *nemini patrocinari debet.* Etenim, simulata testatoris subscriptione, impedivit fraudulenter alios hæredes naturales ne ad judicem recurrere possint : ergo jus eorum strictum violavit; ergo damnum reparare debet. Nec obstat quod ex dictis hæres nominatus hæreditatem retinere valeat, saltem *probabiliter,* licet testamentum careat aliqua forma legali, donec a judice infirmetur; nam Ernestus impedivit, fraude adhibita, quominus illud testamentum infirmari unquam posset. Hinc non datur discrimen essentiale inter casum hunc et casum præcedentem Leontii, in quo totum testamentum supponitur simulatum. In utroque enim casu, actus necessaria solemnitate destituitur, et coram lege æque invalidus est, et æquali fraude hæredes naturales ab hæreditate consequenda impediuntur.

Objicies : Ernestus cognoscit certissime voluntatem testatoris sibi faventem; ergo jus certum habet ad hæreditatem servandam.

Resp. Neg. cons. Habet quidem jus *probabile,* sed non *certum.* Teste enim *S. Ligorio,* duplex datur sententia probabilis circa testamenta formis legalibus destituta, scilicet, sententia affirmans ea esse valida, ante judicis sententiam, et sententia negans. Vi autem probabilitatis sibi faventis potest quidem Ernestus hæreditatem servare usquedum juridica sententia interveniat, modo nullam adhibeat fraudem. Verum interposita fraude, impedit adversarios ne jure suo probabili uti possint, scilicet, ne recursum habere valeant ad judicem, apud quem certo causam fuissent habituri.

Attamen Ernesto liceret hæreditatem totam retinere, si alii hæredes naturales, cum audiverint testamentum fuisse conditum in illius favorem, ne illud quidem requisivissent, quia tunc isti minime Ernesti fraude impediti fuissent a recursu ad judicem habendo, sed damnum suæ simplicitati vel negligentiæ tribuere deberent.

840. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Seu quid, si res ad judicem delata fuerit? Ernestus nihilominus ad restitutionem teneretur, quia nihil ipsi prodesse potest judicis sententia, cum in errore substantiali fundaretur. Quare enim judex ei legatum tribueret? Quia, similitudine deceptus, judicat scripturam esse testatoris, dum hoc falsum est. Ergo invalida esset judicis sententia. Ergo Ernesto minime favere potest. Ergo hæreditatem retinere nequit. — — *V. Comp. n.* 814 *et seq. et* 819.

CASUS VI

TESTAMENTUM CASU DESTRUCTUM

Et arte redivivum.

Chrysantus, moriens, tradit Adriano testamentum olographum in ipsius gratiam conditum. Mortuo autem Chrysanto, felix Adrianus, cum testamentum hilari animo perlustrasset, et super scrinium deposuisset dum ignem refocillaret, ecce nescio quo casu, aperto ostio, folium repentino venti turbine rapitur, et in ardentem ignem dejicitur. Impiger Adrianus illud flammis subducere satagit. Sed heu! irrito conatu! jam penitus combustum erat. Tum Adrianus in desperationem abiturus erat, cum ejus menti mira cogitatio suboritur! Ecce scripturam et subscriptionem testatoris perfecte simulat, et sic rem in integrum restituit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quomodo* Adrianus *peccaverit testamentum simulando?*

2° *An ad restitutionem erga hæredes naturales ex justitia teneatur?*

Solutio :

841. — *Resp. ad 1^am Quæs.* 1° Adrianus excusari nequit a peccato contra veritatem, seu a peccato mendacii, quia asserit præsens instrumentum esse primum testamentum, et esse subscriptionem testatoris, quod falsum est. Eadem ratione peccaret contra veritatem ille qui tali instrumento per alium confecto uteretur. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 1123 *et* 1124, *et alii,* contra *plures* negantes hoc esse contra veritatem, quia supplens testamentum amissum, non intendit aliorum deceptionem, sed tantum rei suæ recuperationem. Cæterum, mendacium illud peccatum veniale *per se* non excedit.

2° Adrianus *per se* non est excusandus a peccato gravi contra caritatem erga seipsum, quia se exposuit periculo maximæ pœnæ, ut *falsarius,* subeundæ. Excipe, nisi ad periculum illud non adverterit.

3° Nec videtur excusandus a peccato mortali contra justitiam legalem,

quæ omnem scripturam falsam sub gravissimis pœnis prohibet; quia, etiamsi nulli inferat præjudicium, id tamen est illicitum et severe prohibitum, ad vitandam fraudum occasionem. Nonnulli tamen docent hoc non esse mortale, apud *Lacroix, ibid.*

842. — *Resp. ad 2um Quæs. Neg.* Etenim Adrianus semel constitutus hæres legitimus ex valido testamento, statim post mortem testatoris acquisivit jus *certum* et *strictum* in hæreditatem, ut patet. Atqui jus *certum* et *strictum,* semel acquisitum, non amittitur per tituli amissionem, sed solum per voluntariam cessionem, seu dominii legitimam translationem : ergo Adrianus jus suum non amisit. Numquid enim jus *in re,* seu jus *strictum* comburitur, et in cineres redigitur, sicut titulus papyraceus quo comprobari potest? Minime gentium.

Porro, si Adrianus jus *strictum* habet in hæreditatem, non potest injuste agere, si media adhibeat, licet illicita, ad jus illud prosequendum; neque injuriam inurit aliis consanguineis, si eos industria quacumque impediat ne in hæreditatem deveniant, cum jus nullum in illam habeant.

Objicies: Hæredes alii naturales per fraudem impediuntur, ne ad judicem recurrant. Etenim, seclusa hac tituli simulatione, Adrianus sententia juridica ab hæreditate possidenda deturbaretur : ergo impediuntur ne ad judicem recurrant; ergo in jure suo læduntur.

Resp. Dist. Læduntur in jure suo *putato, conc.;* in jure suo *vero* et *stricto, neg.* Etenim jus quidem habent ut Adrianus jus suum probet, siquidem ei credere non tenentur; sed hoc ex eorum bona fide tantum, seu ex errore provenit : licet enim *formaliter* juste agerent, *materialiter* tamen *injuste* ad judicem recurrerent. Et re quidem vera, si quis eorum testamentum omnibus formis vestitum conspexisset antequam periret, numquid illud tuta conscientia postea impugnare posset? Hinc patet discrimen inter casum præsentem et duos præcedentes : in hoc enim Adrianus jus certum habet ex valido testamento; in illis vero legatarii jus tantum probabile ex testamento informi habebant, et per fraudem jus probabile aliorum hæredum destruebant.

CASUS VII

DISPOSITIO INCERTA

Cui clamet depositum.

Beatrix, mulier cælebs, relicta Rosina sorore sua, *Sabianum* consobrinum suum instituit hæredem omnium bonorum quæ in ipso testamento non exciperentur. Postea quinque francorum millia Agathæ in depositum committit, nihil adhuc de illis statuens. Sed cum paulo post gravi morbo correpta fuisset, ab ea quærit depositaria quid de pecunia sibi commissa faciendum sit? « Hac de re postea statuam, inquit Beatrix, nihil est quod urgeat; nolo tamen ut Sabiano cedat. » Cum hæc dixisset, repente e vivis excessit. Quid autem de pecunia Agathæ commissa? Agatha dimidiam pecuniæ partem sibi servat, alteram partem Rosinæ tribuens. Sabianus autem, rem suspicans, minatur mulieres ad judicem se traducturum. Pa-

rochus vero consultus contendit pecuniam hanc nullius esse, et proinde pauperibus distribuendam.

Hinc :

Quær. 1° *Ad quem pertineat illa pecunia? An* Sabiano *hæredi, vel* Rosinæ *consanguineæ propiori, vel* Agathæ *depositariæ tribuenda sit, vel causis piis impendenda?*

2° *An* Sabianus *possit eam juridice repetere, vel etiam ante sententiam subripere?*

3° *Quid, si pauperibus fuerit distributa, et depositaria ad eam* Sabiano *restituendam damnetur?*

Solutio :

843. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Cuinam pecunia clamat? Si confusus apparet clamor, forte solius audientis culpa est. Accipe igitur casus solutionem.

1° Pecunia non clamat Agathæ *depositariæ.* Quo enim jure depositum sibi tribueret, sive ex toto, sive ex parte? Numquid rationem habet thesauri, vel rei inventæ, aut prorsus derelictæ, quæ fit primi occupantis? Minime gentium. Nonne adstant cognati et hæredes quibus pecunia potiori jure clamaret?

2° Non clamat *pauperibus;* pauperes enim repræsentant tantum dominum aut hæredem prorsus incognitum; in casu autem nostro adsunt plures consanguinei, et quidem proximi. Ergo frustra clamat Parochus pro pauperibus non clamante pecunia.

3° Non clamat Rosinæ, *sorori* defunctæ. Etenim Rosina jus habere nequit, nisi ex testamento vel ab intestato, vel ex speciali voluntate defunctæ, extra formam legalem. Atqui triplex ille titulus deficit in nostro casu : ergo... Primo quidem non habet jus ex testamento, cum solus Sabianus legatarius universalis constitutus fuerit, nec ipsa Rosina in jure læsa fuerit; siquidem soror inter hæredes necessarios non computatur. Neque jus habet *ab intestato;* nam hæredes non necessarii licet proximi consanguinei nunquam succedunt ab intestato, nisi deficiente testamento; atqui in casu non deficit testamentum, cum in favorem Sabiani conditum fuerit. Neque jus habet ex speciali intentione extralegali Beatricis defunctæ : nullo enim modo hanc intentionem Beatrix significavit; imo voluntatem oppositam ostendit, consobrinum Sabianum, sorore relicta, hæredem universalem instituendo.

4° Ergo pecunia clamat Sabiano. Etenim nemo alius jus habet, ex dictis, et ipse solus titulo legatarii universalis gaudet. Ergo ipsi soli pecunia vere clamat. Ergo ipse solus pecuniæ legitime clamare potest.

Dices: Sed Beatrix expresse Sabianum exclusit ab illa pecunia possidenda. — *Resp.* Non obstante illa declaratione mulieris defunctæ, Sabianus semper gaudet jure legali depositum repetendi; manifestatio enim voluntatis Beatricis non fuit legalis, nec proinde potest destruere, saltem certo, jus quod hæres ex testamento valido sortitur. Præterea Beatrix non exclusit hæredem absolute, sed ea intentione, ut aliam faceret dispositionem; deficiente autem illa dispositione, pecunia deposita ad summam hæreditatis redire debet.

844. — *Resp. ad 2um Quæs.* 1° Sabianus, si depositum cognoscat, potest certo illud juridice requirere, quia ex lege hæres universalis constitutus est : hæres autem universalis jus habet requirendi legaliter quidquid in testamento non excipitur. Atqui depositum illud non excipitur in testamento : ergo... 2° Imo potest etiam hanc pecuniam ante sententiam judicis accipere : etenim est hæres universalis, et illa res non excipitur in testamento. Ergo jure merito suam reputare potest.

Resp. ad 3um Quæs. Subeunda erit sententia. Sabianus enim ex dictis juste reclamare potest, cum lex illi faveat. Ergo sententia judicis legi conformis, justa foret; ergo juste damnaretur Agatha depositaria. Atqui sententiæ justæ semper obtemperandum est : ergo... Suæ enim imprudentiæ tribuere deberet, si pecuniam pauperibus distribuisset. Attamen, si bona fide egerit ex Parochi præcepto, ad hunc restitutionis onus pertinere debet.

CASUS VIII

TESTAMENTUM INTER CONJUGES

Serapio, conjux Sylviæ, vir infirmæ indolis, se regi ab uxore, licet admodum invitus, sinit. Cum autem filios non habeant, Sylvia ipsi proponit ut per testamentum omnia bona propria sibi invicem conferant. Annuit vir, duplexque conficitur testamentum. Paulo post autem facti pœnitens Serapio, novum conficit testamentum, quo prius ex integro destruitur. Sylvia, rei inscia, nihil in proprio testamento mutavit. Et mox ipsa moriens, amplam viro hæreditatem reliquit.

Hinc :

Quær. 1° *An vel quatenus valeant mutuæ donationes, vel testamenta inter conjuges facta?*

2° *An* Serapio *hæreditatem ab uxore acceptam ejusdem collateralibus restituere debeat?*

2° *Quid, si præfati conjuges juramento testamentum confirmaverint?*

Solutio :

845. — *Resp. ad 1um Quæs.* 1° Ex Jure *Romano, generatim* invalidæ sunt donationes conjugum reciprocæ, nisi sint juramento firmatæ, vel sint remuneratoriæ, vel donatio mortis causa fiat, etc. — 2° Ex jure *Gallico, generatim* conjuges sibi invicem donare possunt inter vivos vel per testamentum, deficientibus filiis, quidquid extraneo donari posset quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis ascendentibus reservatæ ; existentibus vero filiis, quartam partem bonorum quoad proprietatem, et simul etiam quartam partem ratione usufructus, vel si malunt, usumfructum dimidiæ partis tantum. — *Cod. civ., art.* 1094-1098. Donationes autem conjugum reciprocæ sunt omnes revocabiles. *Art.* 1096.

846. — *Resp. ad 2um Quæs.* Solutio pendet a diverso jure positivo, juxta modo dicta. Per se invalida est conventio illa, quatenus *irrevocabilis,* quia ex lege testamentum est essentialiter revocabile, nec possunt conjuges

quidquam contra legis dispositionem statuere. Ex Jure *Gallico* omnes donationes reciprocæ conjugum etiam *inter vivos* sunt revocabiles in libertatis gratiam, seu ad impediendum nimiæ sollicitationis periculum. Ergo SERAPIO hæreditatem retinere potest. Nec dicas eum uti fraude ad conjugem decipiendam; nulla enim fraus committitur, si quis jure suo utitur. Lex autem illa bono publico valde favet; impedit enim ne conjuges in matrimonio violentiam moralem subeant. Ergo non est inquietandus SERAPIO, siquidem conventio quam inivit cum uxore est invalida, quatenus *irrevocabilis*. Potuisset et ipsa mulier suum testamentum revocare, et fortasse revocasset, nisi repentina morte e vivis sublata fuisset. Alia tamen decisio danda foret, si SYLVIA, sub pœna invaliditatis factæ conventionis, conditionem posuisset de monenda comparte in casu mutationis testamenti.

847. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Ex Jure *Romano*, testamentum juramento firmatum revocari non potest, quia lex hunc casum excipit. Secus vero de Jure *Gallico*, quod nullam admittit exceptionem. *Juramentum* igitur *sequitur naturam actus;* atqui actus ex lege *invalidus* declaratur : ergo *invalidum* est etiam *juramentum*. Etenim juramento firmari nequit id quod lex firmare prohibet, secus enim omnes legis dispositiones juramento eludi possent. Si autem in Jure *Romano* oppositum habetur, id repetendum est ex eo quod lex exceptionem in juramenti favorem faciat.

CASUS IX

DE LEGATIS 1°

1° DELPHINUS, in exitu vitæ versans, cum prospicere vellet CATHARINÆ, viduæ, pauperi et gravidæ ex marito nuperrime defuncto, necnon futuræ proli, sic statuit : « Lego decem millia francorum CATHARINÆ, sed ea conditione ut sex millia francorum tradat proli nascituræ, si *filius* sit, quinque vero si *filia*. » Sed heu! inexspectatus succedit eventus. Mortuo enim DELPHINO, filium simul et filiam CATHARINA peperit. Quare nescit quid sibi de legato sit faciendum.

2° BENEDICTUS, testamentum condens, ANTONIO, legatario universali instituto, ait : « Lego tribus sororibus BERTÆ, CLARÆ et ANNÆ, mille francos. »

Mortuo autem BENEDICTO, apertoque ejus testamento, lis ingens oritur inter hæredem universalem et tres legatarias. Hæ enim singulæ mille francos repetunt, ille vero contendit mille francos inter tres sorores esse dividendos.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quid sibi et quantum filiis* CATHARINA *tribuere debeat, in primo casu ?*

2° *Ad quid teneatur* ANTONIUS *hæres erga tres sorores, in secundo casu ? An ad mille, vel ad tria millia francorum ?*

3° *Quid si, testator pecuniam, vel donum legasset modo disjunctivo ?*

Solutio :

848. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Quid faciet CATHARINA? Quidnam ipsi permittendum? Juxta mentem legatoris potuisset in omni casu sibi quatuor millia fr. servare. Numquid autem deterioris conditionis esse debet, quia onus multo majus sufferre debet pro expensis quæ ad nutritionem et educationem duplicis prolis requiruntur? Hoc videtur a sensu communi alienum. Servet igitur quatuor millia fr. pro se, sicut servare potuisset si filium tantum genuisset, et sex millia inter filium et filiam dividat juxta mentem donantis, scilicet *pro rata* proportione quæ inter 6 et 5 existit. Hinc puer 3,300 circiter, puella vero 2,700 sortietur.

849. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Stante casu ut jacet, de vera mente testatoris constare non potest, si nihil addatur ex quo res patefiat. Ergo res dubia est. In dubio hæres ANTONIUS ad majorem obligationem subeundam astringi nequit; ad id enim tantum tenetur quod certo probatur. Ergo mille francos tantum solvere debet. Hæc autem summa inter tres sorores erit dividenda. — *Reuter, n.* 139.

Resp. ad 3^um *Quæs.* In hac hypothesi optio sororibus esset relinquenda. Videtur enim talem fuisse legantis intentionem, siquidem eis favere voluit. Atqui disjunctio magis ipsis favet, si optio earumdem arbitrio relinquatur. Ergo iis electio relinquenda est. — *Reuter, ibid.*

CASUS X

DE LEGATIS 2°

DELPHINA, moriens, in testamento quo FABRICIUS hæres instituitur, legat FULVIÆ quidquid in vestiario reperietur; sed ecce, ipsa mortua, in vestiario, præter vestes et ornamenta, reperitur summa 500 francorum ; hanc arripit FULVIA, eam repetit FABRICIUS hæres, eamdemque reclamat superveniens Parochus, quia defuncta ibi solebat reponere pecuniam in pias causas erogandam.

Hinc :

QUÆR. 1° *Cuinam pertineat pecunia in vestiario reperta? An legatariæ, vel hæredi, vel Parocho, in primo casu?*

2° *Quid si* DELPHINA *vestiarium simpliciter legasset ?*

Solutio :

850. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Parochus nihil omnino pro pauperibus repetere potest. Non valet enim ratio ab eo adducta, scilicet DELPHINAM solere in hoc loco recondere pecuniam pauperibus destinatam, quia est simplex præsumptio, quæ jus certum hæredum infirmare nequit. Insuper, si testatrix voluisset hanc pecuniam pauperibus destinare, suam intentionem manifestasset, cum ad omnes suas dispositiones attenderit.

2° Videtur pecunia pertinere ad FULVIAM; nam, quando DELPHINA ei legavit quidquid in vestiario reperiretur, idem est ac si dixisset : « Lego

omnia quæ sunt in loco ubi vestes asservantur; » proinde non agitur tantum de vestibus, sed de re quacumque in vestiario existente.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* In hac hypothesi pecunia ad FABRICIUM hæredem pertineret, non vero ad FULVIAM vestiarii legatariam; quia pecunia inter vestes minime comprehenditur. Tunc enim intentio testatricis esset omnes vestes, omniaque linteamina sua, FULVIÆ legare et nihil amplius.

CASUS XI

DE LEGATIS 3°

1° CLEONIPHAS hæredem suum universalem AMEDÆUM instituit, cum onere ut 600 francos fabricæ Ecclesiæ retribueret. Sed ecce! morte repentina corripitur AMEDÆUS; paulo post moritur et ipse testator, quin testamentum aliud confecerit. Hæreditatem adit PASCHASIUS, *ab intestato* succedens. Ab eo Parochus legatum pium in Ecclesiæ favorem requirit. Sed illud solvere renuit PASCHASIUS.

2° MERCURUS promiserat centum aureos PUBLIO in testamento legandos. Sed repentino morbo correptus, et jamjam moriturus, ad se filium suum ANDREAM accersit et ait : « *Volo* ut centum aureos PUBLIO *tribuas.* » His dictis, intestatus decedit.

3° RANULFUS hæres universalis a LÆLIO, avunculo suo, institutus, ab eo extreme decumbente rogatur ut notarium accersat. Timens autem RANULFUS ne testator voluntatem suam ultimam immutet in sui præjudicium, moram protrahit usquedum avunculus animam efflaverit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* PASCHASIUS, *in primo casu, ad legatum Ecclesiæ solvendum teneatur ?*

2° *An* ANDREAS, *hæres in secundo casu, legatum* PUBLIO *solvere debeat ? Et an* PUBLIUS, *illo renuente, se compensare possit ?*

3° *An* RANULFUS *ad aliquid restituendum teneatur ?*

Solutio :

851. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* PASCHASIUS ad nihil prorsus tenetur. Etenim nulla obligatio ei imposita est, siquidem *ab intestato* succedit. Quare igitur pia intentio defuncti ipsi adimplenda imponeretur, cum ab ipso nequidem fuerit hæres constitutus ?

Dices : Pia legata certo cognita solvenda sunt de Jure canonico, contra quod nulla lex civilis prævalere potest.

R. Dist. Solvenda sunt ab eo cui imposita sunt, si hæreditatem consequatur, *conc.;* ab alio cui non fuerunt commissa, et qui accipit hæreditatem *ab intestato, neg.;* atqui in casu solus AMEDÆUS hæres constitutus fuit, non vero PASCHASIUS : ergo PASCHASIUS ad nihil tenetur, licet hæreditas ad ipsum devoluta fuerit. Sed neque tenetur hæc pia legata solvere AMEDÆUS qui hæreditatem non accepit : ergo *per accidens* a nemine solvenda erunt. Ergo frustra reclamat Parochus.

852. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Andreas hæres *probabiliter* non tenetur legatum patris adimplere, saltem *per se*, quia modus ille disponendi non est legi conformis, non enim valet *probabiliter* legatum, nisi in valido testamento constituatur. Excipe, nisi filius patri promiserit se ejus voluntatem adimpleturum esse, quia tunc interveniret contractus implicitus, quo filius susciperet obligationem de jure naturali legatum adimplendi. Etenim pater, in promissione filii fidens, ab alia via tuta legatum transmittendi abstinet. Dixi *probabiliter*, quia de hoc acriter *controvertitur*, ante judicis sententiam. Duplex igitur est sententia *probabilis*. Alii enim obligationem de *jure naturali* voluntatem morientis exsequendi urgent; alii vero legis dispositionem opponunt. — *S. Lig., n.* 927, *cum aliis multis.*

853. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Male egit sane Ranulfus. Sed an ad restitutionem teneatur, non liquet nisi ex gravi ratione putaverit aliquid tali vel tali legandum. Si tamen cum fundamento existimet avunculum aliquid esse quidem alicui donaturum, sed nesciat cuinam, pro rata dubii causis piis restituere debet. Non debebat enim promittere se notarium advocaturum esse, sed aliquo modo se excusare, et tunc avunculus aliud medium notarium advocandi adhibere potuisset.

CASUS XII

LEGATA CONDITIONATA

Calepodius, prole carens, testamento sic de bonis disposuit : 1° Titum hæredem suum universalem constituit ea conditione, ut uni e filiabus Marii nubat. 2° Legavit domum suam uxori, et pretium nepti, si utraque caste vivat. 3° Legavit mille nummos in dotem erogandos puellæ orphanæ, a Parocho designandæ. Defuncto autem Calepodio, Titus hæres postulavit a Mario, testamenti conscio, ut filiam natu majorem sibi in conjugem concederet. Sed ista consensum prorsus denegat. Ipse vero Titus respuit alteram filiam, sibi oblatam, et matrimonium inivit cum Anna familiæ Marii extranea. Uxor Calepodii, post aliquod viduitatis annos, ad secundas nuptias convolavit. Neptis vero in secretum fornicationis crimen incidit. Parochus autem puellam elegit, parentes quidem habentem, sed miserrimos et præ senio infirmos, cui dos supra enuntiata traderetur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Titus *adire possit et retinere hæreditatem spectatis casus adjunctis?*

2° *An uxor et neptis* Calepodii *possint tuta conscientia frui legato ipsis assignato?*

3° *An dos tradi potuerit puellæ, parentes quidem habenti, sed miserrimos et inutiles?*

Solutio :

854. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Titus non potuit adire neque retinere hæreditatem, quia conditio a testatore posita fuit honesta, et non adimpleta. 1° *Fuit honesta :* nam testator noluit urgere Titum ad nuptias invisas, sed

reliquit ei libertatem ut inter duas puellas honestas eligeret; noluitque ut hæreditas sua ad TITUM perveniret, nisi posita illa conditione. Testator enim familiæ MARII evidenter favere voluit. 2° *Non fuit adimpleta :* quippe filia priore consensum denegante, restabat adhuc altera consentiens, et oblata. Nihil igitur obstabat, quominus hanc duceret. Ergo, si noluit, jam conditionem non adimplevit; ergo conditio effectu suo caret ; ergo TITUS ab hæreditate discedere debet.

855. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmandum* est. 1° Quoad uxorem. Uxor potuit transire ad alias nuptias, quin legatum amitteret. Etenim non violavit conditionem, *si caste vivat :* cum castitas per nuptias proprie non violetur, siquidem secundæ nuptiæ castæ sunt. 2° Quoad neptem, etiam ipsi indulgendum videtur, licet deliquerit; quia noxa ejus mansit occulta, et communiter virgo reputatur. Neque enim præsumendum est fuisse mentem testatoris neptem a legato excludere, si quidpiam impudicum secreto commiserit. Neque ipsa videtur obliganda ut se ream manifestet, hæreditatem repudiando.

856. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Parochus non videtur vituperandus. Puella ab illo designata potuit bene prædicta dote frui, licet non fuerit orphana proprie dicta, quia æquivalenter talis est. Voluit enim testator dotem dare puellæ miseræ, ut e periculo eriperetur. Ergo mens ejus impletur. Attamen, juxta multos auctores, si occurreret alia puella, æque misera et parentibus orbata, præferenda foret; quia, cum voluntas testatoris in sensu proprio adimpleri possit, in sensu latiori et improprio adimpleri non debet. Verum, non desunt etiam qui secus judicent. Etenim magis est misera quæ parentes inutiles et infirmos habet, quam illa quæ nullos prorsus habet. Majora enim pericula animi et corporis illi imminent, et proinde finis a testatore intentus reapse adimpletur. — *S. Lig., n.* 930, *et alii communius.*

CASUS XIII

LEGATA PROFANA

Formis legalibus destituta.

1° BACCHIDES moriens dicit RODULPHO : Te constitui hæredem meum universalem, sed sponde mihi te soluturum esse hæc et illa legata erga proximos meos consanguineos, licet in testamento meo non sint consignata. Promittit RODULPHUS ejus voluntati adamussim obsecuturum esse. Mortuo autem BACCHIDE, minime curat hæres de legatis persolvendis, quia, ait, formis legalibus carent.

2° HECTOR, hæres MATTHÆI ex testamento, novit per testes certæ fidei, vel ex aliqua schedula secreto accepta, a se quædam legata profana esse solvenda. Renuit autem eis satisfacere, ex eo quod juxta legem ad id minime teneatur.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* RODULPHUS *in primo casu legata profana solvere debeat?*
2° *An* HECTOR *in secundo casu?*

Solutio :

857. — *Resp. ad 1um Quæs.* Rodulphus certo tenetur ad solvenda prædicta legata, licet in testamento scripto non reperiantur, et viva voce tantum a testatore hæredi præscriptæ fuerint. Ratio deducitur ex contractu speciali, qui intervenit inter testatorem et hæredem. Etenim Bacchides non constituit Rodulphum hæredem, nisi ea conditione, scilicet, ut legata solveret. Id vero adpromisit hæres : ergo, nisi conditio adimpleatur, fidem promissam non servat. Insuper promissione impedivit testatorem ne alio modo conderet testamentum, vel alia media tuta adhiberet, ita ut legata prædicta certo adimpleri possent. — *V. Comp. n.* 819. — *Recole dicta supra, n.* 852.

858. — *Resp. ad 2um Quæs. Negative.* Hector probabiliter non tenetur solvere legata sibi a testatore præscripta, seclusa conventione vel promissione particulari, de qua non agitur in hoc secundo casu. Ratio est, quia dispositiones illæ voluntatis ultimæ testatoris *probabiliter* sunt invalidæ, utpote formis legalibus destitutæ, etiam ante judicis sententiam : ergo habendæ sunt perinde ac si non existerent ; nec obstat quod hæres certo cognoscat testatoris voluntatem quoad illas dispositiones, quia illa voluntas testatoris, licet urgeat ex lege naturali *probabiliter* tamen jure civili irritatur, ex eo quod conditionibus legitimis careat. — *S. Lig. n.* 927. — *V. Comp. n.* 817.

CASUS XIV

LEGATA PIA INFORMIA 1o

Tussanus, homo pius, vitæ valedicens, Germano filio suo, cui pinguem relinquit hæreditatem, enixe commendat ac præscribit ut ducentas Missas pro anima sua celebrari curet, et mille nummos in pauperes et alias pias causas designatas impendat. Germanus vero, mortuo patre, curat quidem decem Sacra fieri ; at reliquas defuncti præscriptiones prætermittit, ex eo quod formis lege requisitis non vestiantur, nec proinde ad eas adimplendas in conscientia teneatur. Id vero resciens Confessarius ei absolutionem denegat, donec pia patris legata exsecutus fuerit.

Hinc :

Quær. 1o *An legata pia, etiam formis legalibus destituta, in foro conscientiæ solvi debeant ?*

2o *An, stante casu,* Germanus *absolvi possit ?*

Solutio :

859. — *Resp. ad 1um Quæs. Affirmative.* Hæc sententia ut omnino certa habenda est, quæcumque fuerit olim hac de re controversia. Est communis doctrina cum *S. Lig. n.* 922 *et seq.*

Ratio est, quia piæ causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni. Ecclesia autem omnino libera est et immunis a potestate civili in omnibus quæ suæ jurisdictioni subsunt.

Constat etiam ex Jure canonico in variis locis. Etenim sic legimus *De testamentis, rub.* ad c. 11 : *Valet ultima voluntas ad pias causas coram duobus testibus.* Iterum *ibid.* c. 13 : *Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas.*

Eruitur etiam ex *Conc. Trid., sess.* 22, *c.* 8, *de Reform.*, ubi Episcopi exsecutores piarum dispositionum constituuntur.

860. — Dicendum ergo cum *Lugo* : « Quando in ultima voluntate aliquid relinquitur ad pias causas (testamentum) valet, etiam sine juris solemnitate, ut constat ex *c. Relatum* 1, *de testamentis*, et probant *communiter* Doctores quos referunt et sequuntur *Lessius, Sanchez, Vasquez, et alii communiter.* Hoc autem observandum est non solum in foro *ecclesiastico*, sed etiam in *sæculari*, quia Pontifex utrobique servandum præcipit, et potuit de jure præcipere propter potestatem quam habet dirigendi Principes temporales, in iis quæ ad fidem supernaturalem et ad bonum animæ spectant. »

Et addit *Lugo* : « 1° Sufficere, ad valorem testamenti ad causas pias, duos vel tres testes... 2° Hæredem si per schedulam, vel scripturam indubitatam defuncti, vel quia eum audivit, sciat ipsum statuisse quod res aliqua in usus pios daretur, licet testes non fuerunt, obligari in conscientia ad id exsequendum, quia, seclusa omni dispositione juris civilis, illud ad talem obligationem sufficeret : quare, cum omnis solemnitas juris civilis, et ejus necessitas sublata sit in his casibus, resultabit obligatio in conscientia hæredis. » *Lugo, de Justitia, disp.* 22, *n.* 266, etc.

Concordat *S. Ligorius*, cujus hæc verba sunt : « Quoad dispositiones pias, certum est quod, si constat hæredi voluntas testatoris, sive per verba, sive per nutum, aut scripturam, tenetur hæres in conscientia, vel cedere hæreditatem loco pio, vel legata solvere. » — *S. Lig. n.* 923 *et seq.*

861. — Constat etiam ex recenti responsione *S. Pœnit.* Andegavensi Canonico facta.

Postulatum.

« Eudorius, hæredibus necessariis destitutus, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit, per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit in quo piam manifestat voluntatem... Bonifacius vero, mortuo Eudorio, integram hæreditatem servat, ex eo quod testamento valido illam teneat; postulatur utrum in conscientia tutus esse possit? »

Sacra Pœnitentiaria respondit : Bonifacium *teneri in conscientia ad implendam voluntatem* Eudorii, *certo cognitam.*

Die 23 Junii 1844. (*V. Comp. n.* 840.)

In præfato autem casu non constabat de pia intentione Eudorii, nisi ex schedula formis legalibus carente ; nihilominus *S. Cong.* declarat legatarium teneri ad implendam voluntatem testatoris certo cognitam. Et pluries, in eodem sensu, eadem *S. Cong.* hujusmodi quæstiones diremit.

862. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Seu, an Germanus absolvi possit? Jam ex

dictis satis liquet ei minime esse indulgendum, nec proinde eum esse absolvendum. Nulla enim ratione excusari potest a legatis piis, ipsi a patre injunctis, persolvendis. Nec obstat quod non vestiantur solemnitatibus quæ ad testamenta lege civili requiruntur, cum piæ causæ a potestate civili non pendeant, ut supra fusius probatum est. Attamen quandoque in praxi caute agendum est, cum hæredes videntur versari in bona fide, et, si de sua obligatione admonerentur, monitioni Confessarii non obtemperarent.

863. — *Ex dictis resolves cum Reuter, part.* 3, *n.* 277 :

« 1° Si hæredi certo constet voluntatem testatoris fuisse ut aliquid in « piam causam expenderetur, licet in foro externo probari non possit, ta- « men in foro conscientiæ tenetur obsequi testatoris voluntati. Non enim « requiritur probatio ubi de veritate constat.....

« 2° Si Parochus post mortem parochiani sui producat schedam con- « tinentem pia quædam legata, tunc si agnoscatur, vel duobus testibus « probari possit quod manu testatoris vel defuncti sit scripta, pia ejus « voluntas exsecutioni mandanda est; si autem ipse Parochus legata adno- « taverit, non creditur ei sine alio teste. Quare Parochi vel Confessarii « tales ultimas dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi advocatis « duobus testibus masculis aut feminis. Unus tamen cum Parocho suffi- « cere poterit...

« 3° Valent legata pia et exsecutioni sunt mandanda, quæ continentur in « testamento ad causas profanas invalido... (ut ex supra dictis constat).

« 4° Si moriturus cœpit facere testamentum, et morte præventus non « absolvit, licet secundum alia irritum sit, valet tamen quoad legata pia « quæ in hac imperfecta dispositione expressit. »

CASUS XV

LEGATA PIA 2°

Philibertus, vir dives æque et pius, carens hæredibus *necessariis*, instituit hæredes, testamento rite condito, tres nepotes suos Marium, Marinum et Marianum, ea lege ut quisque horum quinque millia francorum in causas pias elargiturus esset. Sed, mortuo Philiberto, Marius et Marinus, minus pii quam cupidi, obtinent ut in judicio civili rescindatur testamentum quoad legata pia; Marianus autem titubans, nescit quid sibi sit faciendum : hinc et inde interrogat, oppositasque obtinet decisiones.

Hinc :

Quær. 1° *An hæredes* Philiberti *juridicam irritationem legatorum piorum procurare potuerint?*

2° *An* Marianus *beneficio sententiæ irritantis tuta conscientia uti valuerit?*

Solutio :

864. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Hæredes Philiberti minime potuerunt *per se* procurare irritationem legatorum piorum. Etenim illa legata pia con-

stituuntur in testamento valido. Si igitur admittant testamentum sibi favens, etiam onera in eo inclusa admittere debent. *Qui sentit commodum, et onus sentire debet.* Nec dici potest quod legata illa sint inofficiosa, seu quod jura hæredum lædant, siquidem hæredes non sunt *necessarii*, et nullum jus legale præter testamentum habent. Præterea, etiamsi hæredes *necessarii* forent, eorum *legitima* præfatis legatis non læderetur, ut in casu supponitur. Numquid causæ piæ deterioris conditionis ac causæ profanæ habendæ sunt? Si PHILIBERTUS in testamento valido 15 millia francorum Bertæ, meretrici, legasset, numquid legatum impugnari et irritari posset? Nequaquam. Quare igitur irritari poterit, si in pauperum vel orphanorum favorem fiat?

Adde quod, ex dictis in casu præcedenti, legata pia solvenda sunt, etiamsi formis legalibus destituantur, ut ex Jure canonico evincitur : ergo a fortiori, si in testamento valido referantur, nec jus ullum hæredum lædant. Ergo prædicti hæredes solvere debent legata pia in testamento relata, vel ipsi testamento renuntiare.

865. — *Resp. ad 2^um Quæs.* MARIANUS beneficio sententiæ irritantis tuta conscientia uti non potest, licet ipse irritationem legatorum piorum non provocaverit, ut liquet ex dictis. Ergo ipse pro parte sua legatum adimplere debet. In praxi tamen caute agendum est, si hæredes bona fide credant se per sententiam judicis a legatis piis solvendis in conscientia liberari, ne monitioni Confessarii non obtemperent, et formaliter peccent, ut jam in casu præcedenti adnotatum est.

CASUS XVI

INDUSTRIUS LEGATARIUS

BARBERINUS, a GORDIANO, avunculo suo, hæres universalis constituitur ea lege ut matrimonium decurrente anno ineat, et aliam ducat ac JULIAM, quam amore prosequi videbatur, et quæ testatori displicebat. Quid vero BARBERINUS? Modum invenit tum hæreditatem ineundi, tum etiam JULIAM ducendi. Ecce : festinat ducere vetulam 70 annos natam et infirmitatibus obrutam. Hinc factum est ut, vetula mox moriente, juniorem JULIAM brevi duceret. Hæredes autem alii naturales contendunt conditionem non fuisse impletam, postulantque ut hæreditas inter omnes dividatur.

Hinc :

QUÆR. *An* BARBERINUS *accipere et retinere possit* GORDIANI *hæreditatem?*

Solutio :

866. — *Resp. ad Quæs.* An BARBERINUS ab hæreditate propulsandus sit? An, contra, sua ei fraus patrocinari possit? Lis hinc et inde acriter instituitur. Qualis scopus testatoris fuit? Procul dubio, ut BARBERINUS nunquam JULIAM in matrimonium duceret; porro finis ille minime fuit obtentus : ergo BARBERINUS hæreditatem consequi non potest, ut primo intuitu

apparet, cum conditionem a GORDIANO intentam atque sufficienter expressam non adimpleverit. His tamen non obstantibus, videtur BARBERINUS jus strictum ad hæreditatem avunculi habere. Etenim præcise attendendum non est in hoc ad id quod intendit testator, sed ad id quod in testamento clare expressit; nam ad intentionem non attenditur, nisi quando verba testatoris sunt obscura : hic autem perspicua et manifesta sunt. Porro juxta sensum naturalem et genuinum verborum, quibus exprimitur ultima defuncti voluntas, conditio ab ipso posita omnino adimpleta est, cum revera matrimonium decurrente anno inierit, et aliam ac JULIAM duxerit; ergo illi hæreditas devolvenda est. Insuper jus ad hæreditatem acquisivit, statim ac nuptias cum vetula celebravit. Nec dicas eum fraude usum fuisse, et proinde injuste hæreditatem adiisse; nam jure suo usus est. Igitur nullam fraudem, sed industriam adhibuit ut legatum consequeretur, nec a JULIA sibi copulanda impediretur. Ergo cum bona pace, tum dilecta conjuge, tum non minus concupita hæreditate, BARBERINO nostro frui liceat.

CASUS XVII

FIDEI-COMMISSUM

1° MŒVIA, vidua, duas habet filias, quarum una legitima est, spuria altera, sed actu publico recognita. Ægre ferens quod nonnisi modica bonorum pars huic legaliter competat, committit ANNÆ mille francos, ut eidem filiæ spuriæ post mortem suam secreto tradantur. Mortua autem MÆVIA, anxia hæret ANNA, nesciens cuinam e duabus sororibus remittenda sit pecunia hæc, fidei suæ commissa.

2° FLORUS, vir dissolutus et dives, duplicem habuit prolem, ex fornicatione unam, sed non recognitam, alteram vero ex incestu cum FLAVIA consanguinea sua. Cum utrique benefacere vellet, ANTONIO viginti francorum millia, inter utramque post mortem suam dividenda, commisit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An, in primo casu, pecunia* ANNÆ *commissa competat filiæ spuriæ* MŒVIÆ, *vel filiæ legitimæ ?*

2° *An* ANTONIUS, *in secundo casu, possit vel debeat exsequi fidei commissum erga utramque prolem spuriam* FLORI, *vel pecuniam acceptam hæredibus tribuere ?*

Solutio :

867. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Solutio quæstionis pendet a statu fortunæ matris. Si legatum fidei-commissorium noceat juribus filiæ legitimæ, adimpleri nequit; secus vero si minime noceat. Mater enim potuit dare filiæ suæ naturali recognitæ, præter id quod ipsi lege tribuitur, quidquid extraneo dare posset. Hinc, si mater sat dives sit, Anna legatum hoc fidei-commissorium filiæ illegitimæ tribuere potest, cum altera puella jus nullum in hanc pecuniam habeat, siquidem, in hypothesi, in legitima sua non læderetur.

868. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Florus *probabiliter* committere potuit Antonio pecuniam suæ proli fornicariæ transmittendam. Ratio est, quia potuisset etiam eam hæredem instituere, non quidem quatenus prolem suam, sed quatenus personam ex lege non inhabilem. Idem etiam de jure naturali quoad legatum proli incestuosæ legandum, ob eamdem rationem. De jure vero Gallico filii incestuosi sicut et adulterini ad donationes recipiendas prorsus inhabiles declarantur; jus enim tantum habent ad accipiendum ea quæ ad vivendum necessaria sunt. Plures tamen non *improbabiliter* hujusmodi donationes non irritari contendunt, nisi de vitio nativitatis juridice constet. — *V. Comp. n.* 828.

CASUS

DE COMMODATO, DEPOSITO, MANDATO ET MUTUO

CASUS I

COMMODATUM

Exuperius Tibulo commodavit tapetes, seu picturas textiles, ad domus cubicula exornanda, pro nobili quodam hospite recipiendo. Cum autem discessisset hospes, et jam de tapetibus domino restituendis ageret Tibulus, ecce in media tempestate domus ejus fulmine incenditur, et mox tota cum rebus commodatis comburitur. Potuisset tamen eas ab incendio liberare Tibulus, nisi ad res proprias flammis subducendas totus incubuisset. Exuperius autem tapetum pretium requirit a Tibulo, qui negat se in hujuscemodi casu ad damnum reparandum obligari. Quare lis inter utrumque inducitur.

Hinc :

Quær. 1° *An teneatur* Tibulus *damnum erga* Exuperium *resarcire, attentis quæ sunt in casu ?*

2° *An debuisset* Tibulus *prius res sibi commodatas ab interitu salvare, quam proprias ?*

3° *An teneretur ad restitutionem commodatarius, si tapetes absque sua culpa a fure ablati fuissent ?*

4° *Quid, si dubium esset de negligentia gravi in rebus commodatis accurate servandis ?*

Solutio :

869. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° Tibulus ad nihil tenetur, si tapetes ex incendio salvare non potuit, quia damnum casui fortuito tantum tribuendum est, cum culpa nullius, ne juridica quidem, intervenerit. 2° Si vero, adhibita diligentia, res commodatas æque ac suas servare potuit, de damno tenetur, quia, ob omissionem diligentiæ ex contractu debitæ, gravis culpæ theologicæ reus evadit.

870. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Tibulus debuit magis attendere ad res commodatas quam ad suas salvandas, si res alienæ multo pretiosiores fuerint quam propriæ, præsertim si gratuito ei commodatæ fuerint. Ratio est, quia rei alienæ debetur custodia, quam quisque prudens pro suis adhiberet; quisque autem servaret suas pretiosiores præ vilioribus. Ergo similiter agere debet erga res alienas commodatas; secus injustitiæ reus evadit et ad restitutionem adstringitur. Porro in nostro casu facile evenire potuit ut tapetes majoris fuerint pretii quam res domesticæ, cum postulatæ sint ad

cubicula exornanda pro nobili hospite recipiendo : ergo facile commodatarius ad restitutionem obligari potest. — *Reuter*, *n.* 178. — Pariter potuit Tibulus res proprias præferre *per se*, si pretiosiores fuerint quam alienæ. Ratio ex dictis facile deducitur, nempe, ex rationis paritate.

2° Quid vero in casu in quo tum res alienæ, tum propriæ fuerint ejusdem valoris? *Controvertitur.* Alii censent commodatarium in hac hypothesi debere attendere æque ad res commodatas quam ad suas salvandas, quia, eas accipiendo, suscepit obligationem adhibendi seriam diligentiam res illas, velut suas, curandi et custodiendi. — *Reuter, ibid.* Alii tamen *communius* dicunt probabiliter posse commodatarium res suas proprias potius a periculo salvare, quia caritas recte ordinata a semetipso incipit, saltem *per se* loquendo, secluso speciali contractu. *Lugo, D.* 8, *sect.* 10.

871. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Nego*, quia, tunc nulla interveniente culpa theologica, nulla quoque sequeretur restitutionis obligatio. — *Recole dicta de injusto damnificatore*, *n.* 628-634 *et seq.* — *V. Comp. n.* 659.

Resp. ad 4^um^ *Quæs.* Si grave peccatum non commiserit in omissione diligentiæ debitæ, non videtur obligandus ad restitutionem, quia tunc non est certa obligatio; porro obligatio incerta non est imponenda : etenim non tenetur quis ad restitutionem certam ob merum dubium de damno illato. — *Ita auctor casuum Bononiæ editorum, V. Commodatarius.* Sed Collet adnotator dicit restituendum esse pro rata dubii.

CASUS II

COMMODATARIUS INFELIX

Pibertus mercator, mane quodam, obstupescens animadvertit magnam mercium suarum copiam nocte præcedenti furtim ablatam fuisse. Die uno alterove elapso, inaudiit furem cum mercibus abiisse in alium locum quinque leucis inde dissitum. Absque mora rogat Marcum vicinum et debitorem suum, ut confestim equum suum sibi commodare velit, quo furem strenue insequatur. Bucephalo insidens, velociter ad prædictum locum pervenit. Sed, heu! dum prima nocte in quoddam hospitium divertit, nova ei accidit calamitas. Altero mane, cum stupore animadvertit etiam equum nocturno tempore clam ac furtive fuisse e stabulo abductum. Hinc miser, amissa spe recuperandi sive merces, sive ipsum equum, pedes domum reverti coactus est, re prorsus infecta.

Hinc :

Quær. 1° *An* Pibertus *solvere teneatur equi pretium* Marco *ejus domino?*

2° *An vero hospes, apud quem divertit* Pibertus, *ei idem pretium compensare teneatur?*

3° *Quid, si* Pibertus *cum equo ultra quinque leucas furem fuisset insecutus, et tunc tantum equus fuisset ablatus e stabulo, vel a prædonibus eidem violenter ereptus? Deberetne equum compensare?*

4° *Si vero* Pibertus *cum equo feliciter fuisset ad propria reversus, potuissetne eumdem equum sibi retinere, ex eo quod a suo debitore solutionem debiti aliter obtinere non posset?*

Solutio :

872. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* PIBERTUS non tenetur ante sententiam judicis ad solvendum equi pretium, si equum deposuerit in tuto stabulo, seu nulli extraneo patenti. Ratio est, quia commodatarius, saltem in foro conscientiæ non tenetur resarcire damnum rei commodatæ obveniens, nisi culpam theologicam gravem commiserit. Atqui PIBERTUS, in casu, talem culpam non commisit. Ergo in foro conscientiæ, ante judicis sententiam, damnum pro equo sublato compensare non debet. — *Vide dicta supra de injusto damnificatore, n.* 628-634 *et seq.* — *V. Comp. n.* 659.

873. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Idem omnino de hospite dicendum est, ob eamdem causam. Etenim ei imponi nequit in conscientia, ante sententiam judicis, obligatio damnum resarciendi, modo per se vel suos famulos, ad custodiam stabuli præpositos, vigilantiam a patrefamilias plerumque adhibitam præstiterit.

Resp. ad 3^um *Quæs. Affirm.*, si terminum itineris præfixum notabiliter excesserit. Ratio est, quia equum accepit, ut supponitur, ad iter quinque leucarum tantum peragendum. Commodatarius vero, qui re commodata utitur ultra licentiam acceptam, etiamsi fortuito eam amittat, ad compensationem tenetur, quia vere culpabilis est. *Mora enim sua cuilibet nociva est* (*Reg.* 25, *in* 6°). Secus vero dicendum esset, ut videtur, si PIBERTUS equum commodatum accepisset ad tempus, vel ad dies indeterminatos, *et præcise ad furem prosequendum,* quia tunc omnino culpa vacaret. — *Elbel, n.* 369.

874. — *Resp. ad* 4^um *Quæs. Affirm.* pro foro interno, scilicet, licebit commodatario tamdiu detinere equum, donec dominus illius debitum suum solverit. Proinde Confessarius hujuscemodi compensationem dissimulare poterit, nisi alia mala graviora secutura prævideat. Etenim creditor, qui debiti solutionem obtinere nequit, ex jure naturali sibi ex re debitoris satisfacere potest, saltem *per se,* secluso scandalo, aliisve gravibus incommodis, ut supra de furto dictum est. — *Elbel, n.* 371.

CASUS III

DEPOSITUM 1°

THEOPHILUS, mercator, dum in vicinam civitatem ad nundinas profectus, in hospitio quodam pernoctasset, evigilans mane, animadvertit sarcinam suam, quam in suo cubiculo deposuerat, fuisse furtim ablatam. Quamobrem stupore correptus et ira excandescens, mirum in modum invehitur contra hospitem, ab eo damni seu furti compensationem requirens. Negavit hospes se illam sarcinam vidisse, multo minus eam contrectasse : propterea noluit quidpiam, vel minimum, THEOPHILO compensare.

Hinc :

QUÆR. 1° *An hospes pretium sarcinæ ablatæ* THEOPHILO *peregrino solvere debeat?*

2° *Quid, si* THEOPHILUS *sarcinam in hospitio, vidente hospite, deposuisset, et, dum negotiorum causa alio divertit, hæc furtim ablata fuisset?*

3° *Quid, si peregrinus ille sarcinam speciali hospitis custodiæ commiserit, et postea adverterit aliquid ex ea ablatum fuisse, seclusa hospitis culpa theologica?*

4° *Ad quid teneantur artifices, quibus res conficiendæ vel resarciendæ traduntur?*

Solutio :

875. — *Resp. ad 1^um Quæs. Negative.* Ratio est, quia nullam prorsus culpam, ne levissimam quidem, commisit, cum sarcina ipsi nunquam commissa fuerit. Etenim, si Theophili crumena, quam secum in lecto retinuit, ablata fuisset, nemo hospitem ad resarciendum hujusmodi damnum obligaret; quia, crumenam secum retinendo, eo ipso curam ejusdem in se suscepisse merito putatur. Ergo idem dicendum est, si sarcinam penes se ad lectum retinuit; censetur enim curam rerum suarum in se potius suscipere, quam hospiti concredere. — *Elbel, n.* 372. — *Recole dicta supra in casu fere simili de damnificatore, n.* 634.

876. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Etiam in hoc casu, hospes ab onere restitutionis est eximendus in foro conscientiæ, ante judicis sententiam, nisi gravis negligentiæ in re custodienda reus sit. Viget enim semper eadem ratio, scilicet, quia gravis culpa theologica deficit.

Resp. ad 3^um Quæs. Neque in hac hypothesi hospes urgendus erit ad restitutionem in foro conscientiæ peragendam, ante judicis sententiam. Casus enim non substantialiter mutatur, licet nova circumstantia accedat. Sed facile in foro externo caupones ad damnum resarciendum damnantur, quia facile culpa juridica in ipsis supponitur, nisi probent illud damnum ex casu fortuito vel ex violentia absoluta evenisse. — *Elbel, n.* 374.

877. — *Resp. ad 4^um Quæs.* Idem omnino dicendum est de illis artificibus ac modo de cauponibus dictum fuit. Seclusa culpa theologica, a restitutione immunes judicandi sunt, ante sententiam judicis. Sed cum diligenter invigilare debeant in res suæ custodiæ commissas, admissa notabili incuria, etiam in foro conscientiæ de damno tenentur. Tenentur enim res sibi traditas sedulo custodire, sicut solet agere *bonus pater familias*, seu dominus quoad res proprias servandas.

CASUS IV

DEPOSITUM 2°

Hippolytus non modicam frumenti copiam ab amico, in loco dissito domicilium habente, depositam accepit, et in horreo suo, intra civitatis mœnia constituto, asservavit. Cum autem bellum ingrueret, et, incursu hostium, segetes vastatæ agrique depopulati, imo et horrea spoliata fuissent, annona deficiente, civitas egere cœpit, et ipse Hippolytus penuria affici. Prævidens autem, frumentum ab amico acceptum, ab hostibus ablatum iri, partim illud vendidit, partim etiam ad sublevandam familiam suam impendit, ratus, melius esse frumentum illud ab amico quam ab hostibus consumi.

Hinc :

Quær. 1° *An* Hippolytus *potuerit frumentum amici vendere et pro familia impendere?*

2° *An post factum ad restitutionem teneatur, sive ratione pecuniæ ex frumento obtentæ, sive ratione frumenti ab ipso et familia in egestate consumpti?*

Solutio :

878. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia *rationabiliter* præsumere potuit depositorem non esse invitum; imo malle ut frumentum in his circumstantiis venderetur, vel ab amico suo consumeretur, cum onere illud tempore suo refundendi. Etenim quisque censetur velle, ut suis rebus provideatur meliori modo quo fieri potest. Atqui in his rerum adjunctis depositarius melius frumento amici sui consulit, illud vendendo, aut illo fruendo, quam si hostium deprædationi relinqueret, cum onere tamen compensationis, postea faciendæ. Ergo nullius culpæ arguendus est. — *Elbel, n.* 375.

879. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Hippolytus, post factum, tenetur ad compensationem, tum pro frumento vendito, tum etiam pro frumento a se et a familia sua consumpto. Ratio prioris evidens est, siquidem pecunia ex frumento vendito illius pretium est; ergo debet esse illius cujus erat frumentum. Atqui frumentum erat depositoris : ergo... Ratio autem posterioris est, quia Hippolytus non potuisset, tuta conscientia, frumentum consumere, nisi intentionem habuisset illud tempore suo refundendi; secus enim furtum patrasset. Ergo, si cum illo animo consumpsit, in ipso consumptionis instanti, obligationem contraxit illud postea compensandi.

880. — *Objicies :* Depositor nullum passus est detrimentum, quia, si non fuisset consumptum frumentum, ab hostibus dilapidatum fuisset; ergo jus non habet ad compensationem.

Resp. Nihilominus depositarius obligatur ad frumentum compensandum; nam, ab eo momento, quo illud consumpsit, habendus est tanquam mutuatarius, ac proinde subjicitur obligationi reddendi saltem pretium rei æquivalens : si autem id facere nolit, non excusatur a furto, et est injustus in depositorem damnificator. Nec refert quod hostis forte frumentum abstulisset; nam, si id fecisset absque justo titulo, de damno teneretur : si vero cum justo titulo, depositor non potuisset rationabiliter esse invitus contra illum; at rationabiliter erit invitus contra depositarium, qui, cum velit esse amicus, sine justo titulo renuit frumentum consumptum compensare. Hinc, quemadmodum ille qui rem alterius eripit ex incendio, ejus dominium non acquirit, ita etiam neque Hippolytus frumentum facit suum, illud deprædationi hostium subtrahendo. — *Elbel, n.* 376.

CASUS V

DEPOSITUM 3°

Gedonius emit frumentum extra urbem, et apud Babylam, villiculum, deposuit, suo tempore in civitatem vehendum. Babylas autem, cum frumentum æque bonum et forte melius haberet in ipsa urbe, frumentum

Gedonii sibi commissum vendidit, suum proprium frumentum in civitate existens substituturus, ne Gedonius inutiles expensas ad vehendas suas merces subire cogeretur. Sed ecce infortunium ! Antequam Babylas suum frumentum Gedonio traderet, per incendium cum granario periit.

Hinc :

Quær. *Quis damnum ferre teneatur? An depositor, vel depositarius?*

Solutio :

881. — *Resp. ad Quæs.* Quis damnum feret? Ferendum erit Babylæ, depositario. Ratio est, quia dominus non erat frumenti quod vendidit, sed sub Gedonii dominio adhuc remanebat. Ergo ipsi pretium refundendum est. Etenim intelligi nequit, in præsenti casu, quomodo vera frumenti commutatio facta fuerit. Ad commutationem enim efficiendam, necesse est ut mutus consensus partium intercedat, cum sit verus contractus. Quomodo autem tacitus consensus utrinque haberi potuit, cum Gedonius ne unquam quidem cogitaverit de permutando frumento?

Objicies : Præsumi potest depositoris consensus, cum res in ejus utilitatem vergat commutationis tempore; atqui consensus præsumptus sufficit ad dominium alicujus rei acquirendum. Ergo...

Resp. Posset quidem præsumi consensus domini *conditionatus,* concedo; *absolutus,* nego. Etenim non est credibile depositorem velle consentire in frumenti commutationem per depositarium faciendam, se inscio, nisi sub conditione ut aliud frumentum æquale sibi reipsa restituatur. — *Reuter, n.* 176.

CASUS VI

DEPOSITUM 4°

1° Robertus, ex nundinis rediens, majoris securitatis gratia, merces suas et pecuniæ sacculum rite obsignatum, in quadam civitate penes Nicasium, mercatorem, deposito reliquit. Nicasius hæc sibi concredita diligenter in officina condidit. Sed, elapsis subinde pluribus diebus, pecunia otiosa, mutui instar, uti posse non dubitavit, ad perficiendum contractum ex quo pingue lucrum est consecutus. Merces vero aliquas, opportunitate data, summo pretio vendidit, et alias æque bonas pretio medio emit, ut venditis substitueret. Sed lucrum, tum ex pecunia, tum ex venditione aliquarum mercium, sibi integrum servavit.

2° Canutus, alicujus principis thesaurarius, pecuniis sibi creditis, inscio domino, in suum commodum negotiatur, et lucrum sat notabile sibi facit. Die quadam, cum cistula, pecunia domini referta, ipsi tradita fuisset, eam in suo cubiculo reposuit, eamdem postea in arca pecuniaria repositurus. Subinde vero cistulam lustrans, advertit mille francos ex ea fuisse subductos.

Hinc :

Quær. 1° *An graviter peccaverit* Nicasius, *in primo casu, rebus depositis, inscio domino, utendo?*

Quær. 2° *An lucrum, quod ex pecunia et mercibus percepit, sibi retinere valeat, aut totum vel partem domino restituere debeat?*

3° *An* Canutus, *in secundo casu, lucrum pecuniæ principis, mutuo traditæ, juste suum fecerit, vel illud restituere debeat?*

4° *An idem* Canutus *mille francos, furtim subductos, erga dominum suum compensare debeat?*

Solutio :

882.— *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Solutio casus pendet ex variis rerum adjunctis, et maxime ex præsumpta depositoris voluntate, v. gr., si sit amicus, aut valde familiaris. *Per se* depositarius non videtur graviter peccasse contra caritatem; quia usus tum pecuniæ, tum mercium depositarum, non censetur gravem tristitiæ causam deponenti allaturus, si id resciat, modo nullum inde detrimentum passurus sit, id est, modo depositarius in promptu certa habeat, unde reposcenti tempore suo retribuat. Attamen, quando res depositæ sunt obsignatæ, multo facilius præsumi debet depositorem merito et graviter invitum esse, et proinde noxa gravis contra fidelitatem et caritatem facilius contrahi potest. — *Voit, n.* 911. — *Reuter, n.* 175.

883. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Nicasius retinere potest totum lucrum quod obtinuit, sive ope depositæ pecuniæ, sive ex venditione mercium depositarum, dummodo dominus fiat omnino indemnis. Ratio est, quia totum lucrum illud ut singularis industriæ fructum acquirere potuit et retinere. Etenim nullum depositori damnum infertur in casu, cum totum id, quod deposuit, vere accipiat. — *Reuter, ibid.*

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Canutus lucrum quod percipit, cum pecunia principis negotiando, retinere potest, quia inde minime damnificatur princeps, modo illa pecunia otiosa fuerit. Emolumentum inde proveniens industriæ utentis tribuendum est, ut patet ex dictis.

884. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Canutus mille francos ab alio subductos restituere non tenetur, si gravem culpam in custodiæ defectu non commiserit, v. gr., si brevissimo tempore pecuniam extra ærarium reliquerit, nec prudens periculi metus abfuerit. Si autem judicis sententia interveniat, in omni casu damnum compensare tenetur. Restituere teneretur, si ejus negligentia fuerit gravis, v. gr., si notabili tempore adfuerit, vel si diu januam apertam reliquerit. Constat ex dictis *de damnificatore*, scilicet, requiri culpam theologicam, et quidem gravem, ut obligatio restitutionis in re gravi inducatur. — *V. Comp. n.* 659 *et seq.*

CASUS VII

MANDATUM 1°

Bertrandus, sartor, jussus est a Geraldo, viro valde conspicuo, ut emeret 100 ulnas panni diversæ speciei, ad vestes tum pro ipso Geraldo, tum pro ejus domesticis, conficiendas. Mercator, quem adit sartor, de hoc bono eventu gaudens, sponte ei minoris quam cæteris pannum vendidit, imminuens, scilicet, pretium ex decem assibus pro singulis ulnis, ut ani-

mum gratum ipsi ostenderet. Bertrandus igitur 50 francos seposuit ac sibi servavit, a Geraldo consuetum pretium requirendo.

Hinc :

Quær. *An sartor potuerit prædictum lucrum sibi retinere, vel mandanti restituere debeat?*

Solutio :

885. — *Resp. ad Quæs.* Generatim non facile credendum est mercatoribus qui asserunt se pretium imminuere in favorem ementis : nam idem fere omnibus repetunt, ita ut cuncti se privilegiatos existiment. Nec raro venditores de industria pretium a principio extollunt et exaggerant, ut postea videantur aliquid de eo remittere in emptorum gratiam. Propterea difficillimum est, in theoria, hujusmodi casus solvere; sed communiter mandatariis indulgendum non est, præsertim si pretii imminutio, quæ fieri videtur, sit valde notabilis, ut in nostro casu. Hallucinationis periculo imprimis obnoxii sunt famuli, qui pro dominis emunt, nec verum pretium rerum cognoscunt. Facilius tamen erit sartori nostro dignoscere certum panni pretium et judicare utrum revera mercator, ipsiusmet intuitu, de pretio remiserit. Si vir probus sit, et id asserat, non videtur inquietandus.

Sic de casibus hujusmodi *S. Lig. n.* 826 : « Caute permittendum est « sartoribus ementibus pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio : nam « aliquando mercatores potius simulant ipsis donare quam donant, ita ut, « si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret. Cæterum, si « sartor fideliter negotium domini gerat, et mercator aliquid ei donet vere « gratis, quia suam officinam ille frequentat, vel ut eum alliciat ad suam « officinam frequentandam, licite sartor posset retinere donatum, modo « moralem diligentiam adhibuerit ad emendum ab aliis mercatoribus « pretio minori. »

CASUS VIII

MANDATUM 2°

Salustus, rei domesticæ cujusdam viri sat opulenti præpositus, ab eo jussus est ut singulis annis necessaria ad familiam vestiendam tanti emeret, penes determinatum mercatorem, nempe Cyrillum. Salustus vero, Cyrillo prætermisso, apud alium mercatorem ejusdem civitatis res minori pretio comparat. Aliquando etiam, emendi causa, in aliam civitatem se conferens, pannum tenuiori pretio acquisivit. Residuum porro summæ ad emptionem a domino determinatæ, nec impensæ, sibi vindicavit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Salustus, *in primo casu, ad aliquid teneatur erga* Cyrillum, *mercatorem prætermissum? An erga dominum?*

2° *An retinere possit id quod minus impendit, merces in alia civitate emendo?*

Solutio :

886. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Quid de Salusto? Nullam quidem injustitiam, Cyrillo prætermisso, commisit, quia mandans, ut supponitur, nullo contractu adstringitur ad merces in ejus officina emendas; sed injustitiæ reus evadit erga mandantem, cujus rem utiliter gerere debet : etenim pecunia quam non expendit, mandantis est, et mandanti clamat. Ergo ei mandatarius parcimoniæ fructum restituere debet. — *Recole dicta de furto, casu* 9, *n.* 571.

Resp. ad 2^um *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia lucrum illud quod Salustus obtinet, in alium locum se conferendo, et ibi merces minori pretio emendo, revera ejus labori et speciali industriæ debetur; proinde sub hoc respectu non est inquietandus. — *Reuter, n.* 182.

CASUS IX

MANDATUM 3°

1° Respicius, homo valde industrius, frequenter, ut mandatarius, a Bernardo adhibetur. Lucrum autem fecit, et ut fructum industriæ sibi servavit in sequentibus casibus : Primo jussus fuit, ut emeret decem modios tritici pro 50 francis; emit autem 40 fr. frumentum bonæ speciei, et 10 fr. sibi reservat. Alias mandatum habuit equum vendendi 300 fr., et 320 vendidit, et proinde 20 fr. seposuit. Alias eidem commissus est bos 200 fr. vendendus; Respicius non habens occasionem illum bovem vendendi, eum ipse pro statuto pretio sibi emit, et postea carius vendit.

2° Callixtus accipit a Marcello annulum, vendendum quinque nummis. Ille vero, felici sorte, eadem die viro perito octo nummis vendit. Igitur quinque nummos tradit Marcello, tres vero reliquos sibi servat, tum quia est fructus industriæ, tum quia Callixtus ipse pretium determinavit, nec majus requirit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Respicius *possit lucrum perceptum retinere in variis adjunctis, in primo casu relatis?*

2° *An* Callixtus *potuerit pretium residuum sibi retinere?*

Solutio :

887. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. In* 1° *casu :* Respicius non potest sibi servare pecuniam, cui pepercit in frumenti emptione, quia emit nomine mandantis, et rem ejus utiliter gerit. Mandans autem, determinando pretium, significat se nolle ut majori pretio frumentum ematur, sed non ideo renuntiat beneficio quod mandatarius obtinere potest. Igitur pecunia reservata domino clamat. Secus tamen dicendum est, si Respicius, ut minoris emeret, in alium locum iverit, et expensas fecerit, etc., ut dictum est in casu præcedenti. — *S. Lig. n.* 825.

In 2° *casu :* neque potest Respicius excessum pretii retinere, quia pretium fuit ipsi determinatum ne venderet minoris, nisi aliud ex verbis

mandantis, aut ex circumstantiis colligatur. Quare emolumentum cedit domino, cujus venditor rem utiliter gerit. — *S. Lig. ibid.* — *V. Comp. n.* 847.

In 3° *casu :* licite egit Respicius. Ratio est, quia non est ipse deterioris conditionis quam alius quilibet; igitur, modo tribuat domino pretium ab eo determinatum, bene potest bovem sibimetipsi vendere; et si postea, data occasione, illum pluris vendat, lucrum illud suum facit, quia rem suam vendit, et proinde ipsi emolumentum proficere debet. Sed, in eo casu, mandatarius sincere emere debet : ita ut postea omnia pericula et onera subeat, si, v. gr., bos pereat, deterior evadat, etc. Igitur, re perfecta, haberi debet ut verus dominus, nec potest postea venditionem hanc rescindere. — *Reuter, n.* 182. — *S. Lig. n.* 825.

888. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Negative, per se.* Etenim 1° nihil retinere potest ratione industriæ, quia auctarium pretii non est fructus industriæ, sed fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine Callixtus tantum vendidit : ergo auctarium spectat ad dominum. 2° Neque aliquid retinere potest ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei : ergo spectat ad dominum rei. 3° Neque ex eo quod dominus designaverit pretium, quia, sine pacto tacito vel expresso retentionis auctarii, illa designatio tantum facta est, ne infra illud pretium designatum annulus venderetur. Dixi *per se,* quia excipiendus est casus in quo Marcellus expresse vel tacite convenerit cum Callixto, ut, si annulum vendiderit supra pretium designatum, lucrum sibi servet. — *Voit, n.* 939. — *S. Lig. n.* 825.

Objicies : Mandatarius mercedem pro labore suo competentem exigere potest; ergo illud augmentum pretii hac ratione retinere potest.

Resp. Vel convenit cum mandante de aliqua mercede, vel non. Si prius, debuit determinari merces illa, et a mandante eroganda est; nec pendet ab arbitrio proprio mandatarii. Si posterius, jam hic censetur voluisse suum officium gratuito præstare. Attamen, si mandatarius laborem arduum susciperet, vel tempus notabile adhiberet ad mandati executionem, modo labori proportionato se compensare posset. Sæpissime mandatarii salarium alia ratione percipiunt, quales sunt famuli, proxenetæ, etc.

CASUS X

DE NEGOTIORUM GESTIONE

Remigius emit 50 fr. gemmam 200 fr. valentem, sciens furtivam esse, et ad Germanum pertinere; non emit autem ut eam domino gratuito reddat, at cum intentione pretium solutum ab eo repetendi, cum nullo alio modo gemmam hanc obtinere possit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Germanus, *gemmæ dominus, teneatur refundere in* Remigium *pretium ab eo in ipsius favorem solutum?*

2° *An* Remigius, *domino pretii solutionem recusante, gemmam servare possit, aut etiam eam vendere?*

Solutio :

889. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia REMIGIUS rem GERMANI *utiliter* gerit, eam vilissimo pretio recuperando, quando alio modo minime recuperari potest. Tum *rationabiliter* voluntas domini præsumitur, et officium præstantissimum in ipsius gratiam præstatur. Ergo justum est ut refundatur pretium, quo res empta fuit. — *Antoine, de Contr. part.* 2, *c.* 4, *et alii.*

890. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia REMIGIUS jus habet ut indemnis fiat : ergo, si dominus gemmæ pretium refundere nolit, emptor eam servare potest, vel etiam vendere, ad se compensandum. Attamen gemmam vendere non debet, nisi iterum et serio monito GERMANO ; et, detracta sua pecunia, totum pretii excessum ei tribuere tenetur. — *V. Comp. n.* 848.

CASUS XI

DE MUTUO 1°

1° DUNSTANUS, centum nummis a MATTHÆO mutui gratia acceptis, domum nocte repetebat, cum in furem incidens, ab eo pecunia spoliatur, et vix incolumem vitam subtrahit. Postea vero MATTHÆO, nummos repetenti, restituere noluit, quia, ait, ubi res perit, deficiente culpa detentoris, domino perire censetur.

2° FULCRANUS, cum mutuo pecuniam ab ERNESTO requireret : « Nullam in promptu abeo, inquit iste, sed accipe hæc viginti vasa ex porcellanis, et, iis venditis, pretium in usum ad annum servabis. » Verum vasa a FULCRANO accepta, antequam divenderentur, casu fortuito perierunt.

3° GIBERTUS mille francos mutuo gratuito tradit ARSENIO ad annum, declarans se postea pecuniam hanc, agrum emendi causa, reclamaturum esse. Elapsis autem sex mensibus, data opportuna occasione agrum emendi, GIBERTUS pecuniam repetit. Difficultatem objicit ARSENIUS, et moram postulat ad alios sex menses protrahendam. Annuit mutuator, ea conditione ut mutuatarius fenus legale sit soluturus.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* DUNSTANUS *in primo casu, pecuniam a* MATTHÆO *acceptam restituere debeat?*

2° *An* FULCRANUS *pretium vasorum, de quibus in secundo casu,* ERNESTO *reddere teneatur?*

3° *An* GIBERTUS *potuerit fenus pro pecunia mutuata exigere, prout fertur in tertio casu?*

Solutio :

891. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Jocari videtur DUNSTANUS a pecunia restituenda se excusando. Luce enim meridiana clarius est ipsum obligari ad reddendum MATTHÆO quidquid ab ipso ex mutuo accepit, quia mutuum nunquam proprie perit, vel ipsimet mutuatario semper perit. Etenim, in

mutuo pecuniæ, attenditur tantum ad *valorem*, non vero ad *species* argenteas vel aureas. Quare mutuatarius, accepta pecunia, dicit mutuanti : *Debeo tibi talem vel talem valorem;* valor autem nunquam perit, siquidem mutuatarius, nummis acceptis spoliatus, remanet debitor valoris. Si vero agatur de rebus primo usu consumptibilibus, dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur, cum hæc non sit eadem reddenda in individuo, sed in specie tantum; proinde, si pereat, mutuatario etiam perit, siquidem dominus est.

892. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Fulcranus pretium vasorum solvere debet. Etenim res perit domino; atqui Fulcranus vasorum acceptorum est vere dominus : nam Ernestus eorum dominium omnino transtulit, ita ut ab eo vendi possint, et valor eorumdem tantum sit reddendus. Ergo vasa Fulcrano perierunt.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Nego.* Ex contractu enim Arsenius jus habuit gratuito utendi mutuo per annum integrum. Ergo injuste agit Gibertus, mutuum in medio anno repetendo; ergo consequenter injuste agit, fenus exigendo a mutuatario, ut ei pecuniam usque ad anni finem relinquat.

CASUS XII

DE MUTUO 2°

Zebina, famula, quærit a Confessario utrum possit lucrum legale percipere ex modica pecunia quam multo labore acquisivit, et pro tempore infirmitatis aut senectutis aliquatenus adaugere cuperet. Negat Confessarius ipsam id posse, quia hoc opponitur tum legi naturali, tum doctrinæ Patrum, tum declarationi *Benedicti XIV.* Quod si S. Sedes ultimis hisce temporibus dixerit aliquando fideles, lucrum ex pecunia percipientes, *inquietandos non esse*, clausulam addidit, scilicet : *dummodo sint in bona fide;* qui autem de honestate hujus lucri interrogant, eo ipso bona fide requisita carent.

Hinc :

Quær. 1° *An* Zebina *possit accipere fenus pro mutuata pecunia, absque alio ac legis titulo ?*

2° *Quid de rationibus a Confessario allatis ?*

3° *An bona fides a S. Sede præscripta titulo justitiæ vel honestatis tantum requiratur, seu an restituere teneretur ille qui contra conscientiam fenus legale perciperet ?*

4° *Quomodo interpretanda sit clausula :* Dummodo paratus sit stare Ecclesiæ definitioni ?

Solutio :

893. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Patet ex responsionibus variis S. Sedis. — *Vid. Comp. n.* 863-874, etc.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Ex decisionibus ipsis Curiæ romanæ patet, infirmas esse Confessarii rationes. Etenim, si valerent, praxis opposita ab Ecclesia

permitti non potuisset. Licet enim S. Sedes difficultatem non certo diremerit, sequitur tamen ex positiva tolerantia, quam commendat et præscribit, esse saltem probabilem sententiam fenus ex mutuo permittentem. Atqui, si valerent rationes a Confessario allatæ, doctrina favens lucro ex pecunia mutuata percipiendo, omni prorsus probabilitate destitueretur. Doctrina enim quæ evidenter repugnat juri naturali, Juri divino et canonico, doctrinæque Patrum, non est *probabilis,* neque ab Ecclesia permitti potest. — *Vid. Comp. ibid.*

894. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Quoad *bonam fidem* a S. Sede requisitam, sermo est de conscientia efformata, ita ut peccatum excludat. Quare bona fides ad honestatem actionis, non vero ad ejus justitiam requiritur. Secus enim ille qui, instructus a Confessario rigidiore, putaret se male agere lucrum ex mutuo percipiendo, injustitiam committeret atque ad restitutionem teneretur, quod falsum et absurdum est. Supponantur enim duo homines, lucrum ex mutuo pecuniæ percipientes juxta taxam legis; unus putat hoc esse licitum, et alter illicitum : numquid secundus, ob malam fidem, injustitiæ reus arguendus erit, dum primus ab onere restitutionis liberabitur? Nonne sunt ambo in justitia vel injustitia pares? Numquid prior, non obstante bona fide, a restitutione potius excusari potest quam possessor bonæ fidei, quando detegit rem a se possessam non esse suam? Si in pœnitente bona fides deficiat, facile poterit Confessarius in hac bona fide eum constituere, allata scilicet S. Sedis decisione. — *V. Comp. n.* 869.

895. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Sufficit ad hanc clausulam seu conditionem servandam, ut pœnitens sit dispositus ad se subjiciendum Ecclesiæ decisioni, si unquam hac de re decisionem absolutam latura sit; sed necessarium non est ut pœnitentes de hoc interrogentur. Hæc enim dispositio a bono catholico semper præsumenda est. — *Bouvier.* — *Vid. Comp. n.* 874.

CASUS XIII

DE MUTUO 3o

An quis injustus sit benefaciendo?

Menander centum millibus fr. prædium Polydoro vendit. Hic, quamvis pecuniam in promptu habeat, mavult pecuniam hanc ut sibi creditam retinere, promittens se quinque pro centum quotannis soluturum. Re mutuo consensu composita, Polydorus tam opportune pecuniam in commercium posuit, ut 15 pro 100 perciperet.

Anxietate tamen postea correptus Menander circa validitatem hujus contractus, pergit ad interrogandum Severinum Theologum, cui rem totam pandit. Tunc Severinus : « Hoc tibi minime licitum est, inquit, in aperta versaris injustitia. Non potes enim fructum percipere ex re non tua, seu, ex re cujus proprietatem non habes. Adde quod pecunia sterilis est ex natura sua, siquidem ipso usu consumitur, dum impenditur. Præterea, cum omne periculum mutuatæ pecuniæ in damnum mutuatarii vergat, æquum sane est ut omne emolumentum ex ea ipsi obveniat. Igitur vel pecuniam tuam gratuito mutuatario relinquas, vel eam ab ipso repetas : non datur

medium. » Quapropter MENANDER reclamat predii venditi solutionem. Evenit autem ut, ne justitiam lædat erga POLYDORUM, ab eo occasionem lucrandi quindecim pro centum subtrahat.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MENANDER *in contractu injustus fuerit ?*

2° *Quid ad rationes* SEVERINI *Theologi ?*

3° *An* MENANDER *juste potuisset plus accipere, v. gr., tertiam vel dimidiam partem lucri ?*

Solutio :

896. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Minime gentium ; sed ad pacem est hortandus. Etenim, ex decisionibus Curiæ romanæ, inquietandi non sunt illi qui fenus moderatum juxta taxam legalem, ratione pecuniæ mutuo traditæ, percipiunt. Atqui MENANDER legalis taxæ limites minime prætergreditur ; et insuper, nedum mutuatarium usura oppressiva premat, ipsi medium suppeditat quo ille lucrum ingens ex commercio percipiat. Ergo... Numquid enim injustus evadet MENANDER erga POLYDORUM, ipsi commodum notabile tribuendo? Numquid et *injuriam* faciet, *benefaciendo?*

897. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Rationes SEVERINI sunt sane severiores, ut satis liquet ex responso ad 1^um^ *Quæs.* Stantibus enim temporum nostrorum circumstantiis, atque sanctione legis civilis prædictum lucrum permittentis necnon responsis jam laudatis S. Sedis, ex quibus constat inquietandos non esse fideles qui juxta taxam legis lucrum ex mutuo pecuniæ percipiunt, doctrina SEVERINI *practice* jam defendi non potest, licet olim fuerit doctrina Theologorum communis. Sed attendamus propius ad singulas SEVERINI difficultates :

Objicit 1° SEVERINUS : MENANDER ex re non sua fructum percipit, siquidem dominium pecuniæ suæ in POLYDORUM transtulit.

R. Nego assertum : MENANDER minime transtulit dominium pecuniæ, quia in mutuo pecuniæ non attenditur ad species monetæ, sed ad valorem ; servat autem valoris dominium. Insuper, etiamsi dominium transferret, bene posset ex contractu emolumentum percipere, ex eo quod medium alteri præstaret, quo magnum lucrum obtineret.

898. — *Objicit* 2° : Pecunia est *sterilis* ex natura sua ; ergo fructum producere minime potest ; ergo nec mutuans lucrum ex mutuo percipere valet.

R. Distinguo : est sterilis *per se solam concedo ;* conjuncta cum *industria, nego.* Sic ager tuus sterilis erit, nisi operam ad eum excolendum adhibeas. Sed, si ego pecunia mea auxilium præstem alteri ad lucrum faciendum, utrique prodesse poterit. Cerne POLYDORUM qui 15 pro centum lucratur cum pecunia MENANDRI : numquid eum industria sola, absque pecunia, tantum perciperet commodum ?

Objicit 3° : Periculum pecuniæ vergit in solum damnum mutuatarii ; ergo ipse solus ex ea emolumentum percipere debet. Ergo mutuans nullum lucrum accipere potest.

R. Nego conseq. Potest enim mutuatarius subire periculum et nihilominus lucrum obtinere, licet partem lucri hujus mutuanti eroget. Disce ite-

rum exemplum in casu positum. Si adeo læderetur æqualitas, quare ipsi mercatores semper pecuniam mutuo requirerent? Quod si non semper res votis succedat, hoc velut *per accidens* habendum est, vel casui fortuito, aut imperitiæ mutuatarii tribuendum.

899. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Negat sententia communis. Ratio est, quia MENANDER ex mutuo pecuniæ majus lucrum percipere nequit, quam id quod lege præscribitur. Insuper, aiunt, violaretur æqualitas, cum mutuans lucrum certum obtineat, dum mutuatarius omnia pericula subit, saltem *ordinarie loquendo*. Si igitur MENANDER dimidiam partem lucri obtinere velit, ineat societatis contractum cum POLYDORO, et pericula cum eo subeat. Affirmant tamen nonnulli in casu in quo revera POLYDORUS lucrum valde notabile esset percepturus, juxta dicenda infra, *n.* 905 *et* 906.

CASUS XIV

RATIO AB USURA EXCUSANS 1°

1° LUCILLUS magnam frumenti copiam emerat, ut, opportuna occasione illud vendendo, magnum lucrum inde perciperet. Interea BIBIANUS ab ipso 50 nummos sibi mutuo tradendos postulat. « Non habeo amplius nisi 50, adhuc ad emendum frumentum destinatos, ait Lucillus : si vis, eos tibi dabo, ea lege ut postea mihi solvas auctarium supra taxam legalem, pro rata lucri cum empto frumento a me faciendi. » Annuit BIBIANUS et postea 7 vel 8 pro centum solvere adigitur, ratione lucri pro LUCILLO cessantis.

2° SIMONELLUS, lucri cupidus, plerumque ex mutuata pecunia aliquid præter legis taxam a mutuatario requirit, ratione lucri cessantis, aut probabiliter cessaturi, aut saltem imminuendi. Imo aliquando 10 pro centum postulat, nempe 5 ex legis titulo, et 5 ob lucrum cessans. Nec raro evenit, ut 6 vel 7 pro centum accipiat, absque lucro cessante, quia, ait, mutuatarii sunt contenti, et auctarium illud ultro concedunt, imo quandoque et ipsi offerunt.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quinam sint tituli alii ab usura excusantes, præter legis titulum?*

2° *An tibi liceat fenus accipere, tum ex titulo legis, tum ex periculo sortis, vel pœnæ conventionalis, ita ut tantum ex istis accipias, quantum, secluso legis titulo, accipere posses?*

3° *Quid ad varios casus?*

Solutio :

900. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Tituli ab usura, præter legis titulum, eximentes, sunt : damnum emergens, lucrum cessans; periculum sortis, et pœna conventionalis. — *V. Comp. n.* 856.

Resp. ad 2^um^ *Quæs. Neg. prorsus.* Hinc, si damnum emergens sit pro quinque, non tibi licet accipere decem, scilicet, 5 pro illius damni compensatione, et 5 ex lege. Lex enim locum alterius tituli tenet, si occurrat.

Hoc est certum, quando damnum emergens vel lucrum cessans taxam legis non excedit, vel non superat notabiliter; quia lex, permittendo quinque pro centum, vel sex ratione commercii, intendit comprehendere et compensare illa pericula ordinaria quæ in mutuo inesse possent. Nam pecunia, alio modo impensa, seu ad prædia emenda et excolenda, tantum lucrum non producit, siquidem terra ut plurimum duo cum dimidio, tria vel paulo amplius pro centum, agricolis exhibet.

Quid vero, si damnum emergens notabiliter taxam legalem superaret? An liceret tunc integram compensationem a mutuatario requirere?

Resp. Affirmandum videtur de jure naturali, saltem ante judicis sententiam, quia mutuans, in hoc casu, nullum commodum ex mutuo reportaret; tantum enim ex damno emergente amitteret, quantum ex mutuo reciperet.

901. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Lucillus non est inquietandus, si revera eam damni quantitatem ex mutuo patiatur; sed a periculo hallucinationis ipsi quam maxime cavendum est.

2° Simonellus omnino de usura illicita et injusta est damnandus, ex eo quod variis titulis simul fenus percipiat, et taxam legalem excedat. Nec excusandus est ex prætextu, quod mutuatarii sint contenti; etenim majus tributum aliqua necessitate compulsi tantum solvunt, nec gratuitam donationem excessus debiti facere intendunt.

CASUS XV

RATIO AB USURA EXCUSANS 2°

1° Agritius, dives, agrorum cultor in Gallia, ex mutuo pecuniæ 6 pro centum percipit, quia se aliquatenus mercatorem reputat, cum magnam quotannis frumenti copiam ex propriis agris collectam vendat.

2° Remigius, legali fenore contentus quidem, apponit tamen in mutuo legem hanc, scilicet, ut mutuatarius quædam victualia, quibus indiget in sua propria officina emat, vel alia præstet officia.

3° Cæsar nihil quidem aliud, præter licitum ex lege, requirit; sed, nisi mutuatarius statuto tempore auctarium statim solvat, ex illo ipso fenore fenus erit percepturus, ex eo quod, ait, crescente summa sortis, etiam lucrum pro rata crescere debeat.

Hinc :

Quær. 1° *An* Agritius *sex pro centum ex mutuo pecuniæ suæ percipere possit?*

2° *An* Remigius, *præter fenus juxta taxam legalem, juste a mutuatario exigere possit, ut quædam victualia in sua officina emat, vel aliud officium sibi præstet?*

3° *An* Cæsar *fenus ex ipso fenore a mutuatario requirere valeat?*

Solutio :

902. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Agritius percipere nequit sex pro singulis centenis ex mutuo pecuniæ suæ, titulo mercaturæ, seu juxta legem civi-

lem gallicam, quæ sex in materia commercii permittit[1]. Ratio est, quia veram negotiationem non agit. Mercator enim dicitur ille qui ex officio suo emit ad revendendum. Agritius autem vendit tantum frumentum quod ex propriis agris colligit; ergo mercator nullatenus dici potest. Ergo, etc.

903. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Remigius de injustitia omnino damnandus est. Ratio patet. Etenim evidenter excedit taxam legalem exigendo *ex contractu,* præter fenus lege permissum, alia onera prætio æstimabilia. Hoc autem injustum est. Idem dicendum de mutuantibus qui sæpius exigunt ut in convivio et epulis recipiantur.

904. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Cæsar juste potuit fenus ex fenore percipere positis conditionibus debitis, scilicet, ut terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit, et conventio specialis de hoc præcesserit, vel damnum ex dilatione solutionis evenerit. — *V. Comp. n.* 871. — *Gousset, Cod. civ. commenté, art.* 1154.

CASUS XVI

LUCRUM TAXAM LEGIS EXCEDENS

1° Libanius, mercator, inveniens egregiam occasionem magnum percipiendi lucrum, si quasdam merces opportune emat et vendat, sed carens necessaria pecunia, sponte offert Paterno 8 pro 100, si mille aureos sibi mutuo dare velit. Accepta vero hac pecunia, Libanius 20 pro 100 lucratur.

2° Derfutus, mercator animalium, experientia novit se magnum obtinere lucrum ex emptione et venditione ovium. Cum autem difficile inveniat pecuniam, censum ordinarium solvendo, offert mutuantibus, se 20 asses ipsis erogaturum pro singulis ovibus emptis. Sed sortem post tres vel quatuor menses, seu postquam oves in certis nundinis vendiderit, restituere debet.

Hinc :

Quær. 1° *An liceat auctarium majus accipere ex mutuo pecuniæ, quando mutuatarius lucrum notabile est certo percepturus?*

2° *Quid ad utrumque casum?*

Solutio :

905. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negat* sententia communis. Ratio est, quia nullus titulus huic auctario favet; siquidem superat taxam legis, nec ei suffragatur aliis titulus damni emergentis, aut lucri cessantis, vel periculi sortis : ergo nulla datur ratio auctarium illud percipiendi. Hoc insuper esset hallucinationi obnoxium, cum facile possit esse error circa lucrum speratum, ut sæpe probat eventus. Mutuator et mutuatarius inire possunt contractum societatis, vi cujus ambo habeant spem certi lucri, vel damnum subeant, si quod eveniat; et tunc nulla superest difficultas.

[1] L'intérêt conventionnel ne pourra excéder en matière civile cinq pour cent, ni en matière de commerce six pour cent. *Loi du 3 septembre* 1807, *article* 7. Lex autem 12 jan. 1886 omnimodam *in materia commercii* mutuandi libertatem concessit.

Non desunt tamen Theologi, qui auctarium illud non damnant in casu particulari, ubi de emolumento certo et notabili constat; quia, aiunt, de jure naturali, ille qui tibi offert medium notabile lucrum percipiendi, illud tecum dividere potest. Deficiente enim alio titulo, adest saltem libera et plena mutuatarii condonatio. — Sic *Kenrick, t.* 1, *tr.* 11, *c.* 6, *n.* 96[1] :

« Ad eos quod attinet, qui excedunt lucrum a lege definitum, haud « facile iis credendum, rationes, quibus vindicetur, allegantibus. Jus « auctarium majus recipiendi repeti posse existimamus ex libero contra- « hentium consensu. Patet consensum illum liberum non esse, quoties « oritur ex angusta re et magni damni periculo : quamvis enim quis cum « magna animi voluptate mutuum acceptet, quo eripiatur, illud facit, ne- « cessitate qua laborat adactus; aliud videri posset, quando, lucri majoris « intuitu, læto animo accipit mutuum, nulla rei familiaris angustia co- « gente. Quod si de plena voluntate contrahentium constet, præsertim « post transacta, qui usuram accipit vix est ad restitutionem cogendus ; « consensus enim vitium tituli sanat. Non semel contigit accepisse a mer- « catore, cui mutuam dedit pecuniam, sortem cum decem pro centum, « post annum ; deinceps, Confessario suadente, eum adisse, et excessum « auctarii obtulisse, quem alter noluit accipere, se libere dedisse affirmans, « et fidem fallere probro ducens. »

906. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Generatim ante factum, hujusmodi conventiones probandæ non sunt, tum quia legi adversantur, tum quia plerumque spontaneitate carent ex parte mutuatarii, qui auctarium nimium solvit aliqua rerum angustia pressus. Usuram majorem redolet casus secundus Derfuti, quia videtur ille mercator auctarium admodum exaggeratum solvere, ut pecuniam habeat, unde oves emere queat, et suum commercium possit sustinere. Attamen post factum, si constet tum de lucro notabili a mercatore percepto, tum de illius libera ac spontanea voluntate quoad auctarium ab ipso solutum, mutuator non erit ad restitutionem cogendus, quia, etiamsi egerit contra legis prohibitionem, non fecit injuriam alteri, excessum auctarii vere et sincere remittenti.

[1] *Kenrick*, Archiep. Baltimorensis : Theologia moralis; Melchliniæ, 1860.

CASUS

DE VENDITIONE EJUSQUE SPECIEBUS

SEU

De æquitate servanda in venditione; de vitiis mercis manifestandis, de justo rerum pretio; de errore in alterutro contrahente, de variis adjunctis venditioni adnexis; de retrovenditione; de venditione sub hasta; de monopolio; de negotiatione.

CASUS I

ÆQUITAS IN VENDITIONE

1° Durandus, Sacerdos, vendere volens calicem sibi 200 francis constantem, et nunc pluribus defectibus laborantem, Eucharium aurifabrum adit, calicemque ei venalem offert. Eucharius, eo lustrato, licet animadvertat defectus facile corrigendos, promittit se solum argenti pondus soluturum esse. Ponderato igitur calice, 100 francos tantum Durando tribuit. Eucharius vero calicem, parvo labore refectum, alteri 200 francos vendit.

2° Martinus equum a Florentino 300 francis emit, illum post tres dies accepturus, et pretium eodem tempore soluturus. Sed ecce! quando venit ad equum accipiendum, rescit illum pridie morbo periisse : negat igitur pretii solutionem; illud vero requirit venditor, quia, seclusa sua culpa, equus periit.

3° Guibertus vinum emit a Carolo. Pactum est, et quidem scripto, vinum illud per mensem a venditore servandum esse, et pretium solvendum ab emptore, eodem tempore elapso. Verum, solutione a Guiberto omissa, Carolus vinum servare debuit, sed cum paulo post vini pretium decrevisset, Carolus damnum grave subiit.

Hinc :

Quær. 1° *An aurifaber, in primo casu, ad restitutionem teneatur, sive erga venditorem calicis, sive erga novum emptorem?*

2° *Quis, in secundo casu, damnum equi mortui subire debeat, an venditor, vel emptor?*

3° *An* Guibertus, *in tertio casu, damnum* Carolo *emergens ob solutionis moram, reparare debeat?*

Solutio :

907. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Eucharius neutri restituere debet. 1° Ad nihil tenetur erga Durandum venditorem; est enim consuetudo, ut aurifabri res veteres, præsertim variis defectibus laborantes, pro auri vel argenti pon-

dere emant; quia ille non pluris communiter æstimantur, nisi modus artificialis sit valde pretiosus. Ergo, si Eucharius facile calicem reficere potest, emolumentum ipsi proveniet.

2° Neque magis tenetur erga emptorem, quia limites pretii summi non excessit, ut patet, cum calix jam a Durando pro illo pretio emptus fuerit, nec constet quod pro illo emendo supremum pretium solutum sit.

908. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Per se* Martinus emptor damnum subire debet. Hoc patet ex *jure naturali* et *Gallico;* quia emptor est verus dominus, siquidem contractus venditionis mutuo consensu omnino perfectus est; atqui res perit domino : ergo equus perit Martino. Idem etiam tenendum de *Jure Romano,* licet venditor rei dominium servet donec tradita fuerit, nisi aliter pactum sit. Ratio est, quia, licet venditio non sit omnino perfecta ante rei traditionem, attamen, si res vendita determinata sit in individuo et pereat ante traditionem, emptori perit. — *Elbel, n.* 568, 577. — *Lugo, disp.* 26, *n.* 218. — *S. Lig. n.* 828.

2° Attamen, si equus perierit morbo mortifero ante venditionem jam contracto, periit venditori, quia contractus fuit nullus ob errorem, etiamsi animal traditum fuerit; venditor enim rem nullius valoris magno pretio comparavit : ergo error est *substantialis;* ergo invalidat consensum; ergo invalidus est contractus; ergo emptor equum solvere non tenetur; vel, si jam solvit, pretium repetere potest. — *V. Comp. n.* 884.

909. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Guibertus, emptor, damnum reparare debet erga Carolum, si in mora culpabili fuerit, id est, si causa aliqua gravi impeditus non sit. Ratio est, quia, contractum violando, damni causa efficax factus est; impedivit enim Carolum, ne vinum suum tempore majoris pretii venderet. Secus vero, si aliqua gravi causa cohibitus fuerit. — *S. Lig. n.* 880. — *V. Comp. n.* 714.

CASUS II

VITIA REI MANIFESTANDA

Philippus in nundinis accedit ad Pontium, equorum negotiatorem : *Cupio,* ait, *equum currui aptum.* Pontius suos venales equos ipsi ostendit. Philippus unum eligit, bonum quidem ad equitandum, sed ineptum ad currum trahendum. Vitio celato, venditor justo pretio equum emptori tradit.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quandonam venditor vitia rei suæ emptori manifestare teneatur?*

2° *Ad quid teneatur, si ea manifestare omiserit, sive interrogatus, sive non interrogatus?*

3° *Quinam defectus reddant venditionem rei nullam, aut rescindibilem?*

4° *An valeat contractus venditionis in casu allato?*

Solutio :

910. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Venditor tenetur manifestare defectus rei suæ, si sint substantiales, spectato fine emptoris, vel si rem noxiam aut

inutilem reddant, vel si specialiter de defectu aliquo interrogetur. — *Vide Comp. n.* 882.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* Tenetur venditor ad rescindendum contractum, si defectus sit substantialis, et ad damnum compensandum, si tantum accidentalis fuerit, v. gr., si, ratione defectus, res pretio indebito vendita sit; nec obstat quod de rei suæ defectibus interrogatus non fuerit.

911. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Defectus qui venditionem nullam aut rescindibilem reddunt, sunt defectus *substantiales,* ex quibus res noxia, nullius vel minimi valoris, aut inutilis juxta finem emptoris efficitur; et vitia quæ dicuntur, ex lege, redhibitoria (*vices rédhibitoires*). Redhibere autem est facere, ut rursus habeat venditor quod habuerit. Varia autem sunt juxta varias locorum leges. Sed rescissio contractus ut in foro externo obtineatur, tempore statuto invocari debet.

912. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* Contractus iste est invalidus propter errorem *substantialem,* cum equus ineptus sit ad finem mentis. Hic igitur, graviter deceptus, non verum dedit consensum. Ergo Pontius, etiam de jure naturali, tenetur rescindere contractum, et damna, si quæ sint, reparare, quia dolo et fraude usus est, defectum equi celando, graviterque contra justitiam peccavit.

CASUS III

EQUUS CÆCUS PRO VIDENTE VENDITUS

Tiburtius, equum cæcum venditurus, antequam ad forum publicum eum deduceret, ejus pupillis quemdam pulverem insufflavit, quo easdem pupillas reddidit splendentes, ita ut videns crederetur. Cum autem Tiburtius in mediis nundinis equum exposuisset, ad eum accessit Simon qui, bellua ex omni parte circumspecta, de pretio paciscitur, et 300 francos pro equo obtinendo solvit, dum, si ejus vitium cognovisset, vix centum francos pro eo obtulisset.

Hinc :

Quær. 1° *An contractus ille venditionis sit injustus?*

2° *An sit omnino invalidus?*

3° *An emptor, postea advertens ad defectum, nec patente recursu ad venditorem, equum alteri revendere possit, ad se indemnem faciendum?*

Solutio :

913. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Tiburtius enim graviter peccavit contra justitiam, equum facultate videndi orbatum vendendo, pro equo bonis oculis instructo. Ratio est, quia, naturali æquitate exigente, venditor tenetur emptorem de notabili mercis vitio monere, quando advertit vitium ab illo ignorari. Atqui cæcitas equi est vitium valde notabile : ergo... Præterea, venditor inducens emptorem fraude ad emendum majori pretio equum quam ipse emere vellet, ei gravem infert injuriam; quisque enim jus habet, ne fraude aut mendacio in aliquod damnum inducatur. Atqui Tiburtius emptorem fraude in damnum induxit. Ergo ad damna resarcienda tenetur.

914. — *Resp. ad 2um Quæs.* Contractus ille omnino invalidus videtur. Ratio est, quia emptor, dolo inductus, in re notabili erravit, saltem in substantia morali, si non in substantia physica equi : nam, quando res notabiliter differt ab ea quam emptor intendit, hic in substantia errasse censetur. Atqui equus cæcus notabiliter differt ab equo vidente. Ergo... Numquid enim emptor voluisset emere equum visu orbatum, et pro eo solvere sicut pro vidente? Ergo dolus affecit substantiam contractus; ergo defuit verus consensus; ergo contractus ipse ruit. — *Elbel, de Rest. n.* 160. — *Lacroix, lib.* 3, *part. n.* 955.

915. — *Resp. ad 3um Quæs. Neg. prorsus.* Quemadmodum enim emptori injuria gravis facta est a venditore, ita pariter emptor injuriam gravem alteri inferret, ob eamdem rationem. Nonne semper clamat principium illud lumine naturali notissimum : *Alteri ne facias quod tibi fieri non vis?* Si monetam spuriam ab alio incognito acceptam haberes, numquid tuta conscientia alteri tradere posses, ut bonam? et si vitrum pro gemma emisses, possesne illud alteri pro gemma vendere? Nequaquam, clamat sensus naturæ communis. Ergo neque equum cæcum, quem emisti ut videntem, rursus alteri pro vidente vendere potes. Nec dicas te id facere ad te compensandum, nam damni compensationem apud illum solum a quo damnificatus es requirere potes. — *Elbel, ibid.* — *Lacroix, l.* 3, *p.* 2, *n.* 948-955.

CASUS IV

DE JUSTO PRETIO 1o

Alipius, mercator, a Confessario interrogatus quomodo se haberet circa venditionem variarum mercium : « Pater, inquit, regula generalis mihi est « vendere quam maximo possum pretio, sicut emptores ex sua parte quam « minimo pretio emere contendunt, et sic ad justum pretium servandum « devenitur; et si quandoque majus lucrum percepero, alias viliori pretio « vendere cogor, atque ita compensatio datur. Fateor equidem quod, se- « cundo flante vento, mihi contingit lucrari 10, 15, 20 aut 50 pro centum, « præsertim ex minutis mercibus; sed nec raro infeliciter res se habent, « ita ut merces in officina asservari debeant, vel viliores evadant, aut « etiam corrumpantur, veluti sæpe de fructibus evenire solet. Nullis igitur « conscientiæ scrupulis, Pater, teneor. »

Hinc :

Quær. 1o *Unde oriatur pretium mercium, et quotuplex distinguatur?*
2o *Quid, in nostro casu, a Confessario responderi debeat?*
3o *An venditor sit tutus in conscientia, si emptor contentus videatur, et libenter pretium solvat?*

Solutio :

916. — *Resp. ad 1um Quæs.* Pretium est, aliud *legale,* quod lege determinatur, aliud vero *vulgare,* quod ab æstimatione populi repetitur. Com-

muniter autem res maximæ necessitatis ad usus humanos taxæ legali subjiciuntur.

Pretium *vulgare* triplex iterum distinguitur, scilicet, *summum*, *medium* et *infimum*. Si pretium *medium* rei alicujus v. gr., sit 10, pretium *summum* erit 11, et *infimum* 9. Crescente autem mercis pretio, crescit etiam in eadem proportione latitudo inter pretium *summum* et *infimum*. Sic v. gr., res quæ valet circiter 40 fr., poterit vendi 45 in *summo* pretio, et 35 in *infimo*. Iterum res quæ venalis est 100 fr. circiter, remanebit facile in justo pretio a 90 fr. ad 110.

Ratio autem cur pretium *vulgare* hanc habeat latitudinem, est, quia vulgi appretiatio moraliter accipitur; non potest enim consistere in gradu indivisibili, sicut pretium *legale*.

Pretium rerum repetendum est ex earum utilitate ad usus humanos, non vero ex consideratione earum physica, seu ex qualitatibus intrinsecis. Secus enim muscula, aut formica nullius valoris, pluris valeret quam cumulus frumenti. Hinc pluris vel minoris res æstimari debent, prout magis vel minus humanis usibus inserviunt.

Pretium *vulgare*, cum ab æstimatione populi pendeat, non solum magnam habet latitudinem, sed etiam perpetuis variationibus obnoxium est, pro variis rerum adjunctis, præsertim pro majori emptorum concursu, aut mercium quantitate, necnon locorum discrimine.

Attamen res quædam æstimationi vulgi non subjiciuntur, quia eam superant, utpote rarissimæ et valoris extraordinarii, ut sunt gemmæ, tabellæ pretiosæ, etc.

Hæc autem, juxta communem sententiam, judicio peritorum æstimanda sunt. Probabiliter tamen putant plures legitimum esse valorem, licet multo viliorem, ab ipsis contrahentibus, etiam imperitis, mutuo consensu præfixum.

917. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Falsissimum est Alipii principium. Etenim certum est existere verum mercis pretium sive *legale*, sive *vulgare*, ut dictum est, et ab omnibus agnoscitur. Ergo injustitiæ reus est qui illud pretium evidenter excedit vendendo, vel non attingit emendo, saltem *per se loquendo;* secus enim jam nullum daretur pretium. Sic non potes absque gravi injustitia vendere ignaro 100 francis rem quam aliis pro uno fr. concedis. Contentio autem inter vendentes et ementes efficit ut æquilibrium in medio pretio generatim servetur, vel etiam ut pretium pro adjunctis varietur; sed est semper pretium currens et tenendum.

918. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.*, si pretium non includatur inter *summum* et *infimum* moraliter existimatum, quia erit injustum. Si emptor sit contentus, hoc fit ex eo quod verum rei pretium ignoret, et a venditore decipiatur.

CASUS V

DE PRETIO JUSTO 2o

1° Maurinus, mense Novembri, frumenta habet venalia, sed quæ, decurrente tantum mense Maio, vendere intendit. Ad eum venit Liborius, ea

emere cupiens. Negat MAURINUS se ante mensem Maium quidpiam venditurum esse; attamen frumenta hic et nunc tradere consentit, sed pro pretio quod tunc temporis usus feret. LIBORIUS, frumento pro familia egens, illud emit pro hujusmodi pretio tunc solvendo.

2° FAUSTINUS emit frumenta, anticipata solutione, et ideo pretium minus justo tribuit. Deinde ex eis quædam *ad creditum* pretio summo, imo et quædam supra summum pretium vendit.

3° CLITANDER quædam minoris emit quam tunc valebant, quia vendentes, aliqua necessitate compulsi, ea venalia offerebant. Quædam ipse pluris justo vendidit, quia videbat emptores speciali affectu erga ea teneri; quædam etiam, quia specialem affectum erga ea ipse habebat. Tandem agrum domui TITII vicinum, ipsi TITIO pluris justo vendidit propter speciale emptoris commodum.

Hinc :

QUÆR. 1° *An aliquando pluris pretio currente vendere possis, aut minoris emere ?*

2° *Quid ad casus propositos ?*

Solutio :

919. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* 1° Licet quidem aliquando rem pluris vendere ob circumstantiam pretio æstimabilem : v. gr., si venditor affectum specialem, vel commodum speciale habeat quoad rem aliquam quæ ab eo postulatur.

2° Aliquando licet vilius emere in gratiam venditoris emptores quæritantis, præsertim si res emptori sit parum utilis, quia *merces ultroneæ vilescunt. — V. Comp. n.* 892, 893.

3° An vero venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris.

Negant communiter Theologi, quia major utilitas vel affectus non est venditoris et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est. — *S. Thomas,* 2, 2, *qu.* 77, *art.* 1, ubi sic loquitur : « Si aliquis « multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit non « damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas « quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis : « nullus autem debet vendere quod suum non est. » — Consonat *S. Lig. n.* 806, *et Carrière, n.* 692, etc. etc., contra *aliquos recentiores.*

920. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu :* MAURINUS non est damnandus. Etenim frumentum LIBORIO ante mensem Maium vendit tantum in ejus gratiam; si autem pretii determinationem ad illud tempus non remittat, id faciet cum proprio detrimento, siquidem, tempore remotiori, certo frumentum sit carius venditurus, ob majorem ejus raritatem; porro non tenetur cum suo damno vendere. — *Reuter, n.* 208.

In secundo casu : neque culpandus est FAUSTINUS, dummodo augendo pretium in venditione ad creditum, et illud imminuendo ob anticipatam solutionem in emptione, non excedat taxam legalem pro mutuo pecuniæ præscriptam. Olim negabant Theologi licere pluris vendere *ad creditum;* sed, posita lege quæ lucrum ex pecunia mutuata percipere permittit, et

stantibus hac de re responsis S. Sedis, hoc saltem tolerandum est, modo excessus prohibitus evitetur.

In tertio casu : non est inquietandus CLITANDER, quia vilius emit res quæ offerebantur, cum res *ultroneæ vilescant ;* neque, quia alias pluris vendidit ob specialem suum affectum ; secus vero, si pluris res vendiderit ob affectum particularem, vel commodum majus ipsius emptoris, juxta superius dicta.

CASUS VI

DE TABACI DELECTU

Seu de gustibus non est disputandum.

NICOSTRATUS, vir nobilis et dives, tabacum optimum emere volens, RICARDUM mercatorem celeberrimum adiit, et jussit sibi afferri tabacum quam pretiosissimum quod inveniri posset : cui variæ tabaci species, moderato relative pretio, ei extemplo exhibentur. Nulla vero ei placuit. Interea autem aliquis, NICOSTRATI comes, mercatoris auribus instillavit nullam prorsus speciem ei placituram, nisi magno staret pretio. Quamobrem mercator : *Habeo,* inquit, *aliam speciem, sed quælibet libra venit* 15 *francis.* — Hæc autem infima erat species ; quam cum NICOSTRATUS degustasset : « Hæc est, inquit, species quam desidero ; » et mox, assumptis quinque libris, jussit pro illis desideratum pretium solvi, et lætabundus abiit, et lætior adhuc mercator ei valedixit.

Hinc :

QUÆR. 1° *An mercator, tuta conscientia, pretium illud acceptare et retinere possit ?*

2° *Quid de hospitibus qui aquam vino infundunt, ut dulcius appareat ?*

Solutio :

921. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Nego prorsus.* Ratio est, quia non licet augere pretium mercium pro libito mercatoris, sed tantum intra latitudinem pretii justi, etiam summi, juxta communem hominum æstimationem. Ideo enim non licet vitrum vendere pro gemma, neque cuprum pro auro. Atqui in communi æstimatione hominum rem intelligentium, species tabaci viro nobili vendita, non erat tanti pretii, imo infimi : ergo sine violatione justitiæ tanto pretio vendi non potuit.

922. — *Objicies : Scienti et volenti non fit injuria,* juxta axioma notissimum ; atqui NICOSTRATUS scivit quænam esset illa species tabaci : nam eam degustavit, aliisque speciebus prætulit, libereque ac libentissime pretium a mercatore postulatum solvit. Ergo nulla ei facta est injuria. Hinc axioma : *De gustibus non est disputandum.* Ergo vir ille nobilis potuit in hac specie tabaci majorem invenisse gustum quam in cæteris, et eo ipso judicasse esse pretiosiorem. Ergo...

Resp. Neg. min. Vir nobilis enim non agnovit tabaci qualitatem, neque pretium : imo aperte deceptus fuit ; mercator enim non desumpsit hujus

tabaci pretium ex communi hominum intelligentium æstimatione, vel ex ejus qualitate intrinseca, sed qualitatem dilaudavit arbitrario, et pretium pro libito adauxit. Error autem iste causam dedit contractui, qui certo initus non fuisset, neque pretio inferiori, si res cognita fuisset. Ergo nullus fuit contractus; vel saltem damnum *pro rata* injustitiæ reparandum est. Nec refert quod vir nobilis specialem affectum erga hanc speciem tabaci ostenderit; non enim tabacum emit ex particulari affectu, sed errore deceptus. — *Elbel, n.* 571.

923. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Communiter peccant contra justitiam, si pretium vini summum industria excedant, vel etiam, si bibulos nescientes sic ad summum pretium solvendum cogant, quia non libere in tale pretium consentiunt. Secus si, hoc non obstante, medium pretium communiter non excedant. — *Recole dicta supra de Contractibus in genere, cas.* 13, *n.* 791 *et seq.*

CASUS VII

TABELLA INSIGNIS, PRETIO VILIS

Basilius, Parochus, pretio 5 fr. a simplici rustico emit veterem B. M. Virginis tabellam, diuturno fumo conglutinatam. Gaudet rusticus, qui etiam multo minori pretio imaginem hanc nunquam vendere potuerat. Festinat autem Parochus eam, quoquo modo mundatam, in parochiana Ecclesia collocare. Paucis vero interpositis diebus, ecce peritissimus pictor anglus, cum casu Ecclesiam fuisset ingressus et imaginem intuitus, extemplo pro ea sex millia fr. offert. Agnovit enim genuinum esse Raphaelis opus. Mirari primum et obstupescere Parochus! Attamen judicat esse sedulius de pretio tabellæ inquirendum, et tandem ab emptore obtinet 20 millia fr., quæ ad reparandam Ecclesiam adhibere statuit. Sed mox anxius dubitare cœpit, num totum lucrum rustico restituere debeat, necne.

Hinc :

Quær. 1° *An valeat contractus rerum quæ pretio vulgari carent, si vili pretio vendantur?*

2° *An Parochus in nostro casu ad restitutionem teneatur erga rusticum?*

3° *Quid de illis qui res pretiosas quascumque vili pretio emunt apud veteramentarios?*

4° *Quid de illis qui emendo bibliothecam, v. gr. Sacerdotis defuncti, libros novos, sicut alios, pretio tenui emunt?*

Solutio :

924. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Controvertitur.* Probabiliter affirmandum est, quia in eo casu justum videtur illud pretium, de quo contrahentes bona fide conveniunt. Multi tamen contradicunt, et forte probabilius, quia res quæ pretium vulgare superant, a peritis in hac materia æstimari debent. In praxi non sunt inquietandi qui bona fide res hujusmodi emunt, et, cognito valore, retinent, nec pretii partem in venditorem refundunt. — *S. Lig. n.* 807. — *Salmant.* — *Gousset, n.* 842. — *V. Comp. n.* 890.

925. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Basilius, Parochus, minime inquietandus est, ut constat ex modo dictis. Etenim tabella hæc adeo pretiosa non pluris ab utroque contrahente æstimabatur quam pretio quinque francorum, nec fraus nec dolus in contractu intervenit. Dices forte, errorem hic esse substantialem, ut in casu exposito supra, *n.* 781, de annulo adamantino, qui pro vitreo venditus est. *R. Nego,* quia error non est de rei substantia, bene vero de ejusdem pretio tantum. Fuit igitur præsens contractus *quasi aleatorius,* et juste emolumentum servat ille cui Providentia favet. Imo valde laudandus Parochus, ex eo quod, licet propria pecunia tabellam acquisiverit, nihil tamen pro se de pretio retinuerit. Attamen etiam laudabiliter egisset, si partem aliquam pretii ex tabella obtenti in gratiam venditoris erogasset.

926. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Non sunt inquietandi, quia res illæ censentur amisisse pretium suum antiquum, et aliud ex consuetudine, vel contrahentium voluntate sortiri. Itaque res hujusmodi, ratione pretii maximam accipiunt latitudinem. — *S. Lig. n.* 807. Idem dicendum de emptione mobilium veterum (*choses de rencontre*), quia minoris communiter habentur, et facile etiam pro media vel tertia parte pretii veneunt, etc.

927. — *Resp. ad* 4^um *Quæs.* Idem est in hoc casu dicendum ac in præcedenti, ob eamdem rationem, scilicet ex eo quod, ratione consuetudinis, libri tunc vilescant. Hoc præsertim valet, si libri sub hasta vendantur.

CASUS VIII

ARCANÆ LITTERÆ

Gervasius, agricola, terram effodiendo, magnam veterum numismatum copiam invenit, quæ cum ostendisset Lazaro prætereunti, et valorem ab eo postulasset : « Nullius fere valoris sunt, respondit ille jocando. Lege tu ipse litteras in eis impressas. » Litteræ autem illæ erant : S. P. Q. R. et referebant notissimam inscriptionem : *Senatus Populusque Romanus.* « Vide inquit, S. P. Q. R., id est : *Sit parum quod reddat,* seu *gallice : Si peu que rien;* quare fere nihil valent. » Abiit Lazarus, et rem renuntiavit Roberto, qui agricolam adiit et pro minimo pretio sibi comparavit numismata, summoque valore ea vendidit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Robertus *ad restitutionem erga agricolam teneatur?* 2° *An ejus defectu* Lazarus?

Solutio :

928. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* 1° Certissime Robertus ad restitutionem tenetur erga venditorem. Etenim *fraus sua nemini patrocinari debet,* juxta pervulgatissimum et receptissimum axioma. Atqui Robertus fraude et dolo agricolam jam ab alio deceptum circumvenit, et ejus ignorantia et simplicitate abusus est. Etenim, licet res hujusmodi pretium non habeant, et *per se* vili pretio emi possint, venditor tamen *jus strictum* habet ut non

decipiatur. Ergo Robertus agricolæ, *pro rata* excessus ab arbitris determinandi, restituere debet. Nec obstat quod Robertus ipsemet Gervasium non deceperit; nam fraude alterius utitur ad monetas pretiosas ab eo extorquendas, quod idem est hac si eum ipse in errorem induxisset. Etenim ipse mala fide contraxit cum homine valoris monetarum prorsus ignaro, dum ipse valorem hunc perfecte cognoscebat. Ergo deficiebat æqualitas in contractu. Ergo Robertus injustitiæ reus est, adeoque ad restitutionem tenetur. Hinc patet discrimen inter casum hunc et præcedentem. In priori enim ambo contrahentes versantur pariter in errore circa rei valorem, non vero in posteriori.

929. — *Resp. ad 2^um Quæs.* Quid de Lazaro dicendum? Numquid ab omni specie injustitiæ immunis erit? Nequaquam; etenim in damnum, ut cooperator, efficaciter influxit, amicum suum Robertum de re admonendo, si damnum præviderit; si vero, ante factum, rem non præviderit, debuit statim errorem agricolæ corrigere, si cognoverit (ut probabile est) contractum hunc habendum esse, vel Robertum a contrahendo impedire. Lazarus igitur, deficiente Roberto, restituere debet, quamvis emolumento particeps non fuerit. Secus tamen in casu quo Lazarus jocari tantum intendisset, nec contractum prævidisset faciendum, quia tunc prævisio damni deesset, et proinde nullus in illud influxus ex Lazari parte adesset.

CASUS IX

THESAURUS A TALPA EFFOSSUS

Benedictus in suo prato invenit (*mirabile auditu!*) ejectum a talpa nummum aureum veterem, cujus pretium ignorabat. Gaudens ac exiliens illum defert ad aurifabrum. Hic pretium multo minus justo offert, licet valorem nummorum ordinarium excedens. Tum : *Esne contentus?* ait; *et si pretium forte majus sit, visne id mihi condonare?* Annuit Benedictus, et libenter quidem, quippe qui non sperabat tantum pretium se recepturum esse, et contractus perficitur.

Hinc :

Quær. *An aurifaber in conscientia tutus esse possit, vel utrum ad restitutionem erga* Benedictum *teneatur?*

Solutio :

930. — Idem prorsus dicendum est in præsenti casu ac in casu præcedenti, de monetis veteribus romanis : aurifaber ad restitutionem erga Benedictum omnino tenetur. Ratio potentissima est, siquidem evidenter ignorantia rustici illius abusus est. Etenim valet quidem *probabiliter* venditio rerum extraordinarie pretiosarum, pro minimo valore habita, si uterque contrahens verum rei pretium ignoret. Sed in casu nostro aurifaber pretium minime ignoravit, ergo bona fide requisita caruit; ergo vendentem decepit, injuriamque in eum commisit; ergo ad restitutionem tenetur. Nec obstat quod Benedictus visus sit majus pretium condonare, si

forte tale sit ; nam verba hæc : *Esne contentus,* dicta sunt ad obtinendum consensum in errore fundatum ; neque responsio affirmativa consensum probat. — *Reuter, n.* 211.

CASUS X

THESAURUS IN PISCE

Blandina, famula, convivium instauratura, in foro ingentem emit piscem. Illo autem exenterato, mirabile visu ! obstupescens femina in ejus visceribus præfulgentem cernit gemmam. Quid est hoc? exclamat. Quod inaudiens Cæsarinus, dominus, cito adstat; gemmam accipit, aufert et magno pretio vendit. Quare pecuniam habuit non solum ut piscem solveret, sed ut alia convivia bene multa faceret.

Hinc :

Quær. 1° *An* Cæsarinus *piscatori, qui piscem vendidit, restituere debeat?*

2° *An pretium gemmæ integrum vel ejus partem retinere possit, vel totum ancillæ tribuere debeat?*

Solutio :

931. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Cæsarinus nihil prorsus piscatori restituere debet. Hic enim piscem vendens, ignorabat gemmam pretiosam in eo latere; si autem ignoraverit, ejus dominium non acquisivit : non potest enim dominium alicujus rei acquiri per occupationem, absque ullo animo illam occupandi. Atqui, si piscator gemmæ dominium nunquam habuit, nullam injustitiam passus est : ergo neque ulla damni reparatio ei facienda. Sic etiam neque ipse Cæsarinus dominium gemmæ acquisivisset, si rei inscius, piscem amico donasset, aut vendidisset. — *Recole dicta de dominio, n.* 511.

932. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Cuinam competat pretium gemmæ? An famulæ quæ piscem exenterando eam reperit? An ipsi soli gemma competat, vel soli domino? vel utrique? Videtur famulæ competere pretium gemmæ, vel totale, si ut res derelicta habeatur, vel quoad dimidiam partem, si est thesaurus; inventrix est enim. Itaque consulendi erunt periti de ea gemmæ conditione, ad quæstionem demum resolvendam.

CASUS XI

MARGARITA IN SUE

Floriana, divitis porcorum mercatoris uxor, dum die quadam stabula sua lustraret, annulum gemma pretiosa exornatum amisit. In re diu diligenterque investiganda tempus et oleum perdidit. Mense autem abhinc elapso Florianus, ejus maritus, miræ magnitudinis suem Medardo cauponi, soluto statim pretio, vendidit. Hic, paucis post diebus, dum occisam

evisceraret belluam, cum stupore annulum a Floriana amissum in ejus intestinis reperit, et lætus uxori suæ, ut rem sibi propriam, statim donavit. Mox rei fama longe lateque percrebrescente, id Florianus et uxor ejus etiam resciverunt. Absque mora porcorum mercator cauponem adit, gemmamque ab eo requirit. Negat iste restitutionem ullam a se faciendam esse, cum nihil alienum habeat; siquidem, porcum emendo, quidquid etiam in eo continebatur emit, et pretii solutionem præstitit. Quare lis a judice solvenda.

Hinc :

Quær. *An caupo annulum in sue repertum, illæsa justitia, servare possit, aut illum* Florianæ *reddere jubendus sit?*

Solutio :

933. — *Resp.* Res non magnum facessit negotium. Annulus ille absque dubio Floriano mercatori, seu belluæ venditori aut Florianæ ejus uxori, restituendus est. Etenim, axiomate notissimo, *res clamat domino;* atqui dominus non est Medardus caupo, sed Florianus mercator, seu Floriana ejus uxor: ergo ipsis restitui debet. Res liquido constat : nam Florianus vel uxor ejus dominium annuli antea habebat; sed si habebat, servavit. Illud enim amittere non potuit, neque suis venditione, neque rei amissione.

1° Quidem dominium non amisit suis venditione, quia, vendendo bestiam, non intendit vendere annulum, siquidem ignorabat illum porco esse incorporatum.

2° Neque dominium amisit rei ipsius amissione, quia translatio dominii debet esse voluntaria; ille autem qui rem amittit, non ideo vult eo ipso dominium ejus abjicere, sed e contrario sollicitus est ad eam recuperandam. Ergo Florianis conjugibus gemma restituenda est.

CASUS XII

PRO EPULIS NOCTUÆ

Liborius, coquus, grande convivium domino suo paraturus, amico, nomine Simpliciano, ait : « Accipias, quæso, hanc pecuniam, pergas in forum, et emas mihi decem aves, præ cæteris quas invenire poteris, pretiosiores. » Ille cum venisset in forum et vidisset aliquem vendentem passeres : « Quæso, inquit, quanti vendis aves istas? » — Ille respondit : « Duobus assibus. — Gratias ago, inquit, non indigeo. » — Perrexit deinde ad alium qui vendebat merulas, et hunc quoque interrogavit, quanti venderet aves suas? Ille respondit : « Octo assibus. » Iterum Simplicianus : « Gratias ago, ait, non indigeo. » — Tandem accessit ad aliquem qui vendebat noctuas optime instructas, et magno labore educatas, ad aves alias in venatione alliciendas atque captandas. Isti etiam dixit : « Quanti vendis tu istas aves? » Respondit ille : « Quinque francis. » Tum emptor intra se : « Istæ sine dubio sunt aves, quas amicus meus desiderat. » Statim ergo, numerata pecunia, noctuas emit decem, et rediit ad

coquum. Sed hic cum noctuas vidisset, maxime iratus est contra SIMPLICIANUM, et coegit eum ad referendas noctuas venditori et ad pecuniam recipiendam. Sed venditor pecuniam dare noluit, dicens inter alia multa : « Quando tu abiisti, alter ad me venit ut noctuas emeret, et propter te illi eas vendere non potui; igitur habeas tibi noctuas, et ego retinebo mihi pecuniam. »

Hinc :

QUÆR. 1° *An venditor contractum rescindere debeat necne?*

2° *Si non debeat, aut si nolit, an* SIMPLICIANUS, *aut coquus, aut dominus, damnum ex errore pati debeat?*

Solutio :

934. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Quid de contractus validitate, cum, ex errore, noctuæ ad convivium instaurandum emptæ fuerint? Nonne error iste substantialis est? siquidem res empta minime ad finem mentis conducit; noctuæ enim sicut et corvi in epulis non apponuntur. Si autem res inepta sit ad finem contrahentis, corruit ejus consensus, et proinde corruit ipse contractus, atque consequenter venditor contractum rescindere debet. Attamen non sic casum solvere debes. Etenim, licet ex parte mentis, *per se,* infirmus sit consensus in errore substantiali fundatus, recta tamen ratio ordoque debitus requirit ut finis ab emptore intentus venditori fiat manifestus, sive *explicite,* sive saltem *implicite* ex rerum adjunctis. Secus enim mentes ad arbitrium semper contractum rescindere possent, ex erroris prætextu. Ergo venditor contractum rescindere non tenetur, et ab omni damno, *per se,* immunis esse debet. Dico *per se,* quia, si mercator avium advertit ad simplicitatem mentis, et ejus errorem intellexit, sane contractum rescindere tenetur.

935. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Quis igitur, secluso venditore, damnum subiturus est? An SIMPLICIANUS, mandatarius? An coquus mandans? An vero dominus convivium instauraturus? En lis dirimenda.

1° Excusandus ab onere restitutionis SIMPLICIANUS, mandatarius. Nemo enim damnum ex sua actione proveniens resarcire tenetur, nisi graviter deliquerit. Atqui certo certius SIMPLICIANUS a peccato mortali judicandus est immunis. Ergo, etc.

2° Excusandus quoque est mandans coquus, ob eamdem rationem. Etenim neque damnum intulit culpabiliter, neque prævidit; ergo illud reparare non debet. Excipe, nisi ad nimiam mandatarii simplicitatem attenderit, et sic damnum in confuso prævidere potuerit. Sed hypothesis illa in casu non est probabilis. Etenim coquus, pro suo et domini honore et convivii instaurandi decore, hominem eligere noluisset qui mandatum convenienter non esset exsecuturus.

3° Dominus igitur domus totum damnum sufferre debet. Etenim ejus pecunia periit; res autem perit domino. Ergo... Nec res ea est ut dominus adeo stomachetur, et in coquum debacchetur. Potest enim noctuas pretio paulo inferiori revendere, nec tantum subire damnum; satius igitur erit, si rem cum risu accipiat, eamque convivis lepide narret, ut ab eis pro deficientibus aviculis veniam obtineat.

CASUS XIII

RES VENDITA PERIENS

Ante traditionem.

Fuscianus emerat a Rutilio prædium, seu domum ruralem, hortis et agris circumdatam, 15 millibus francorum, ea tamen conditione ut venditori per quatuor adhuc menses liceret ea frui, nempe ad festum Omnium Sanctorum, et fructus illius colligere; postea vero emptor, numerata pecunia, possessionem caperet, simul obtenturus sex equos, totidem vaccas, et duodecim oves. Sed ecce! contractu illo legitime celebrato, contigit ut prædium istud, fatali fulminis ictu succensum, conflagraret, simul cum plerisque animalibus in stabulo reclusis. Jam vero elapso quadrimestri spatio, Rutilius vult cedere prædium, vel potius ejus rudera cum tribus tantum equis, duabus vaccis, sine ulla ove, ex eo quod omnes oves et cætera animalia promissa conflagraverint. Fuscianus vero contractui stare abnuit, et pecuniam numerare, quia status rerum multo deterior factus est.

Hinc :

Quær. 1° *An* Fuscianus *teneatur contractui stare, et pecuniam promissam numerare?*

2° *An* Rutilius *satisfaciat obligationi suæ, dando tantum tres equos, duas vaccas, sine ulla ove?*

Solutio :

936. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* 1° Nulla est difficultas de *Jure Gallico*, quod nunc in variis locis admittitur. Etenim, cum venditio perfecta fuerit, celebrato contractu, seu præstito hinc et inde vero consensu, dicendum est omnino tenere contractum, et proinde Fuscianum obligari ad 15 millia francorum solvenda, licet prædium multo deterius evaserit. Res enim perit vel fit deterior domino, sicut crescit et fructificat domino; atqui dominus est emptor, seu Fuscianus : ergo accipere debet prædium in statu præsenti, licet deteriori, et nihilominus pecuniam promissam integre persolvere.

2° Eadem solutio danda est de *Jure Romano*. Etenim, licet *per se* emptor non acquirat jus in re, sed tantum jus ad rem, pretio non soluto, vel re non tradita, attamen si res pereat ante traditionem, et illa fuerit certa et in individuo determinata, v. gr., hic equus, hæc domus, vel hic integer grex ovium; periculum non minus quam incrementum spectat ad emptorem. Atqui prædium hoc in individuo fuit absolute emptum a Fusciano : ergo ipse damnum subire debet. Nec refert quod nondum adierit possessionem, vel quod ipsi non licuerit fructus actu pendentes colligere, quia propterea sane pretio minori illud emit, quam emisset si statim possessionem adire et fructus colligere potuisset. — *Elbel, n.* 956 *et* 977. — *S. Lig. n.* 828. — — *Lugo, disp.* 26, *n.* 218. — *Recole dicta supra, n.* 908.

937. — *Resp. ad 2um Quæs. Distinguendum est.* Si venditor supponitur non habuisse plures equos quam sex, nec plures quam sex vaccas, nec plures oves quam duodecim, satisfaciet suæ obligationi tradendo ea animalia quæ supersunt, quia in eo casu omnes in individuo vendidit, et quidem absolute, et consequenter periculum horum animalium, non minus quam ipsius prædii, spectavit ad emptorem.

Secus vero dicendum est, si venditor habuerit plures equos, plures vaccas, et integrum gregem ovium, et ex his promiserit tantum certum numerum. Ratio est, quia, si plura animalia habuit et ex his tantum sex equos, etc., promisit, talis venditio fuit indeterminata; atqui periculum rei indeterminatæ pertinet ad venditorem. — *Ita communissime*, inquit *Elbel, n.* 578; — *cum Lugo, disp.* 26, *n.* 218.

938. — Quid vero, si venditor habuerit ingentem gregem ovium, ex quibus duodecim emptori promisit indeterminate, et grex integer in incendio perierit?

Resp. In hoc casu non tenebitur quidem venditor emere oves duodecim, ut eas emptori tradat; sed tenebitur pretium remittere, seu imminuere pro illis duodecim ovibus quas promiserat. Ratio est, quia, ut jam diximus in venditione rei indeterminatæ, periculum rei pertinet ad venditorem. Ergo, si integer grex pereat, perit ipsi venditori, et consequenter, si pretium acceperit, tenetur illud restituere; si non acceperit, de pretio prædii pro rata valoris duodecim ovium detrahere debet. — *Elbel, n.* 579. — *Lugo, ibid.* — *Sporer,* etc.

CASUS XIV

VENDITOR INDUSTRIUS

Valerius, mercator, variis industriis utitur ad pretium mercis suæ adaugendum, quin tamen limites justi pretii intra infimum prætergrediatur. Itaque

1° Mercem pretio infimo quidem tradere solet; sed postea de pondere vel mensura adeo detrahit, ut reapse pretio medio vel summo eam vendat.

2° Semel, falsum rumorem sparsit de navibus, merces advehentibus, submersis, et illum fictis seu suppositis litteris comprobavit : adeoque suas merces carius vendidit.

3° Alias, rumore falso ab alio mercatore sparso libentissime usus est, ad merces suas pretio subinde currente vendendas.

4° Non raro mendacia et etiam juramenta cumulat, ut affirmet emptoribus se non posse merces suas minoris vendere, se aliis pluris vendidisse, vel merces pluris sibi constare.

Hinc :

Quær. 1° *An* Valerius *injuste egerit in primo casu ?*
2° *An in secundo casu ?*
3° *An in tertio casu ?*
4° *An in quarto casu ?*

Solutio :

939. — *Resp. ad* 1^um *Quæs. Affirm.* Valerius injuste egit, et proinde ad restitutionem tenetur erga emptores. Ratio est, quia non stetit in contractu, quem inivit cum ementibus, de tradenda integra mensura pro infimo pretio : ergo isti decipiuntur; ergo non dant verum consensum in pretium. Ergo Valerius illis restituere debet pro rata excessus pretii; seu pro ratione imminutionis ponderis vel mensuræ. Imo restituere debet etiam aliis mercatoribus, qui jus habent ut ementes per talem fraudem a suis officinis non retrahantur. — *Lacroix, n.* 954. — *Reuter, n.* 222.

940. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Pariter *affirm. :* certo Valerius violavit justitiam, atque ad restitutionem tenetur. Ratio patet. Etenim fraude usus est ut emptores induceret ad emendum majori pretio, et egit contra jus quod quisque habet ut fraude vel mendacio non inducatur ad aliquod damnum. Ergo damnum illud resarcire debet. — *Lacroix, n.* 955, *et alii communiter.*

941. — *Resp. ad* 3^um *Quæs. Neg.* aliqui, quia Valerius non fuit causa cur pretium adauctum fuerit, et ipse vendit pretio tum currente. Sed verius *affirmandum est.* Ratio est, quia pretium non potest esse simul justum et injustum, scilicet, justum pro mercatore qui falsum rumorem non sparsit, et injustum pro alio qui illum diffudit. Porro est injustum pro alio quolibet. Et re quidem vera non est pretium voluntarie a vulgo, aut naturaliter a circumstantiis introductum. — *Lacroix, n.* 955. — *Reuter, n.* 221. — *Salmant.* — *Castropalao.*

942. — *Resp. ad* 4^um *Quæs. Neg. per se,* seu *communiter loquendo :* etenim, quamvis Valerius mendaciis et juramentis inducat emptores ad plus dandum, non tenetur tamen ad restitutionem, quia satis notum est mercatores solere talia proferre et effutire, quamvis vera non sint. Quamobrem emptores qui iis fidem facile præstant, damnum sibi imputare debent. — *Lacroix, n.* 956. — *Reuter, n.* 223. — *S. Lig. n.* 805.

Dixi *per se,* quia, ait *S. Lig. ibid.*, si quando venditor animadverteret in casu particulari emptorem notabiliter decipi, et ideo majori pretio emere, is ab injustitia non esset excusandus.

CASUS XV

VENDITIO JURIUM INCORPOREORUM

1° Bonifacius, pluribus gaudens creditis post annum solvendis, cum esset in aliam regionem longe dissitam emigraturus, sua jura Ripaldo vendit. Sed hic contractui non annuit, nisi pretium aliquatenus infra realem valorem deprimatur.

2° Michael plura habet credita solutionis valde difficilis. Juste timens ne sors pereat, quia animadvertit debitores suos in rebus suis multum implicatos esse, consilium capessit jura sua vendendi, licet magnam jacturam sit facturus : contractui emptionis consentit Jacobus, sed ea lege ut tantum 50 pro 100 Michaeli soluturus sit.

3° Arcontius mille francos mutuo, Tatiano, viro nobilissimo et principi,

dederat. Sed, cum pecuniam difficulter recuperare posset, Albertus ejusdem principis amicus, qui medium habebat ut facile debitum istud accipere valeret, v. gr., quia similem summam ipsi principi debebat, se offert ut jus Argontii emat, sed ea conditione ut, loco mille francorum, 900 tantum ipsi tribueret.

Hinc :

Quær. 1° *An, vel quatenus jura incorporea vendi possint?*
2° *Quid ad propositos casus?*

Solutio :

943. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Jura incorporea, ut chirographa, credita, usufructus, jus ad hæreditatem apertam, etc., si certa sint, vendi possunt sicut cætera jura quælibet; eorum autem traditio fit, chirographa vel alia scripta remittendo. Si vero dubia vel litigiosa sint, vendi possunt *pro rata* probabilitatis fortunæ favorabilis; proinde vilius emi possunt, si sint incertæ vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt. Imo hoc valet etiam, si jura sint certa et facilis solutionis, quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo justum censetur pretium quod communiter pro talibus chirographis solvitur. — *S. Lig. n.* 829, etc.

944. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. In primo casu,* Ripaldus credita Bonifacii vilius emere potest, quia *res ultroneæ vilescunt;* nec refert quod res illæ sint incorporeæ, cum valorem habeant haud secus ac res physicæ. Insuper labor et sollicitudo ad recuperanda debita, etiam vero pretio æstimabilia sunt.

In secundo casu, Jacobus culpandus non est *per se;* debita enim solutionis valde difficilis notabiliter viliora fiunt. Sed ad rationem periculi majoris vel minoris attendendum est, ut æqualitas sortis, circiter, inter contrahentes servetur.

In tertio casu, validus et licitus est contractus. Debitum enim *per se* est difficilis solutionis : ergo minoris valoris. Est autem *per accidens* quod Albertus medium facile habeat illud recuperandi. Tanto igitur melius pro ipso, si hac bona sorte sibi favente utatur; nullam enim injuriam facit venditori, qui ab alio quocumque plus obtinere non potuisset. — *Reuter, n.* 204. — *Lacroix, l.* 3, *n.* 987.

CASUS XVI

RETROVENDITIO

Rodulphus pecuniam ad censum annuum a Richardo acceperat, ea lege ut, reddita pecunia, census ille redimibilis foret. Anno elapso, Rodulfus, licet censum redimere minime intenderet, quippe qui pecunia necessaria prorsus carebat, simulavit tamen hunc redimere, reputans hac via Richardum inductum iri ad pensionis in posterum solvendæ imminutionem. Itaque hominem adit, et significat sibi esse animum de census redemptione quantocius peragenda. Verum astus astu captus est. Richardus enim, Rodulphi artificium subodoratus, statim respondit : « Ut video, pecuniam jam habes

in promptu; eam igitur quam citissime, si velis, etiam die crastina, afferas, ut exstincti census rationem conficiamus. » Sic irretitus Rodulphus : « Non habeo quidem hic et nunc, ait, sub manu; sed intra mensem certo a quodam debitore recipiam. — Optime, inquit Richardus, post mensem te exspecto. » Quid Rodulphus tam brevi spatio faciet? Quidquid habebat vini vendere properat. Sed cum sufficienti pecunia adhuc careret, ab Adriano, vicino suo, duo boum juga emit credito, ea statim pecunia numerata venditurus. Sed rem suspicans Adrianus, antequam boves traderet : « Si vis, ait, ego boves a te iterum emere paratus sum minori quidem, sed honesto adhuc pretio, quod incunctanter tibi persolvam. » Proponenti annuit Rodulphus, ut tandem ab angustiis eriperetur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Rodulphus *licite et valide imminutione pensionis uti potuisset, si* Richardus, *ejus dolo deceptus, in imminutionem consensisset?*

2° *An* Adrianus *sine injustitia boves minori quidem, sed, soluto pretio, emere potuerit?*

Solutio :

945. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Etenim, si Rodulphus pensionis imminutionem obtinuisset, eam fraude et dolo extorsisset; nam Richardus falso metu fuisset inductus ad id concedendum. Habebat autem jus ne fraudulenter deciperetur. Ergo actus quo pensionem imminuisset, ex errore invalidus esset. Ergo damnificatio inde subsequens reparanda esset. Secus foret dicendum, si Rodulphus fingeret quidem se velle censum redimere, intuitu imminutionis tributi obtinendæ, sed hic et nunc haberet vel facile habere posset pecuniam qua sortem restituere valeret; tunc enim jure suo uteretur. — *Recole dicta de Contractibus in genere num.* 784. — *Reuter, n.* 120, 122.

946. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia prima venditio non facta est cum pacto retrovenditionis. Ergo retrovenditio est novus contractus, omnino a priori independens; ergo Adrianus boves ab emptore suo iterum emere potuit quolibet pretio justo, licet minori, sicut ab altero quolibet. Porro, si ab altero emisset, de justo pretio quolibet ei pacisci licuisset. Ergo non est inquietandus Adrianus. Sed cum non sit mediocriter callidus, caveat ne mente usuraria agat, et labe indebiti lucri maculetur.

CASUS XVII

DE RELATIONE MERCATORIA (REPORT)[1]

Cornelius, procurator ad venditionem censuum (*agent de change*), emit pro cliente suo censum 300 francorum, pretio 7,000 francorum, ea conditione ut titulus clienti suo transferatur, et pretium solvatur post quindecim dies. Optime scit Cornelius clientem suum non habere præ manibus quo-

[1] Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a *n.* 1033 *et seq.*

modo 7,000 francos solvat, sed ita ratiocinatur : Adveniente statuta die, jam titulus non solum 7,000 francis, sed 7,060 francis valebit. Quare perfacile erit emptori, titulum iterum vendendo, pretium emptoris solvere, et 60 francos lucri percipere. — Sed, adveniente die, tituli valor, nedum augeretur, decrevit, nec pluris quam 6,950 francis vendi potest. Itaque Cornelius in his versatur angustiis, ut, nisi cliens titulum vendat, non habeat unde solvat; si autem vendat, loco 60 francorum lucri, quod sperabat, 50 francorum damnum passurus sit. Quid ergo faciet? « Vellem, ait sociis ibi adstantibus, referre operationem hanc ad quindecim dies » (*reporter cette opération à quinzaine*).

« En ego, respondet Caius : cliens meus paratus est clienti tuo præbere officium relationis (*l'office de reporteur*). Vende igitur clienti meo titulum pretio currenti 6,950 francorum, sub ea conditione, ut statim clienti tuo revendatur 7,050 francis post quindecim dies solvendis. — Quin potius, inquit Sempronius, negotium habeat cum cliente meo qui tibi 7,040 francis revendet. — Et quin potius cum meo, exclamat Lœlius, qui 7,030 francos erogabit? »

Optime, inquit intra se Cornelius, prævideo post quindecim dies titulum de quo agitur valiturum esse 7,060 francis; rem igitur peragam cum cliente Lœlii, et etiamsi ab illo titulum redimat 80 francis carius quam vendiderit, erit tamen post quindecim dies lucrum 30 francorum, quum vendi poterit 7,060 francis titulus, pro cujus pretio 7,030 franci clienti Lœlii solventur. Res ergo ita peragitur.

Hinc :

Quær. *Utrum cliens* Lœlii *tanquam usurarius damnandus sit eo quod, ex* 6,950 *francis,* 80 *francos lucri post quindecim dies retulerit?*

Solutio :

947. — *Resp. Affirm.* si habuerint contrahentes animum usurarium, hoc est, si Lœlius totam illam negotiationem perfecerit, sola intentione percipiendi, sub prætextu ac specie emptionis et retrovenditionis, lucrum ex numerata Cornelio pecunia; si Cornelius ex sua parte nihil aliud intenderit, quam ut pecuniam ad servandum titulum necessariam obtineret, quin veram ejusdem tituli venditionem institueret. Tunc enim adest evidenter usura palliata.

948. — Si vero sola Lœlii negotiatio *in se* spectetur *controvertitur.* — *Prima sententia communior,* et, ut videtur, *probabilior,* damnat ipsam operationem tanquam usurariam. Ratio est quia 1° ejusmodi titulorum venditio, cui adnectitur pactum retrovenditionis statim faciendæ, ficta omnino videtur, atque excludit *per se* veram intentionem dominii transferendi; unice igitur inservire potest ad palliandum mutuum cum usura; 2° Contractus *Mohatra* essentialiter continetur duabus ejusdem rei venditionibus, quarum una fit credito ac pretio summo, altera numerata pecunia ac pretio infimo, ita ut is qui credito vendit, quando, redimendo rem, pecuniam numerat, pro lucro accipiat excessum pretii summi supra infimum; Theologi autem communiter excusant hunc contractum ab usura, si venditiones fiant diversis personis, aut, respectu quidem ejusdem personæ,

sed sine pacto retrovendendi, damnant e contra unanimiter si pactum interveniat; imo reprobavit Innocentius XI sequentem propositionem : *Contractus* Mohatra *licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri :* atqui in relatione mercatoria inveniuntur duæ illæ venditiones respectu ejusdem personæ, et pactum intercedit; 3° Attestantur viri harum rerum periti eo fine revera institui in foro argentario negotiationes relationis mercatorias, ut lucrum ex pecuniæ præstatione suscipiatur, non autem ut vere tituli vendantur.

Secunda tamen *sententia* concedit esse licitam *in se* relationem mercatoriam. Ait enim 1° utramque venditionem, nonobstante pacto quod intervenit, minime fictam esse, quinimo serio a contrahentibus intendi; 2° obligationem retrovendendi imponi ipsi relatori (*au reporteur*), id est, non illi qui detrimentum, sicut fit in *Mohatra,* sed illi e contra qui lucrum, ex negotiatione immediate percipit; hoc lucrum igitur haberi posse tanquam compensationem oneris quod relator suscipit, præsertim cum agatur de titulis, seu de rebus, quarum valor indesinenter crescit ac decrescit, præbetque facile spem aleæ favorabilis. — Addit 3° in praxi, ut legitimos habendos esse tales contractus ad negotia expedienda valde necessarios, quum præcipue fiant sciente, et tacite saltem approbante auctoritate publica, quæ est legum optima custos et interpres.

949. — Hæc ultima sententia, propter secundam potissimum rationem, a pluribus forte habebitur ut probabilis. Quamvis igitur alterius fundamenta solidiora videantur, non erunt absolute damnandi, qui bona fide tales negotiationes exercent, modo non agant animo usurario, neque lucrum quærant, quod excedat limites juxtæ compensationis, ut dictum est.

950. — Facilius autem labem usuræ incurrent, si in his, ut sæpius fit, unice sibi proponant, ut ex pecunia, quam præ manibus nunc otiosam habent, majus quod poterunt lucrum negotiando suscipiant.

CASUS XVIII

VENDITIO SUB HASTA 1°

1° Olympius, occasione cujusdam publicæ licitationis, rogavit amicos, tabellam emere volentes, ut a concursu desisterent, aut ne plus tali pretio offerrent, ut eam ipse pretio infimo emeret. Ejus votis obtemperarunt amici.

2° Dum, publica licitatione, libri cujusdam bibliopolæ defuncti venderentur, tres Sacerdotes, qui in emptorum numero aderant, inter se conveniunt ut, quoties ipsorum aliquis librum emere vellet, alii a concursu abstinerent.

3° Aurelius, maximam expertus infelicitatem, eo redactus est ut solvendis debitis impar evaderet, et inde ejus bona urgentibus creditoribus, sub hasta, seu publica auctione divenderentur. Cum autem noverit plures ad emendum concurrentes singulari affectu ferri ut ejus domum acquirant, subornat amicos qui, intentionem emendi simulando, pretium augeant; et ita domus carius venditur.

Hinc :

Quær. 1° *An* Olympius *in primo casu injuste egerit ?*

2° *An Sacerdotes, de quibus in secundo casu agitur, pactum hujusmodi absque injustitiæ labe inire potuerint ?*

3° *An juste processerit* Aurelius, *in tertio casu ? vel ad quid teneatur ?*

Solutio :

951. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia Olympius nemini injuriam facit. Etenim non facit injuriam, amicis quippe qui rogati libenter de jure suo cedunt; neque venditori, quia libertas licitandi non tollitur, et emptor sua industria, minime dolosa, neque injusta, utitur. Attamen preces importunæ esse non debent. — *S. Lig. n.* 808.

952. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Præfati Sacerdotes non injuste egerunt, si non intervenerit inter eos pactum proprie dictum, sed tantum quoddam propositum non sibi invicem nocendi. Tum casus videtur idem ac præcedens, siquidem excluditur contractus proprie dictus. Secus hæc praxis generatim injustitiam sapit, quia venditor jus habet ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. Probabiliter tamen ab illa regula excipiuntur proxime cognati, vel ii qui societate commerciali sunt conjuncti, quia unicam personam moralem constituunt : nec potest exigi, ut adversum se liceantur. Plures etiam amicos excipiunt, quia sunt quasi conjuncti. — *V. Comp. n.* 910.

953. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Aurelius illicite et injuste egit, quia dolo et fraude procuravit ut pretium domus cresceret cum emptorum detrimento; isti enim jus strictum habent, ut non adigantur ad emendum ultra pretium ex cursu naturali rerum crescens : ergo injuste decipiuntur per fictos licitatores fraudulenter a venditore constitutos; ergo jus habent ad injuriæ reparationem. — *S. Lig. Hom. ap., n.* 175.

CASUS XIX

VENDITIO SUB HASTA 2°

Prodigiosa B. V. imago.

Gertrudis, devota quidem mulier, sed pauperrima, non habebat unde creditoribus suis solveret. Hinc factum est, ut per *licitationem sub hasta* in foro publico quidquid ipsi erat supellectilis divenderetur. Ventum est ad tabellam B. V. Mariæ male depictam et pulvere maculatam. Clamat mulier, se magna devotione erga imaginem illam affici, eo quod miracula faceret : instat, urget ne imago vendatur. Reponit præco et adstantes creditores : jam miracula nulla fieri; B. Virginem illam caligine obcæcatam esse. Quare indignatus Laurianus, Sacerdos, casu ibi adstans, excogitavit novam rationem plectendi eorum impietatem. Incipit tabellam oculatius introspicere, detergere, admirari; auget pretium eo usque ut pecunia jam debitis omnibus solvendis superesset. Quamobrem commoti alii, et existimantes pretiosam esse tabellam, ipsi quoque pretium augent. Tunc Sacerdos illis

permittit reportare tabellam, inclamatque : jam novum miraculum editum esse, B. M. Virginem suos contemptores gravi mulcta damnasse, et per imaginem nullius pretii solvisse debita omnia mulieris, et reliquam supellectilem salvasse.

Hinc :

Quær. 1° *An* Laurianus, *Sacerdos, injuste egerit et ad restitutionem teneatur ?*

2° *An mulier restituere debeat, si restituere possit ?*

Solutio :

954. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* An injustitiæ arguendus sit pius Sacerdos, qui tanta misericordia et caritate mulieri pauperrimæ et gravissima necessitate oppressæ auxiliatus est? Numquid damnandus erit ille, per quem B. Virgo miraculum patravit? Profecto, ratione bonæ fidei saltem, excusandus erit. Sed quid de casu *in se* spectato? Dico, etiam re *intrinsece* perpensa, Sacerdotem ab omni labe injustitiæ immunem esse. Etenim ille non est injustus qui jure suo utitur ; atqui in casu nostro Laurianus jure suo usus est : nam fraudem nullam decipiendi causa adhibuit, socios nullos ad ficte licitandum constituit, neque cum ullo alio pactum pepigit, sed ipse solus una cum aliis multis licitatus est. Ergo minime fraudulenter egit. Nec dicas Sacerdotem fraude usum esse, licitationem simulando ; nam non ficte, sed vere licitabatur, et rei periculum sane incurrebat ; imaginem enim servare debuisset, si alii licitantes prius constitissent. Neque dicas iterum, eum alios decepisse, imaginem admirando ; nam se in arte peritum minime jactavit, nec raro ignari magis quam cæteri mirari videntur.

955. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Jam, ex dictis, de medio tollitur difficultas. Gertrudis ad nihil tenetur, etiamsi restituere possit, cum Sacerdos justitiam non violaverit. Grates igitur millenas agat mulier B. M. Virgini, eo quod, ad ipsi patrocinandum, prodigium istud ediderit.

CASUS XX

CINARÆ COQUO CARISSIMÆ

(Artichauts bien payés.)

Hyginus, coquus, rei culinariæ non mediocriter zelotes, primitiarum avidissimus, ideoque hero, prædiviti viro, gratissimus, cum die quadam ad forum olitorium accessisset, advertit venales cinaras maturo tempore primum apparuisse. Quibus inhians, ocius justum pretium venditori obtulit. Sed ecce, nescio quo casu, simul huc advolat Marcus, alius coquus cujusdam extranei, qui pretium superius venditori impiger offert. Vice sua adauget pretium Hyginus, qui iterum ab adversario superatur. Jubilante venditore, certamen producitur. Victor vincitur, et nova extollitur victoria, de qua extemplo dejicitur. Itaque, cum uterque coquus desiderium proprii heri cognosceret, veluti per licitationem, usque ad viginti francos pro sin-

gulis cinaris pretium auctum est. Hyginus, in hujusmodi certamine victor, cinaras retulit.

Hinc :

Quær. *An hujusmodi licitatio licita sit ? Vel utrum venditor, cinararum pretium supra modum adauctum, restituere teneatur ?*

Solutio :

956. — *Resp. ad Quæs.* Quid juris in hoc adeo singulari casu? An olitor, tantam nactus felicitatem, contristari debeat, onus restitutionis ipse subeundo? An reddere debeat Hygino quidquid ab eo supra summum rei pretium accepit? Quam pauci venditores tibi fidem adhiberent, si hoc assereres !

Dico igitur, venditorem ex omni parte absolvendum esse. Etenim, si injuste egisset, injustitia oriretur vel ex cooperatione injusta in damnum domini cui Hyginus famulatur, vel ex pretio *per se* injusto. Atqui ex nulla parte injuria apparet. 1° Venditor non fuit injustus *ratione cooperationis :* etenim in hypothesi dominus non est invitus ; legitime enim ejus consensus præsumitur : ergo coquus non egit contra ejus voluntatem ; ergo ei injuriam non intulit ; ergo nec venditor injuriæ cooperatus est. 2° Neque *ratione pretii* per se injusti : nam pretium non exaggeravit, sed justum proposuit ; neque fraude, neque dolo emptores ad pretium augendum adegit. Ergo excessus pretii sponte et scienter oblatus, et ab eo acceptatus, minime vero requisitus, justitiæ non adversatur. Accedit etiam *titulus licitationis :* in licitatione enim illud verum æstimatur pretium quod ab ultimo licitante offertur ; atqui vera licitatio inter duos coquos de cinaris habita est : ergo judicandum est legitimum pretium ab Hygino, ultimo licitante, præfixum.

957. — Nec obstat quod hæc licitatio privata sit, non vero publica, nec prænuntiata : nam liceitas *licitationis* non ab ejus publicitate, nec a numero licitantium repetenda est, sed ab emptorum certamine ; siquidem, etiam in licitatione publica, prænuntiata, aliquando paucissimi certantes de pretio reperiuntur, et tamen justa censetur rei venditio. Pretium igitur legitime adaugetur concursu emptorum, qui certatim rem vendendam requirunt et plus offerunt, ut illam obtineant. Ergo parvi refert quod sint multi vel pauci licitantes.

CASUS XXI

MONOPOLIUM

1° Menander, vir dives et potens, necnon adaugendæ fortunæ cupidus, autumnali tempore, per mandatarios suos satagit ut venale loci et viciniæ frumentum fere totum, pretio tunc currenti, ematur : quare factum est ut illud, pretio adauctum, cum notabili suo lucro posset divendere.

2° Rufus, Rufinus et Rufinianus, mercatores, inito inter se consilio, omne frumentum viciniæ, quod venale erat, mense novembri colligunt, ut æstivo tempore, cum pretium creverit, illud revendant. Attamen pretium supremum vendendo non excedunt.

3° Operarii cujusdam civitatis, in officinis socii, v. gr., sartores vel sutores, pactum inter se ineunt, ut ex eorum numero nullus laborem præstet, nisi, loco 30 assium, in posterum 2 franci ipsis tribuantur. Domini autem, seu mandantes, vice sua, ad contumaciam operariorum confringendam, ex mutuo consensu e contrario, salarium operariorum imminuendum esse statuunt.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* MENANDER, *in primo casu, injustum monopolium egerit atque restituere teneatur?*

2° *An mercatores, de quibus agitur in secundo casu, graviter contra justitiam peccaverint?*

3° *An contra caritatem?*

4° *An socii operarii et eorum domini, in tertio casu, de injusto monopolio damnandi sint?*

Solutio :

958. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* MENANDER non videtur damnandus, dummodo frumentum non vendat ultra summum pretium quod, secluso monopolio, exstitisset, neque vendat summo pretio quod postea usus feret, quodque ipse induxit. Ratio est, quia jure suo usus est; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum vitet, quando illud avertere non obligatur. — *V. Comp. n.* 914.

959. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Controvertitur.* Prima sententia probabilis affirmat, quia hujusmodi mercatores cogunt alios per medium injustum, ut pretio supremo emant. Secunda vero sententia etiam probabilis, imo, ait *S. Lig., forte probabilior,* negat. Ratio est, quia venditores non cogunt alios ad emendum; sed isti a propria necessitate tantum coguntur. Ergo pretium mercium non est injustum, modo non excedat pretium summum quod verisimiliter, secluso monopolio, in usu fuisset. Sicut enim non infertur injuria alteri, impediendo precibus vel suasione tantum, sed absque fraude, testatorem ne eum hæredem constituat, secluso jure stricto ad hæreditatem, ita etiam in nostro casu. — *S. Lig. n.* 817.

960. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, licet caritas non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen te obligare ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Sicut enim caritas non te obligat ad dandam eleemosynam, videtur tamen te obligare ad non avertendos alios qui eam largiri volunt. — *S. Lig. ibid.* — *V. Comp. n.* 913.

961. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* 1° Injuste egerunt operarii, si coegerunt dominos ad sibi supra summum pretium retribuendum pro labore quem isti pretio minore obtinuissent. Domini vero in hac hypothesi non injuste egerunt, cum id fecerint tantum ad operarios juste coercendos. Verum, si operarii a pravo consilio desistunt, domini etiam desistere debent.

2° Si vero operarii convenerunt de pretio supremo quidem, sed justo, a dominis requirendo, *controvertitur,* ut in secundo casu. — *Vide S. Lig. ibid.*

CASUS XXII

DE TRANSACTIONE

2° Bertulfus, litem habens cum Paulino circa pratum aliquod, nec controversiam dirimere valens, jamjam rem ad judicem delaturus erat cum adversarius ei proponit ut omnia inter se bona pace componant, et sic expensas et strepitum actionis judicialis effugiant. Inter eos igitur privatim statuitur transactio, vi cujus Bertulfus pratum habiturus sit, et alteri mille fr. soluturus. Rebus ita compositis, nummisque a Paulino acceptis, Bertulfus invenit documentum, ex quo luculenter patet pratum illud ab avo Bertulfi, patri Paulini, fuisse venditum, et proinde ad Paulinum pertinere. Tacitus instrumentum destruit, et pratum sibi servat.

2° Duo fratres Petrus et Paulus possident simul jus litigiosum in domum Marci; Petrus init contractum transactionis cum Marco, vi cujus accipit 500 fr., et jus quodcumque in hanc domum abdicat. Postea autem mortuo Paulo, Petrus fit hæres fratris, et statim litem movet in Marcum quoad præfatam domum, causamque obtinet.

Hinc :

Quær. 1° *An* Bertulfus *pratum retinere possit in primo casu ?*
2° *An* Petrus *domum in secundo casu ?*

Solutio :

962. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia transactio est contractus aleatorius, utrique contrahenti æque favens, et idem onus utrique imponens, cum res supponatur ex utraque parte dubia; proinde singuli contrahentes cedunt e jure suo probabili, ad vitandum damnum etiam probabile : scilicet, singuli cedunt dimidiam partem juris dubii, ad alteram partem sibi assecurandam. Ergo, semel facta serio transactione, nihil restitui debet ab eo qui postea rescit rem fuisse alterius, nec quidpiam ab adversario repeti potest. Ergo in casu nostro Bertulfus pratum tacitus servare potest ut suum, vi contractus quo Paulinus et jure suo toto cessit, ut mille francos obtineret.

Consonat Jus Romanum, *l. sub prætextu*, 19, *Cod. de transactione*. Ita etiam *communiter* Theologi, teste *Reuter*, *n.* 270. — *Lacroix*, *n.* 629. — *Laymann*, *l.* III, *tr.* IV, *c.* 31. Attamen negative respondendum ubi viget Jus Gallicum, ex *art.* 2057.

963. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia Petrus, per contractum transactionis, renuntiavit quidem juri suo proprio, quod tunc habebat in domum Marci, sed minime renuntiavit juri quod postea habere poterat, ut hæres fratris sui. Etenim jus illud quod prosecutus est, ut hæres, novum est, nec existebat tempore contractus transactionis; ergo non poterat huic juri renuntiare. Sic de jure naturali, cui consonat Jus Gallicum, *art. Cod. civ.* 2050 [1].

[1] Si celui qui avait transigé sur un droit qu'il avait de son chef, acquiert ensuite un droit semblable du chef d'une autre personne, il n'est point, quant au droit nouvellement acquis, lié par la transaction antérieure.

CASUS XXIII

NEGOTIATIO 1°

1° Maglorius, mercator, vere *mendax in stateris*, emptoribus justum pondus mercium non tribuit. Attamen infimo pretio eas vendit, ita ut, si datum et acceptum conferantur, hujusmodi venditio limites justi, saltem supremi pretii, non excedat.

2° Amandus, mercator, cum emptores renuunt tantum sibi offerre quantum requirit, solet frequenter mentiri ac protestari se illam vel istam speciem mercium tanti emisse. Inde fit, ut illi ad pretium adaugendum adducantur.

3° Azor, dum pretium frumenti summum foret, resciens plures alios mercatores seorsim mandasse ut magna tritici copia ex aliqua provincia ad suam officinam adveheretur, tantam adhibuit diligentiam, ut ipse ante alios suum quoque triticum haberet. Quare factum est ut, pretio currente illud vendens, licet non ignoraret imminutionem mox adfuturam, lucrum ingens perceperit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Maglorius, *in primo casu, juste egerit?*

2° *An* Amandus, *in secundo casu, pretium sic mendacius adauctum accipere et retinere queat?*

3° *Si fraude vel dolo induxerit emptores ad justum quidem, sed supremum pretium tribuendum, an teneretur ad aliquid restituendum?*

4° *An* Azor, *in tertio casu, injuste egerit?*

Solutio :

964. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Maglorius injuste egit. Ratio est, quia, licet mercator non teneatur ante contractum infimo pretio merces suas vendere ad id tamen tenetur quando de hoc inter ipsum et emptores conventum est. Venditor enim statutum pondus tradere debet; secus emptor in errore circa pretium versaretur, et, dum putaret merces pretio infimo emere, pretium summum aut medium solveret.

965. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Amandus non videtur *per se* ad restitutionem obligandus; peccat enim tantum contra veritatem, non vero contra justitiam, modo pretium summum non excedat : nam de pretio cum emptoribus convenit, et proinde id tantum accipit quod suum est. Insuper notum est communiter has querelas esse mercatoribus consuetas. — *S. Lig. n.* 805.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Affirmandum est. Teneretur Amandus in hac hypothesi ad excessum pretii restituendum; emptores enim, fraude inducti ad pretium summum persolvendum, injuste decipiuntur, et proinde in illud pretium non vere consentiunt. Insuper, læduntur in jure quod habebant eamdem mercem pretio inferiori ab aliis emendi. — *S. Lig. ibid.* — *Vid. Comp. n.* 897.

966. — *Resp. ad 4^um Quæs.* Azor minime de injustitia arguendus est. Usus est enim jure suo, et commodum diligentiæ debitum consecutus est. Supponitur enim nullam adhibuisse fraudem ad notitiam rei acquirendam, neque ad alios mercatores retardandos. Nec obstat quod pretium frumenti sit mox imminuendum, nam pretio hic et nunc vere occurrente frumentum suum vendit. Ergo hac bona occasione in pace uti potest.

CASUS XXIV

NEGOTIATIO 2°

Florentinus mercator, ab aliis mercatoribus invitatur ut cum iisdem conveniat de mercibus nonnisi summo pretio vendendis; ipsis assentire noluit, quoniam hujusmodi conventio non satis honestati consona ipsi videbatur. Utilius sibi futurum esse censuit, si proprias merces, quas in notabili quantitate comparaverat, minori pretio quam cæteri venderet. Quod reapse præstitit, cum magno suo proventu, nec modico aliorum mercatorum damno. Subinde Florentinus sollicitam apposuit curam ut novi generis merces, e longinquis plagis advectæ, cupientibus quamplurimi venderet. E contrario, merces valde communes in patria sua curavit apud Indos vel Sinenses transvehi, et ibi magno pretio vendi. Quamobrem tempore brevi magna fortuna auctus est.

Hinc :

Quær. 1° *An conventio mercatorum de mercibus nonnisi summo pretio vendendis, injusta fuerit?*

2° *An* Florentinus, *vendens minori pretio, teneatur de damnis quæ propterea alii mercatores passi sunt?*

3° *An injustitiæ reus sit* Florentinus *novas merces, prout in casu, quam plurimi vendens?*

4° *An pariter injustus fuerit res in sua patria communes, pro magno pretio apud exteras et silvaticas gentes, commutando?*

Solutio :

967. — *Resp. ad 1^um Quæs.* Conventio illa mercatorum, ex qua se obligant ad merces nonnisi tali, sed justo pretio vendendas, probabilius non est injusta. Ratio est, quia emptores non coguntur ad emendum tali pretio, etiam summo, ab ipsis venditoribus, sed sua necessitate, quæ vera coactio ex parte venditorum dici non potest. Non pauci tamen contradicunt, quia, aiunt, per medium injustum emptores summo pretio emere coguntur; communiter saltem de peccato contra caritatem damnantur, quia, licet mercatores non obligentur ipsimet caritate ad vendendum infra pretium summum, videntur tamen eadem virtute teneri ad non dissuadendum aliis ne minori pretio vendant. — *S. Lig. n.* 817. — *Lugo*, etc.

968. — *Resp. ad 2^um Quæs. Neg.* omnino, quia quisque potest pro libito pretium rei suæ imminuere, sicut posset rem omnino donare; non impedit enim alios ne similiter faciant, neque ulla fraude aut conspiratione

contra eos utitur. Ergo... — *Recole dicta supra in casu* 9, *de injusto damnificatore*, *n.* 644.

Resp. ad 3^um *Quæs. Neg.* Ratio est, quia, cum pretium locale mercium illarum antea non existat, per concursum emptorum constituitur. Si enim isti emere tali pretio nolint, necessario pretium deprimetur; secus, si multi concurrant. Igitur pretium erit vere *vulgare* et justum, seu pretium in loco currens.

969. — *Resp. ad* 4^um *Quæs. Neg.*, quia res illæ amiserunt pretium quod habebant in Florentini patria, ubi multo viliores et communiores erant, et novum pretium obtinuerunt in longinqua regione, in qua magni æstimantur; pretium enim vulgare, ex æstimatione communi hominum regionis determinatur.

CASUS

DE LOCATIONE

ET RELIQUIS CONTRACTIBUS ONEROSIS

SEU

De locatione personali et reali, de emphyteusi, de societate, de cambio, de negotiatione pecuniæ, de censu, de fidejussione, pignore, assecuratione, hypotheca, de sponsione et ludo.

CASUS I

LOCATIO PERSONALIS

Euphrasius famulum simul et famulam ad annum conduxerat. Post duos menses advertit famulum esse aliquatenus incuriosum, nec satis in verbis discretum, quippe qui audita in domo facile alibi narret. Quapropter illico, mercede pro duobus mensibus persoluta, eum abjecit. Paulo post famulam infirmam ad suos parentes, recuperandæ sanitatis gratia, etiam dimisit. Hæc autem post octo dies jam sanata rediit, suum famulatum prosecutura. Sed iterum dimissa est, eo quod herus aliam jam ancillam conduxerat; non potuerat enim, ut aiebat, tanto tempore famula carere. Nec aliam mercedem illi ancillæ dimissæ, nisi pro duobus mensibus, solvit. Quapropter factum est ut tum famulus, tum præsertim famula, alium dominum intra annum facile non invenientes, egestate pressi fuerint.

Hinc :

Quær. 1° *An* Euphrasius, *ob præfatas causas, famulos dimittere potuerit ?*

2° *An aliam mercedem eis juste denegaverit ?*

3° *An merces debeatur sive famulis, sive operariis, si ad breve tempus infirmentur ?*

Solutio :

970. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* 1° *Quoad famulum.* Euphrasius famulum dimittere non potuit, si fuit tantum aliquatenus incuriosus et indiscretus, ut ex casu apparet. Ratio est, quia contractus locationis est vere onerosus, utramque partem obligans pro ratione materiæ. Ergo, quemadmodum famulus sine gravi causa herum deserere nequit, si hic, defectu famuli, damnum grave subire deberet, ita pariter neque dominus sine gravi causa famulum pro anno conductum abjicere potest. Atqui non videtur causa gravis, quod famulus visus fuerit aliquando incuriosus, aut minus moderatus in loquendo de rebus minoris momenti : ergo... Etenim censetur

hoc tacite inclusum esse in pacto locationis, quod talis famulus statim, ob quoscumque leviores defectus, dimitti non possit, constituta mercede denegata. Sed prius de defectibus corrigendis admonendus est. Secus vero foret dicendum, si talis famulus deprehensus fuisset infidelis, aut luxuriæ deditus, vel si audita in domo cum magno familiæ dedecore alibi retulisset.

2° *Quoad famulam.* Neque hæc dimitti potuit ob infirmitatem ad paucos dies tantum habitam. Ratio est, quia contractus locationis, ut dictum fuit, onerosus est, utramque partem obligans ad non resiliendum sine gravi causa. Atqui brevis infirmitas causa gravis non æstimatur. Insuper, id quoque ex consuetudine universali locorum constat. Ergo...

971. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Euphrasius injuste egit stipendium famulis præfatis pro tempore tantum præstiti famulatus retribuendo, si aliud servitium decurrente anno invenire non potuerint. Etenim, ex dictis, injuste dejecti fuere : ergo jus habent ad damni reparationem, si quod existat ; atqui, si alium locum non reperiant, magnum subeunt damnum ; ergo ab Euphrasio reparandum est. — *Elbel, n.* 168. — *S. Lig. n.* 858.

Objicies : Si quis conduxerit operarium, v. gr., fabrum murarium, vel lignarium, vel cæmentarium pro construendo ædificio, et is inter laborandum, ex alto decidens, lædat sibi crus vel brachium, et opus prosequi nequeat ad plures dies, licebit alium conducere, dimisso infirmo : ergo in nostro casu licet famulam dimittere.

Resp. Neg. paritatem. Opifices enim ad singulos dies conduci solent ; quare iis merces pro singulis diebus rependitur, et proinde singulis diebus dimitti possunt. E contrario famuli regulariter ad annum conducuntur, ita ut, invito domino, officia sua alteri locare nequeant. Ergo naturalis æquitas exigit, ut et ipsi a domino sine gravi causa dimitti non possint.

972. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* 1° Merces debetur famulis ad breve tempus infirmis, v. gr., ad paucos dies, quia tempus anni, ad quem conducuntur, moraliter accipiendum est, seu ad breve tempus deficiens non est attendendum ; parvum enim tempus respectu totius anni pro nihilo reputandum est. Secus vero, si famulus ægrotet ad plures menses, quia merces pro officio non præstito minime debetur. Neque tenetur dominus ad expensas pro curatione, seu pro remediis et medici opera faciendas. De hoc conveniunt omnes, si expensæ sint notabiles ; imo id etiam admittit *S. Lig., n.* 864, *post Lugo,* saltem ut probabile, si expensæ sint leves.

2° Non debetur autem merces ulla operariis, etiam ad breve tempus ægrotantibus, quia isti ad diem conducuntur, ut supra dictum est : ergo pro singulis diebus tantum, imo pro media diei parte, si per mediam diem deficiant, iis retribuendum est.

CASUS II

LOCATIO REALIS 1°

1° Crispinus agros ad quinquennium locaverat Paulo ; sed huic infausta successit locatio ! Etenim, uno anno, agri ob sterilitatem nihil aut admodum parum protulerunt ; alio autem anno fruges, partim pluvia inun-

dante, partim grandine vastatæ sunt. Quamobrem Paulus locatorem rogavit, ut tributi partem remitteret. Id vero Crispinus absolute recusavit. Hinc Paulus, ut se a tanto damno partim compensaret, aliquid aliis annis occulte subripuit.

2° Faustinus pingue prædium Laurentio locaverat. Sed, ingruente bello, agri a militibus populati sunt. Quare Laurentius remissionem annuæ pensionis postulat. Faustinus indignabundus hominem a se repellit, quia, ait, quando omnia fausta colono succedunt, non solet dominus majus tributum exigere, nec proinde, si adversæ sint res, imminuendum est, nec a fortiori ex integro remittendum.

Hinc :

Quær. 1° *An locator aliquando teneatur tributum, saltem partim, colono remittere ?*

2° *An* Crispinus *in primo casu, et* Faustinus *in secundo casu, potuerint imminutionem pensionis denegare ?*

3° *An* Paulus, *in primo casu, potuerit se compensare ?*

4° *Quid, si colonus habuit quidem messem faustam, sed tamen omnes fructus jam in horreum collectos amisit, sive hostium direptione, sive incendio ?*

Solutio :

973. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Per se* de jure naturali, ad rigorem loquendo, nunquam locator pensionem debitam colono remittere tenetur, quia infortunia naturaliter ipsi obveniunt. Etenim res quæ casu fortuito seu extraordinario destruitur, perit domino; atqui locatarius est fructuum colligendorum dominus : ergo... Dixi... *per se,* quia conventione generali, jure confirmata, introductum est ut, si ingens sit jactura, aliquid remittatur; si vero sit totalis, ut damnum inter utrumque, locatorem scilicet et locatarium dividatur. Si taliter autem non constitutum fuisset, locatarius minus tributum persolveret. — *S. Lig. n.* 860. — Concinit Jus Gallicum. *Cod. civ., art.* 1769 *et seq.*

974. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° Crispinus non potuit denegare omnem pensionis imminutionem. Ratio patet ex dictis. Etenim, occurrente calamitate, pro rata hujus infortunii, de pensione a locatore remitti debet. Atqui in casu nostro supponitur adfuisse sterilitas valde notabilis, vel alia ingens calamitas, qua fructus plerique perempti sunt : ergo pars etiam notabilis præstandæ pensionis condonari debuit. Excipe, nisi conventio inita fuerit inter contrahentes, vi cujus nihil in quocumque casu remittendum foret; sed tunc pensio notabiliter minor, in compensationem talis periculi, a locatore exigenda est. — *Elbel, n.* 663. — *S. Lig. n.* 860.

975. — 2° *Quid de* Faustino? Cum casus similis sit ac præcedens, quoad rei substantiam, eadem etiam solutio danda est. Vastatio enim agrorum ab hostibus facta, ut extraordinaria calamitas habenda est. Ergo Faustinus, haud secus ac Crispinus partem debiti *pro rata* damni extraordinarii condonare debet. Nec valet ratio a Faustino adducta, scilicet, quod major pensio a locatario, dum res prospere cedunt, non solvatur; quia commodum illud non est adeo notabile, ac damnum quod in magna calamitate

advenit, et per annos mediocris fertilitatis facile compensatur. Cæterum, dicunt merito plures eximendum esse locatorem a pensionis remissione, si per plures annos successivos fertilitas extraordinaria habita fuerit, quod rarissimum est. — *S. Lig. n.* 860.

976. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Non potuit licite. Ratio est, quia occulta compensatio licita non est, etiam stante certa injuria, quando debitum alio modo recuperari potest. Atqui in nostro casu facilis recursus ad judicem patet : ergo per hanc viam quod suum est repetere debet. Attamen hæc compensatio injusta dici nequit.

Resp. ad 4^um^ *Quæs.* In hoc casu colonus imminutionem pensionis exigere non potest, ut videtur, saltem probabilius. Ratio est, quia, quando fructus jam sunt in horreum collecti, pleno jure sunt in dominium locatarii; nec conventiones, aut leges, ex quibus tributum, ingruente extraordinaria calamitate, minus solvendum est, hunc casum respicere videntur. — *Elbel, n.* 673. — *Lacroix, lib.* 3, *part.* 2, *n.* 1049, contra *Lessium et alios.* In praxi, sane locator ante sententiam judicis ad nihil teneretur.

CASUS III

LOCATIO REALIS 2°

Quirinus a quodam divite molendinum in locationem susceperat, sub certa pensione ad festum S. Michaelis solvenda. Molendinum illud novus colonus, vir industrius, propriis expensis novo aquæ ductu melioravit. Verum, anno nondum elapso a tempore susceptæ locationis, exorta subito tempestate, mense julio, imber tam horribilis depluit, ut rivus omnino exundaverit, et impetu aquarum a fundamentis molendinum corruerit, non sine magno detrimento et periculo Quirini, cui sola area ab aquis illæsa ad se cum familia recipiendum superfuit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Quirinus *integram pensionem locatori, seu domino, solvere debeat?*

2° *Quid juris, si domus locata, incendio vel alio casu fortuito, pereat?*

Solutio :

977. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Sed tenetur tantum locatarius ad solvendam pensionem *pro rata* temporis, quo volvente utilitatem ex molendino percepit, quia pensio illa constituta fuit propter usumfructum ex molendino percipiendum ; atqui per anni tantum partem locatarius usumfructum ex molendino collegit : ergo, *pro rata* illius partis solius, stipendium solvere debet; postulat enim æquitas naturalis, ut nihil solvat pro tempore quo re frui non potuerit, cum nullam utilitatem ex ea habere possit. Jam satis est igitur, ut ipse jacturam ferat expensarum quas ad meliorandum molendinum fecit. — *Elbel, n.* 700.

Resp. ad 2^um^ *Quæs.* In foro conscientiæ locatarius ad nihil tenetur, si absque culpa ipsius domus destructa fuerit, ut patet ex dictis de injusto

damnificatore. In foro autem externo, locatarius de damno tenetur, nisi probet illud absque sua culpa evenisse, saltem ex lege gallica. — *Art. Cod.* 1734.

CASUS IV

EMPHYTEUSIS

Marculfus, colonus, prædium sat pingue in emphyteusim pro tributo relative tenui, ad decem annos a Palmatio, viro divite, acceperat. Mortuo paulo post domino, Narcissus, ejus filius, de augendo tributo statim cogitat, et colono insinuat, eum, nisi velit, loco 100 aureorum, 150 in posterum solvere, a villicatione amovendum esse, quum alium colonum invenerit qui ad pensionem adhuc majorem solvendam paratus sit. Quid faciet miser? malleum inter et incudem constitutus, annuit, licet ægre, et requisitum censum persolvit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Narcissus *juste potuerit colonum cogere ad istud pensionis incrementum?*

2° *An colonus se occulte compensare potuerit, cum invitus in pensionem augendam consenserit?*

3° *An, colono annuente, seu ægre consentiente, dominus pensionis incrementum acceptare seu retinere potuerit?*

Solutio :

978. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.* Omnino injuste egit Narcissus. Ratio evidens est. Etenim ex contractu colonus jus strictum habet ad fruendum prædio per 10 annos; ergo, donec fuerit completum tempus conventione præfixum, non potest ab ejus possessione dejici. Ergo Narcissus non potuit pensionem adaugere, neque expulsionem comminari; ergo id faciendo injuste egit. Insuper æquitati repugnat, ut quis petat solutionem illius quod in ejus potestate non est; atqui jus fruendi præfato prædio non erat in potestate Narcissi, cum jus illud ab ejus patre in Marculfum, colonum, translatum fuerit. Ergo pro hoc non potuit juste tributi incrementum exigere.

979. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Non potuit licite, si jus suum in judicio probare potuerit; quia non permittitur a Theologis occulta compensatio, nisi quando quis id quod certo suum est alio modo obtinere nequit. Secus, si jus probare nequeat, v. gr., si contractus non fuerit actu authentico initus, vel si titulus sit amissus. Attamen hæc compensatio ut injusta non est reprobanda. — *V. dicta supra, n.* 573 *et seq.*

980. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Narcissus, etiam annuente colono, non potuit tuta conscientia incrementum pensionis acceptare, nec retinere. Ratio est, quia consensus gravi metu injuste incusso datus non est moraliter liber, et hoc ipso nullus est. Nemo enim libenter consentit, quando necessitate morali ad consentiendum adigitur. Si igitur Marculfus aliquem dedit consensum, id tantum fecit ad majus malum vitandum. Ergo Nar-

cissus ad restitutionem erga colonum absolute adstringendus est. — *Elbel, n.* 697. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 10.

CASUS V

SOCIETAS 1°

Germanus, ab aliis ad ineundam societatem sollicitatus, diu reluctaverat, quia negotium propositum ipsi videbatur magnum periculum sortem amittendi præbere. Tandem, ut se ab hujusmodi sollicitatione eriperet, annuit, ea tamen conditione ut reliqui socii pecuniæ periculum in se susciperent, et, casu quo tota summa deperiret, eam sibi restituerent. Ipse e contrario, pro casu quo magnum lucrum perciperent, minori parte illius vellet esse contentus, scilicet, tertia parte lucri suæ portioni correspondentis, ita ut v. gr., pro 3,000 fr. mille tantum acciperet, reliqua aliis relinquens. Annuentibus sociis, contractus in hunc modum fuit initus et perfectus. Subinde vero, conscientiæ stimulis agitatus, Germanus Confessarium adit, et ab eo petit utrum justus foret hic contrahendi modus. Respondit Confessarius injustum esse, usurarium, et a Sixto V prohibitum; proinde absque mora rescindendum esse.

Hinc :

Quær. 1° *An reapse injustus sit contractus societatis, in quo unus eximitur a periculo sortem amittendi, ita ut lucrum minus percipiat? seu, an injustus sit* contractus trinus?

2° *An Confessarius potuerit* Germanum *obligare, sub denegatione absolutionis, ad contractum suum rescindendum?*

3° *An contractus* trinus *a Sixto V prohibitus fuerit?*

Solutio :

981. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.,* saltem *probabilius.* Ratio est, quia singuli contractus seorsim sumpti, seu si fiant cum diversis personis, sunt liciti et justi : ergo non possunt esse injusti, si omnes simul in eodem contractu inter duos homines concurrant. Insuper nulla violatur æqualitas in trino contractu, quia datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam æquivalenter sustinetur : nam, si periculum fere omne amoveatur, lucrum tenue etiam percipitur, per modum compensationis. Præterea valet sane contractus quo quis se obligat ad periculum rei, v. gr., commodatæ aut locatæ suscipiendum, modo onus sufficienter ab altero contrahente compensetur. Quidni ergo idem facere posset socius in commercio, cui magnum præstatur commodum, siquidem, sine pecunia quæ ab uno tribuitur, alter negotiationem assumere aut prosequi non posset?

982. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Confessarius non potuit obligare Germanum ad contractum hunc societatis rescindendum. Etenim ex dictis contractus ille fuit validus et licitus, saltem probabilius; atqui, dum pœnitens vult sequi opinionem vere probabilem, a Doctoribus approbatam, Confessarius nequit eum impedire, neque sine gravi injuria absolutionem ei denegare. Ergo...

983. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Etenim, licet *Sixtus V.* in Const. *Damnabilis*, damnaverit contractus, quibus fit ut in societate unus certum lucrum obtineat quin damni periculum subeat, hoc tamen est, intelligendum de pactis injustis, in quibus, scilicet, æqualitas lucri et damni non servatur. Ipsemet enim hac de re interrogatus respondisse fertur, se solum voluisse contractus injustos prohibere. Cæterum *Benedictus XIV* declarat, in opere *de Syn. diœcesana*, *Sixtum V*, contractum trinum non damnasse, neque se intendere damnare. — *Elbel*, *n.* 608. — *S. Lig.*, *n.* 908-909. — *Vide Comp.*, *n.* 917-919.

CASUS VI

SOCIETAS 2°

1° Sergius mille francos Lucio, mercatori, in commercium impendendos, contulit. Lucius lucrum 2,000 francorum obtinuit. Sergius autem, præter sortem, dimidiam lucri partem repetit.

2° Hormisdas mille fr., in officio commissarii bellici male acquisitos, tribuit Zozimo qui in lignis negotiatur apud Hollandos, ut in lucri partem veniat. Zozimus lucratus est semel mille francos, et alia vice ratis lignorum periit. Hormisdas integram suam summam a socio suo requirit.

Hinc :

Quær. 1° *An medietas lucri a* Lucio, *mercatore, percepti*, Sergio *competat in primo casu ?*

2° *An* Hormisdas, *in secundo casu, lucrum ex pecunia furtiva proveniens ex parte possit repetere ?*

3° *An idem* Hormisdas *ad sortem suam ex integro repetendam jus habeat ?*

4° *Quid dicendum, si* Zozimus *ratem suam, quidem in Hollandiam deduxisset, sed impensa sua industria nihil lucratus fuisset ?*

Solutio :

984. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Sergius minime jus habet ad lucri medietatem, sed tantum ad fenus juxta taxam legis, seu ad 6 pro 100. Ratio est, quia non veram societatem cum Lucio inivit, sed tantum pecuniam suam ipsi mutuo tradidit. Etenim in contractu societatis, ex naturali æquitate, omnia debent esse communia, scilicet, tam pericula quam commoda; atqui in casu nulla apparent pacta ex quibus Sergius æqualiter pericula subire debeat : ergo neque lucrum ad æqualitatem cum Lucio partiri potest.

985. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, licet Hormisdas graviter peccaverit præfatam pecuniam subducendo, et sub gravi ad eam restituendam teneatur : attamen lucrum, quod ex ea percepit, suum fecit, utpote industriæ suæ tribuendum. Ergo potest lucrum illud pro sua parte requirere et retinere. — *Recole dicta supra, de possessore malæ fidei*, *n.* 612.

986. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Hormisdas nihil habet reclamandum, siqui-

dem sors periit, et ipsimet periit : nam res perit domino ; atqui ipse erat pecuniæ dominus : ergo... Etenim, in contractu societatis, pecunia vel res collata remanet sub dominio conferentis, ita ut, si percat sine culpa alterius, pereat conferenti, utpote ejusdem domino. Ergo Hormisdas nihil de sorte reclamare potest. Id autem non impedit quominus mille francos furtivos restituere debeat.

987. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs.* In hac hypothesi Hormisdas jus ad sortem integre reclamandam haberet, cum non periisset ; sed ad nihil amplius jus haberet, nullo existente lucro. Imo expensarum partem *pro rata* participationis in societate solvere tenetur ; nam impensæ et damna inter socios communia esse debent.

CASUS VII

CAMBIUM 1°

Albanus, Gallus, in Hispaniam proficiscens, cum Baionam devenisset, a Lampridio campsore, petiit ut monetam hispanicam pro gallica sibi permutaret. Libenter annuit campsor ; sed cum moneta hispanica minoris valeret in Gallia, et insuper magna copia hujusmodi monetæ a viro peregrino postularetur, hic magnum subiit detrimentum, quod in campsoris favorem cessit. Albanus vix Hispaniam fuerat ingressus, cum, urgente gravi causa, in patriam et in familiam regredi debuit. Tunc iterum eumdem campsorem Baionæ adiit ut mutationem prius factam solveret, et aliud notabile damnum pati debuit.

Hinc :

Quær. 1° *An justa fuerit duplex præfata permutatio ex parte campsoris?* 2° *Si* Lampridius *sciat relatione privata pecuniam hispanicam proxime perdituram esse de valore suo extrinseco, poteritne tali peregrino, rei ignaro, numerare monetam talem in actuali valore?*

Solutio :

988. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, quamdiu mercator manet intra limites justi pretii, tamdiu non peccat contra justitiam ; de campsore autem idem ac de mercatore dicendum est, siquidem campsores sunt proprie pecuniæ mercatores. Atqui Lampridius mansit intra limites justi pretii, licet acceptaverit pecuniam gallicam in infimo pretio, hispanicam vero in summo pretio rependerit. Ergo... Etenim, si quis panem in infimo pretio cum vino in summo pretio commutasset, de injustitia sane arguendus non esset. Ergo a pari, nec damnari debet Lampridius ex eo quod, acceptando monetam gallicam in infimo pretio, hispanicam vicissim numeravit in summo valore. Porro, si id facere potuit prima vice quando Albanus in Hispaniam tendebat, idem etiam iterare valuit quando ex Hispania rediens, Galliam repetebat. Nec refert quod Albanus inde multum perdiderit ; hoc enim mere per *accidens* factum est, et Lampridius ad hujusmodi damnum mere permissive se habuit. Ergo non injuste egit ; ergo non est inquietandus. — *Elbel, n.* 602.

989. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia pecunia illa adhuc, in communi æstimatione hominum, suum valorem servat. Secus vero, si constaret illam pecuniam jam suum valorem antiquum perdidisse, quia tunc campsor pecuniam non amplius expenderet juxta præsentem suum valorem. — *Elbel, n.* 604.

CASUS VIII

CAMBIUM 2°

Valesius, campsor, e pecunia mutuo tradita, fenoris, seu lucri titulo, 6 vel 7 pro centum, imo 8 vel 9 percepit, his ductus rationibus, scilicet : 1° quia se habet ut pecuniæ mercatorem ; 2° quia varia sortis pericula sæpius incurrit ; 3° quia magnam pecuniæ copiam otiosam semper penes se habere debet, ut omnibus pecuniam petentibus satisfaciat, necnon ut propriis obligationibus impar non efficiatur, in casu quo ipsius debitores solutionem differant ; 4° quia ipse pecuniam mutuo petit et sæpe petere tenetur, 5 0/0 solvendo ; 5° quia, singulis trimestribus spatiis, novæ fieri debent expensæ ad computationes instaurandas (*droits de commission*) ; 6° quia telonii expensas plurimas faciendas solvere debet.

Hinc :

Quær. 1° *An campsores pro mutuo pecuniæ* 6 *vel* 7 0/0 *vel etiam amplius percipere possint?*

2° *Quid de* Valesio, *ejusque rationibus?*

Solutio :

990. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Campsorum munus est *primario*, ut vox ipsa sonat, pecuniam permutare, vel alio transferre ; *secundario* autem, et velut *accessorie*, pecuniam mutuo tradere. Quid accipere possint campsores ratione muneris *primarii*, seu ad pecuniæ permutationem aut translationem, non potest generali regula definiri. Consuetudini locorum et virorum proborum se conformare debent. Quid vero accipere possint rationes *mutui*, ex nulla lege speciali pro ipsis eruitur.

Quare præscripto generali subjici debent, *per se*, nisi aliquando ratione damni *emergentis* amplius accipere possint. Campsores igitur *per se* in mutuo non possunt excedere taxam legalem, 6 0/0 permittentem. Aliquibus in locis, ratione damni particularis, 7 0/0 permitti videntur, præsertim si ipsi pecuniam ab aliis obtinere nequeant, nisi censum legalem, seu 5 vel 6 0/0 solvant [1].

991. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* Quid autem de Valesii rationibus? Pleræque flocci faciendæ sunt : 1ª Ratio admittenda quidem est, quia campsor ut pecuniæ mercator habendus est, et hoc titulo 6 0/0 exigere potest ab iis quibus pecuniam tribuit, sed non amplius sola mutui ratione. — 2ª Ratio nihil valet, utpote nimis generalis. Etenim, si aliquando probabile sit sortis

[1] Attende tamen ad varia loca, et virorum piorum praxim ; vix enim in istis rebus regula generalis statui potest.

periculum, est casus particularis, in quo periculum illud æstimari potest, et, ratione illius, major census requiri. Sed numquid ideo 8 vel 9 ab omnibus indiscriminatim exigere poterit? Nequaquam. — 3ª Ratio etiam infirma est. Etenim, si pecuniam otiosam habere debeat, lucrum sat notabile ex alia pecunia mutuo tradita percipit, ut indemnis fiat. — 4ª Ratio jam ex dictis exsufflanda est, quia, etiamsi 1 tantum pro centum accipiat plus quam solvat, ratione multæ pecuniæ, lucrum non mediocre obtinebit. — 5ª Ratio fundamentum quidem quoddam habet, sed expensæ illæ scripturarum faciendarum, vel renovandarum, non tantæ sunt ut pro illis plus quam 6 aut 7 pro singulis centenis requirere debeat.

992. — Insuper notum est campsores non paucos scripturas inutiles sæpe facere, aut renovare, ut occasionem habeant censum majorem a mutuatoribus exigendi; quot sunt etiam qui, pro scripturis non factis vel simulatis, stipendium petunt? Dicunt enim se jus habere ad eas conficiendas, et proinde mercedem posse repetere, perinde ac si perfectæ fuissent. Hæc praxis injustitiæ plena est. Quare enim pretium exigis pro labore quem non posuisti? Quare vis colligere ubi non seminasti? Quale jus habes ad inutiles expensas? — 6ª Ratio claudicat, expensæque telonii jam satis resarciuntur ex lucro proveniente de munere primario campsoris, scilicet de permutatione vel translatione pecuniæ. Non desunt campsores qui 6 vel 7 ad summum requirunt, et statum suum tamen honeste servant.

CASUS IX

NEGOTIATIO PECUNIÆ

Acceptilatio et expensilatio (comptes courants) [1]

Onuphrius, quærens modum facilem habendi pecunias, quibus aliquando eget, et pecunias, quas aliquando recipit, facile collocandi, adit Argyrophilum, nummularium (*banquier*), quem sic alloquitur : « Visne mecum contractum inire, quo te obligabis ad recipiendas omnes pecunias quas tibi offeram, cum onere fenoris legitimi solvendi mihi, et ad præstandas mihi omnes pecunias quas a te repetam, cum pari onere fenoris legitimi ex mea parte solvendi? — Optime, inquit Argyrophilus, et si tibi placet, post quodcumque spatium trimestre, compensationem instituemus, ita ut qui residuum aliquod debebit, illud solvat, aut de novo debitor fiat, cum onere solvendi in posterum fenora fenorum elapsorum... » Ita fit conventio... Elapso autem primo spatio trimestri, Argyrophilus præbet Onuphrio bilancem accepti expensi (*l'état du compte courant*), unde liquet, præter fenora utrinque debita a diebus receptionum, summas sortis quas Onuphrius recepit, esse 4,200 fr., eas autem quas ipse ad Argyrophilum attulit, esse 700 fr. Sed advertit insuper Onuphrius : 1° summas quas ab Argyrophilo recepit, produxisse in favorem ipsius 6 0/0, dum eæ quas eidem remisit, produxerunt tantum 5 0/0. — 2° In summa 700 francorum computari tantum pro 292, 80 litteras cambii, quas eidem Argyrophilo

[1] V. versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a *n.* 1036 ad *n.* 1043.

remisit, a Titio quodam subscriptas, et alia in urbe solvendas post duos menses a die quo fuerunt Argyrophilo remissæ. Ita autem egit Argyrophilus, quia e 300 francis deduxit 3 francos pro fenore per duos menses, 3 francos pro salario negotiationis a se susceptæ, et 1,20 pro pretio cambii. — 3° Animadvertit insuper Argyrophilum exigere supra fenus 6 0/0, etiam 1 0/0 pro salario (*commission*). Nihil tunc dicit Onuphrius, sed pecunias nec amplius apud Argyrophilum affert, nec amplius ab eo repetit. At, elapso alio trimestri spatio, denuo bilanx ei offertur unde constat Argyrophilum, præter fenora residuæ summæ præcedentis bilancis, ab eo exigere 1 0/0 pro salario (*commission*), et exigere insuper cum præcedenti residuo novam sortem fenorum productivam.

Hinc :

Quær. 1° *An licuerit* Argyrophilo, *pro summis a se* Onuphrio *traditis* 6 0/0 *percipere, dum* 5 0/0 *eidem solvebat pro summis a seipso receptis ?*

2° *An licuerit illi, stante conventione, efficere fenora productiva fenorum post quodcumque spatium trimestre?*

3° *An licuerit exigere præter taxationem legalem, salarium* 1 0/0 *pro summis* Onuphrio *traditis, et an illud salarium debuerit computari in tota summa* 4,200 *fr. a se tradita, aut tantummodo in differentia* 3,500 *fr.?*

4° *An ex summa* 300 *fr. a* Titio *debita potuerit deducere fenus duorum mensium, salarium et pretium cambii?*

5° *An potuerit novum salarium exigere pro residuo bilancis primi spatii trimestris?*

6° *An potuerit, elapso secundo spatio trimestri, reddere fenora residui productiva novorum fenorum, licet nulla nova operatio per hoc tempus intervenerit?*

Solutio :

993. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negative,* quia de natura hujus contractus est ut summæ hinc et inde debitæ possint se invicem compensare, habita tantum ratione quantitatis et temporis. Hoc autem fieri non posset, si hinc et inde fenus æquale non foret. Fenus autem illud 6 0/0 juxta legem esse videtur, cum contractus ille commercialis sit, siquidem Argyrophilus ab Onuphrio pecunias accipit quas in commercium suum impendere debet, et pecunias ei tradit quæ, propter ejusdem Argyrophili professionem, mercium rationem habent. Onuphrius insuper pecunias Argyrophilo tradit, ut in ejus commercium impendantur et facilius possit alias pecunias, ex hoc ipso proprio commercio, in suam propriam utilitatem retrahere.

994. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Lex enim quæ prohibet ne fenora sint productiva fenorum, nisi uno saltem anno elapso, soli mutuo applicari debet. Hic autem agitur de contractu omnino diverso, in quo utraque pars contrahens creditor vel debitor alternatim fieri potest, et in quo proinde utrique prodesse potest, ut fenora in sortem vertantur.

Resp. ad 3^um^ *Quæs. Affirmative.* Tale salarium non solum non est usurarium, si stipulatum fuerit, sed etiam, nulla posita speciali conventione, deberetur ab Onuphrio, qui, Argyrophili professionem cognoscens, non potuit ignorare illum ad tale salarium jus habere. Etenim, ut Argyrophilus

possit in promptu semper habere summas quas ab eo petit Onuphrius, necessarium est ut artem exerceat valde laboriosam et periculosam, cujus labores et pericula solo pecuniæ fenore non compensantur : salarium autem illud debet juxta usum loci cujusque computari.

995. — *Resp. ad* 4^um^ *Quæs. Affirmative quoad salarium,* quia, accipiendo litteras cambii tanquam pecunias, et suscipiendo onus illarum solutionem in alio loco exigendi, exercuit suam artem, et bonum Onuphrio præstitit officium.

Affirmative etiam *quoad pretium cambii,* si reapse ex taxatione tunc temporis recepta sit 1,20 pro 300 fr., scilicet 0,41 0/0 pro urbe in qua solvi debent litteræ cambii. Nummularius enim non potest harum litterarum solutionem obtinere, aut eas aliis cedere, quin illud pretium solvat. Et etiamsi forte eveniret ut ab hac solutione posset se eximere (ut si, v. gr., ab ipso subscriptore in sua urbe summam debitam reciperet), nihilominus jus haberet ad pretium illud retinendum, cum *per se* et ex natura sua litteræ de quibus agitur hoc decrementum subire debeant, et *per accidens,* casu aut industria fiat ut non ita sit.

Tandem *affirmo* etiam *quoad fenus,* quia alioquin privaretur per duos menses fenoribus hujus summæ, cum illa fenora ipse Onuphrio rependat. Attamen in rigore juris non posset retinere fenus 300 francorum, cum per prædictas reductiones imminuta sit sors, ita ut jam rependat Onuphrio fenora 292,80 tantum. Sed observandum est, quod ibi agitur de contractu, in quo præter taxationem legalem salarium debetur, juxta usus in commercio receptos : si ergo hæc differentia, quæ in casu præsenti fere nulla est, et in plerisque casibus minima erit, si, inquam, hæc differentia juxta usus commercii non attendatur, pro supplemento salarii habenda est.

996. — *Resp. ad* 5^um^ *Quæs. Negative.* Salarium enim et debetur propter curas quas impendere tenetur, ut habeat semper pecunias Onuphrio petenti præstandas; ibi autem nulla nova præstatur pecunia, sed residuum jam præstitarum pecuniarum ab Onuphrio deberi declaratur. Si ergo ratione hujus residui salarium perciperet, duplex pro eadem pecunia percepisset.

997. — *Resp. ad* 6^um^ *Quæs. Affirmative,* quia Onuphrius non monuit illum, se præsentibus conventionibus renuntiare ; proinde stant tales conventiones, etiamsi non utatur jure tradendi aut recipiendi pecunias. Argyrophilus autem tenetur quocumque trimestri spatio monere Onuphrium, et de statu bilancis eum certiorem facere. Alioquin videretur ipse renuntiasse præcedentibus conventionibus, et non posset efficere fenora productiva novorum fenorum.

BILANX AB ARGYROPHILO PROPOSITA

998. 1^um TRIMESTRE (*a 1^a Januarii ad 31^um Martii*).

ACCEPTUM

Die 14 Feb. accepta ab ONUPHRIO.

Summa pecuniaria		407 20
Acceptæ insuper litteræ cambii a Titio quodam subscriptæ et 14 Aprilis solvendæ	300 fr. »	
Unde deducendum :		
1° Fenus usque ad diem solutionis.	3 f. »	
Salarium (1 %)	3 »	7 20
Cambium (0,40 %)	1 20	
		292 80
Totale sortium		700 »
Fenus per 45 dies (5 %)		4 36
Totale acceptorum		704 36

EXPENSUM

Die 15 Januarii tradita ONUPHRIO.

Summa	4,200 »
Fenus per 75 dies (6 %)	52 5
Salarium (1 %)	42 »
Totale expensorum	4,294 50
Totale acceptorum	704 36
Residuum debitum	3,590 14

999. 2^um TRIMESTRE (*a 1^a Aprilis ad 30^um Junii*).

ACCEPTUM

Nihil.

EXPENSUM

Residuum trimestris præcedentis ad ONUPH. debitum	3,590 14
Fenus per 3 menses	51 85
Salarium (1 %)	35 90
Debitum	3,677 89

CASUS X

PECUNIA EX PRÆCEDENTI PROMISSIONE MUTUATA

Crédit ouvert[1].

CHRYSOPHILAX, nummularius, SIMPLICIO, mercatori, spondet se illi pecunias mutuaturum quotiescumque voluerit, usquedum deveniatur ad summam 30,000 francorum, et sic ineunt contractum quem vocant : *creditum apertum* (*ouverture de crédit*). Post 3 menses SIMPLICIUS jam 12,000 francorum summam accepit. Tunc monet illum CHRYSOPHILAX, ut solvat fenora jam elapsa et insuper 1 0/0 ratione salarii, cum declaratione, quod nisi solvat fenora et salarium novum, ex his efformabitur sors. Ad hoc respondet SIMPLICIUS : se non posse cogi ad solutionem fenorum, nisi post unum annum elapsum, cum nulla conventione stipulatum fuerit fenoris solutionem ante anni terminum esse faciendam; negat *a fortiori* posse CHRYSOPHILACTEM ex fenoribus post tres menses novum capitale efformare; negat tandem se ullum debere salarium, quod nec stipulatum fuit, nec,

[1] Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a *n.* 1043 *et seq.*

prout usurarium, stipulari potuit. Addit Simplicius quod ad præcavendas ulteriores difficultates non amplius vult in posterum uti promissione mutuandi sibi a Chrysophilacte facta. Reponit Chrysophilax : licere quidem Simplicio non amplius a se mutuare, minime vero illi permitti ut se eximat ab obligatione solvendi fenora fenorum, et solvendi insuper 300 francos pro salario pecuniarum juxta promissionem mutuandarum.

Hinc :

Quær. 1° *An potuerit* Chrysophilax *efficere, ut post tres menses fenora pecuniarum jam mutuatarum novam sortem efformarent fenorum productivam ?*

2° *An potuerit exigere salarium, et hoc non solum pro* 12,000 *francorum reapse traditis, sed etiam pro* 30,000 *francorum promissis ?*

Solutio :

1000. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negative;* quia non solum circa hoc nulla intervenit conventio, sed nulla intervenire potuit : etenim pecuniæ traditæ reapse mutuatæ sunt ; pecuniarum autem mutuatarum fenora novam sortem efformare non possunt, nisi conventione speciali aut petitione judiciaria, post integrum elapsum annum. Annus autem ille computari debet, pro unaquaque summa, a die qua recepta fuit. Nec valeret conventio juxta quam minus requireretur tempus, ut fenora novam sortem efformarent : non fuit enim in præsenti casu sicut in *expensilatione* et *acceptilatione,* ubi unus vel alter potest vicissim debitoris vel creditoris vices gerere : cum autem mutuatarius necessario debitor remaneat, talis conventio ad nihil aliud inserviret, nisi ad augendum fenus supra taxationem legalem.

1001. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirmative.* Et non solum potuit Chrysophilax salarium exigere, pro 12,000 franc. reapse traditis, sed pro 30,000 fr. quæ tradere promisit : salarium enim illud debetur non propter ipsum mutuum, sed propter antecedentem mutuandi promissionem et ratione curarum quas Chrysophilax vi istius promissionis adhibuit ut summam 30,000 fr. semper in promptu haberet, ad satisfaciendum Simplicii requisitioni. Nec obstat quod circa illud salarium nulla intervenerit conventio, quia Simplicius, sola Chrysophilactis professione et usibus in commercio receptis, sufficienter monitus est.

CASUS XI

MUTUUM SIMPLEX A NUMMULARIO FUCATUM [1]

Candidus, mercator, a Vulpino nummulario pecuniam mutuandam sæpe petit, et in agnitionem debiti chirographa *endossabilia* (*billets à ordre*) subscribit, sed Vulpinus Candidum codicibus suis inscribit, non ut simplicem mutuatarium, sed tanquam si cum ipso de *acceptilatione* et *expensilatione* contraxisset (*comme s'il existait entre eux un compte courant*) ; proinde sic operatur : si, ex. gr., Candidus petat ab eo 10,000 francorum

[1] Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a *n.* 1045 *et seq.*

post sex menses restituenda, subscribendum præbet illi chirographum 10,300 fr., ut possit, elapso termino, exigere non solum sortem, sed etiam fenus sex mensium. Deinde inscribit CANDIDUM in *expensilatione* sui codicis, ut debitorem 10,300 francorum, et inscribit pariter in *acceptilatione* (*au crédit*) ut creditorem 9,991 fr. (scilicet creditorem valoris chirographi sub deductione fenoris sex mensium); utramque summam productivam fenorum fingit, ita ut CANDIDUS inveniri possit debitor differentiæ inter fenus 10,300 fr. et fenus 9,991 fr. Tribus autem elapsis mensibus, petit illam differentiam, et insuper unum pro centum salarii pro pecunia tradita, declarans quod, nisi id quod petitur immediate solvatur, ex hoc nova sors efformabitur.

Hinc :

QUÆR. 1° *Licuitne* VULPINO *addere in chirographo fenus sorti ?*

2° *Licuitne petere fenus differentiæ inter utramque summam, codici suo inscriptam ?*

3° *Licuitne petere salarium pro pecunia tradita?*

4° *Licuitne facere, ex supradicta differentia, novam sortem post tres menses ?*

Solutio :

1002. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirmative.* Cum enim chirographa non sint fenorum productiva, nisi elapso solutionis termino (*du jour du protêt*), potuit hoc modo efficere ut pecunia mutuata fenus produceret a die mutui. Attamen videtur circa hoc esse quædam difficultas, siquidem, cum fenora fingantur esse pars sortis, sequitur quod, elapso termino, producent fenora, licet pro anno integro non debeantur. Impediretur illud incommodum, si in chirographo tantum exprimeretur sortem vere mutuatam esse, cum obligatione ex parte mutuatarii solvendi fenora a die mutui. Sed modus ille in commercio inusitatus difficiliorem redderet chirographorum transmissionem. Quare debitores præsumendi videntur libenter illud subire damnum ad facilitatem operationum; præsertim cum damnum illud vitare possint, solvendo tempore statuto, aut novum chirographum loco prioris subscribendo.

1003. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Negative;* quia, ita procedendo, VULPINUS fecit productivum a die mutui fenus nondum debitum 10,000 fr. Imo fecit etiam productivum fenus illius fenoris; etenim differentia, cujus fenus exigitur, constat : 1° summa 300 fr., quæ est fenus sortis mutuatæ, et quæ ficte addita fuit sorti, licet non mutuata; 2° summa 9 fr., quæ est fenus istius summæ 300 fr.

1004. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Negative;* quia nulla præcessit promissio mutuandi, ex qua debuerit VULPINUS in promptu habere pecunias sibi a CANDIDO petitas; proinde nihil aliud intervenit quam simplex mutuum, ratione cujus, præter taxationem legalem, nihil mutuanti debetur, etiamsi iste sit nummularius. Et stipulatio talis salarii esset omnino usuraria.

Resp. ad 4^um^ *Quæs.* Jam inutilis evadit quæstio, cum ex præcedentibus duabus solutionibus constet, illud non deberi, et a fortiori non posse fenorum productivum esse.

CASUS XII

DE CENSU VITALITIO

1° Aurelius dedit Januario ad censum *vitalitium* mille aureos die prima Januarii, ita ut primam pensionem percepturus esset anno sequenti, eodem recurrente die. Sed inopinato casu moritur Aurelius, die prima Novembris, in festo omnium Sanctorum, seu duobus mensibus antequam primus annus compleri potuerit. Hæredes ejus reclamant a Januario partem pensionis, *pro rata* temporis elapsi. Sed surdo canunt : nam Januarius renuit censum solvere, quia jus ad censum *vitalitium* est *personale*, nec proinde ad hæredes transit.

2° Leontia mulier, septuaginta annos nata, et valetudine admodum infirma, timens ne modicum peculium, constans quatuor millibus fr., paulatim deficiat, illud cedit Annæ ad censum vitalitium, 12 pro centum quotannis acceptura. Anna libentissime contractui consentit, judicans vetulam mox esse vitæ valedicturam. Sed evenit ut Leontia ad centum annos vitam produceret; dum Anna viribus et ætate florescens, elapso vix primo anno, mortua est.

Hinc :

Quær. 1° *An* Januarius, *in primo casu, censum solvere debeat ?*
2° *An sit justus contractus inter* Leontiam *et* Annam, *in secundo casu ?*

Solutio :

1005. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Negant* aliqui, innixi in ratione a Januario allata, scilicet censum esse *personalem*, et proinde non transire ad hæredes. Sed verius *affirmandum* est. Etenim :

1° Census *vitalitius* est ad alimenta et pensionem vitæ; nam pecuniam suam collocans, vult vivere de pensione : ergo æquum est ut pensio currat cum proportione ad vitam quæ sustentari debet, et sustentatur a die constituti census. Ergo Aurelius moriens acquisivit jus ad pensionem pro decem mensibus; porro jus ab eo tunc acquisitum, eo moriente, transit ad hæredes : ergo, etc.

2° Pensio *vitalitia* se habet prorsus ut pensio assignata Clerico pro alimentis et sustentatione vitæ : nam utraque est *personalis* ad sustentationem, et finitur morte pensionarii, nec habetur jus ad eam, nisi elapso anno; atqui pensio Clerici, mortuo pensionario, debetur hæredi pro rata temporis elapsi : ergo...

3° Si censuista *ordinarius* moriatur intra annum, debetur hæredi census pro rata temporis præteriti : ergo a pari, etiamsi moriatur censuista *vitalitius;* nam hæc est tantum differentia inter hos census, quod in priore jus remaneat hæredi ad sortem, in posteriori nullum jus ad sortem supersit, mortuo censuista. Ergo censuista *vitalitius* non debet esse deterioris conditionis, quam censuista *ordinarius*. Ergo in utroque casu pensio habet eamdem temporis divisionem; ergo in utroque casu pensio currit, et obvenit censuistæ temporis lapsu. Ergo Januarius *pro rata* temporis præ-

teriti, pensionem hæredibus Aurelii solvere debet. — *Lacroix, n.* 1023. — *Molina,* etc.

1006. — *Resp. ad* 2^um *Quæs. Affirm.* Etenim census *vitalitius* justus et licitus est, dummodo pro quantitate pensionis habeatur ratio ad ætatem et valetudinem censuistæ. Est enim contractus *aleatorius* qui justus est, dummodo servetur æqualitas inter spem lucri et periculum damni. Theologi *communiter* admittunt, pensionem *ordinarie* non posse se extendere ultra 15 pro centum. Ergo Leontia *annosa, et infirmitatibus obruta,* potuit juste accipere 12 pro centum, renuntiando sorti. Est autem casui tribuendum quod adhuc per 30 annos vitam produxerit, dum Anna præmatura morte perempta est. Hujus igitur hæredes cum patientia vetulam sustineant, et promissam pensionem diligenter solvant.

CASUS XIII

DE FIDEJUSSIONE

Jofridus villicationem notabilem a Renato divite gerendam susceperat ea conditione, ut trium millium francorum cautionem præstaret : cum ipse hanc summam non haberet, fratres suos Petrum et Jacobum rogavit, ut pro se fidejubere vellent. Quod ipsi, fratri confidentes, libenter præstiterunt. Verum, successu temporis, Jofridus nedum villicationem industriose gereret, magnas expensas in convivia, in luxum et domus suæ splendorem facere visus est, frustra a fratribus admonitus et correptus. Itaque, cum tempus reddendi rationem villicationis suæ advenisset, *inventus est minus habens,* et quidem sex francorum millibus. Quapropter Renatus hanc summam a duobus Jofridi fratribus repetit. Sed interea infelici casu factum est ut unus ex fratribus, Jacobus scilicet, propriis debitis solvendis impar evaderet.

Hinc :

Quær. 1° *An duo fratres* Jofridi *teneantur pro eo* 6,000 *francorum solvere?*

2° *An unus, deficiente altero, integram cautionem in solidum solvere debeat?*

3° *An uxor, inscio marito, fidejubere queat?*

Solutio :

1007. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* — Fratres Jofridi debitoris non tenentur ad omnia ejus debita loco ipsius persolvenda, sed tantum ad tria millia francorum. Ratio est, quia fidejussor ad illud tantum obligatur, ad quod nomine debitoris se obligavit; atqui fidejussores nostri se solum obligaverunt ad cautionem trium millium francorum, quia Renatus majorem cautionem non postulavit, dum Jofridum in villicationem constituit. Licet igitur Jofridus ipse, contrahendo majora debita, teneatur ad hæc omnia resarcienda, non tamen sequitur quod fidejussores æqualiter teneantur ad totius hujus summæ compensationem, quia ad id nunquam se obligarunt.

1008. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm. per se.* Ratio est, quia, quando plures in eadem causa fidejusserunt, singuli *in solidum* tenentur; singuli enim totum rei periculum in se suscipere censentur, siquidem per modum unius spoponderunt : hinc, si creditor contra unum jam egit, et nihil obtinuit, quia, v. gr., solvere nequit, potest ad alium se convertere, et contra eumdem agere, ut solvat *in solidum*. — *Elbel, n.* 703. — *Lacroix, l.* III, *p.* 2, *n.* 1110.

Dixi *per se*, quia hæc solutio convenire nequit omnibus casibus. Est enim quam maxime attendendum ad modum quo fidejussionis contractus initus est.

1009. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs.* Uxor fidejubere potest de jure naturali, si bona habeat de quibus disponere possit. Quoad jus positivum, attende ad speciales patriæ suæ leges. In Gallia non potest *per se* cautio fieri, quia uxor bonorum administrationem nullam habet, nec absque mariti licentia contrahere potest. Sunt tamen casus in quibus uxor fidejubens teneretur in conscientia respondere, saltem mortuo viro, aut facta bonorum separatione, v. gr., si mutuum enixe petendo pro suo marito, debitis oppresso, non potuerit mutuantem movere ad sibi credendam pecuniam, nisi ea conditione ut, viro deficiente, ipsa rependeret, et reapse rependere promittat. — *Recole dicta de Contractibus in genere, n.* 775.

CASUS XIV

DE PIGNORE

Photinus, dives mercator, Clementi mutuo gratuito 300 francos ad triennium tribuerat, catena aurea in pignus ab eo recepta. Attamen hæc lex constituta fuit, scilicet, ut, si Clemens, elapso triennio, pignus suum non redimeret, liceret Photino illud justo pretio vendere. Triennio elapso Clemens de pignore redimendo altum servat silentium. Photinus per annum adhuc exspectat, et, nec comparente tunc debitore, pignus illud 325 francis vendidit. Tandem adstitit Clemens 300 fr. mutuo acceptos referens, pignusque suum repetens. « Pignus autem venditum est, ait Photinus. — Redde igitur pretii excessum, clamat obstupescens debitor; catena enim mea 350 francis valebat, et solum 300 tibi debebam. — Nihil tibi debeo, reponit creditor; catenam enim tuam nonnisi 325 fr. veniit; quare 25 franci mihi supersunt præter debiti compensationem, quos teneo, per modum census, intuitu quarti anni, quo volvente, pecunia mea invitus carere debui. »

Hinc :

Quær. 1° *An* Photinus *injuste egerit, pignus, non monito* Clemente, *vendendo?*

2° *An, intuitu quarti anni quo pecuniis suis caruit,* 25 *francos retinere potuerit, vel restituere debeat, non quidem* 25, *sed* 50 *francos a* Clemente *repetitos?*

3° *Quid, si nulla facta fuisset mentio de pignore vendendo, et nihilominus a* Photino *venditum fuisset?*

Solutio :

1010. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Non injuste egit PHOTINUS, pignus vendendo justo pretio, ut supponitur, etiam nulla monitione præmissa, saltem in foro interno. Ratio est, quia CLEMENS fuit in mora culpabili, solutionem differendo; nec erat opus admonitione, quia tempore elapso satis CLEMENS admonebatur.

Resp. ad 2^um *Quæs.* 1° PHOTINUS nihil retinere potest vi ipsius mutui, pro quarto anno, quia nulla conventio de hoc præcessit, neque ullam admonitionem debitori fecit; ergo mutuum gratuitum, ut antea, perseverare censetur. Secus vero dicendum foret, si, elapso tertio anno, PHOTINUS debitorem admonuisset, ut vel mutuum restitueret, vel saltem pro eo fenus retribueret; tunc enim contractus novus iniretur, et jam mutuum non esset amplius gratuitum. — 2° Etiam, posita admonitione, PHOTINUS retinere non potuisset 25 francos, sed 15 tantum, scilicet, ratione taxationis legalis, seu fenoris de quinque pro singulis centenis. — 3° PHOTINUS non tenetur restituere nisi ratione pretii ex justa venditione habiti, non vero ratione æstimationis ab ipso debitore factæ, quia pretium a venditore acceptum vere justum supponitur.

1011. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* In hac hypothesi, adhuc PHOTINUS pignus vendere potuisset, sed tantum præmissa seria admonitione. Ratio est, quia mutuans, elapso contractus termino, non tenetur damnum pati, ut debitorem diu exspectet. Quare, si hic serio admonitus non solvat, in culpabili mora reputabitur. — *Elbel, n.* 500.

CASUS XV

DE ASSECURATIONE

1° MENESIPPUS, ex Anglia merces exspectans, timensque ne in mari pereant, scribit ad GRATIANUM, ut earum specialem curam gerat. Rescribens GRATIANUS se offert ad omne periculum in se suscipiendum, si mille francos sibi solvat. Merces autem decem francorum millibus valebant; ipse vero nonnisi quinque millia possidebat. Merces salvæ advectæ sunt, et GRATIANUS mille francos a MENESIPPO recepit.

2° ARMANDUS, pretio cum ANTONIO statuto, suscepit in se rei alicujus transvehendæ periculum. Porro sciebat ille talia esse rerum adjuncta, ut nullum prorsus periculum subesset. Sed ejus astus alia vice retusus fuit. Etenim, cum alterius rei periculum in se, pro statuto pretio, cum eodem ANTONIO suscepisset, libentissime in id consensum dederat ANTONIUS, quippe qui rem illam jam periisse probe noverat.

Hinc :

QUÆR. 1° *Quænam conditiones requirantur ad contractum assecurationis?*

2° *An* GRATIANUS, *in primo casu, mille francos retinere possit, licet ipse omne damnum reparare non potuisset, si merces in itinere periissent?*

3° *An justa fuerit duplex assecuratio inter* ARMANDUM *et* ANTONIUM ?

Solutio :

1012. — *Resp. ad* 1^um *Quæs.* Conditiones in contractu assecurationis sunt : 1° ut pretium sit periculo porportionatum ; 2° ut periculum sit verum et utrique parti æqualiter notum ; 3° ut assecurator habeat unde solvere possit. — *S. Lig. n.* 911.

1013. — *Resp. ad* 2^um *Quæs.* 1° Certum est GRATIANUM graviter peccasse contra justitiam, suscipiendo in se periculum mercium, quæ ex dimidia parte ejus fortunam superabant ; suscepit enim obligationem quam adimplere non poterat, et sic injuste adduxit MENESIPPUM ad stipendium assecurationis promittendum. Noluit enim mercator contrahere et mille francos promittere pro assecuratione, nisi quia certo putavit assecuratorem habere unde pretium mercium solvere posset. — 2° Sed numquid 1,000 francos juste repetere et retinere valet, vel saltem dimidiam illorum partem, vel nihil ? Videtur quod dimidiam partem pretii retinere possit, et nihil amplius, quia in casu naufragii pro dimidia parte damni solvisset, seu totam suam fortunam expendisset : ergo videtur justum, ut dimidiam partem stipendii acquirat. Aliqui dicunt GRATIANUM posse totum pretium retinere, quia in casu infortunii multo plus perdidisset ; alii contra contendunt eum nihil posse servare, quia contractus est nullus, cum dimidiam tantum partem mercium assecurare potuisset. — *Reuter, n.* 260. Hæc de jure naturali. Vide utrum jura locorum privata quidpiam aliud statuant.

1014. — *Resp. ad* 3^um *Quæs.* Injusta fuit utraque assecuratio in secundo casu relato : 1° *Prior* quidem justitia caruit, quia ARMANDUS assecurator sciebat nullum adesse periculum pro merce transvehenda : etenim, si defuit periculum, mercedem accipere non potuit ad rem e periculo salvandam, seu contra periculum assecurandam, cum materia ipsa contractus deficeret. Secus tamen dicendum esset, si assecurator solum ex peritia sua, vel dexteritate, aut singulari industria, vel ob amicos, vel socios, sciat periculum vitare ; quia tunc talis securitas, utpote prorsus extraordinaria et industrialis, est ipsi assecuratori physice vel moraliter propria, et proinde pretio æstimabilis est. — 2° *Posterior* justitiæ adversatur. Ratio est, quia, cum ANTONIUS, rei dominus, sciat eam rem jam periisse, obligationem ad aliquid impossibile, ab assecuratore inscio, petit. Ibi quoque materia contractus prorsus deficit, siquidem res non existens assecurari non potest. Ergo in casu est error *substantialis* et *dolus* dans causam contractui ; ergo assecurator omnino decipitur ; ergo ruit contractus. — *Elbel, n.* 714.

CASUS XVI

HYPOTHECA

1° EUSEBIUS, hæres GASPARIS factus, cum animadvertisset hæreditatem multis debitis gravari, eam acceptare noluit, nisi sub beneficio legalis inventarii, ita ut ultra vires hæreditatis debita solvere cogi non posset. Accepta autem hæreditate, variis creditoribus chirographariis ex integro satisfecit. Postea vero accedenti HILARIO, creditori hypothecario, et debitum repetenti : « Tardius venis, amice, ait, jam exhausta est tota GASPARIS hæ-

reditas in aliis creditoribus debita solvendo. — Pessime egisti, ait Hilarius, mihi creditori *hypothecario* jus prælationis debebatur; itaque propriis bonis respondere debes. »

2° Barberinus et Barberius, creditores Antonii, in omnia ejus bona hypothecam acceperant; Florus et Florinus tantum chirographum, debiti sui probandi gratia, tenebant. Mortuo Antonio, Philo ejus hæres institutus, ignota debitorum quantitate, seclusoque inventario, adit hæreditatem. Accedunt statim duo creditores hypothecarii, solutionem debitorum repetentes. Sed, exhausta jam tota hæreditate, non plenam adhuc obtinent satisfactionem. Hinc debita superflua, jure prælationis, ante creditores chirographarios ex bonis hæredis propriis sibi persolvi postulant.

Hinc :

Quær. 1° *An* Eusebius, *in primo casu,* Hilario *ex propriis bonis satisfacere debeat?*

2° *An hæredes hypothecarii, in secundo casu, sint aliis jure potiores, non solum quoad bona defuncti hypothecarii, sed etiam quoad bona hæredis?*

3° *An hæres, omisso inventario, teneatur ex propriis bonis creditoribus satisfacere, etiam in foro conscientiæ?*

Solutio :

1015. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Eusebius ab initio prudenter egerat, hæreditatem Gasparis sub beneficio tantum inventarii legalis acceptando, ne forte ad debita ultra vires hæreditatis solvenda cogeretur. Sed quare vir ille prudens ac solers adeo tardus ocius evasit, ut creditoribus primum obviis satisfaceret, quin inquireret num alii creditores potiores, seu *privilegiati,* vel *hypothecarii,* forte adessent? Nunc igitur quomodo Hilarii argumentis respondebit? Hujusmodi argumenta non verbis sed nummis solvuntur. Ergo ex bonis propriis huic creditori hypothecario satisfacere debet, cum *jus strictum prælationis* habuerit, saltem in foro externo. In foro autem interno non erit urgendus, si reapse culpa gravi theologica caruerit.

1016. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* Hæredes hypothecarii non sunt aliis creditoribus jure potiores, nisi ratione hypothecæ. Ergo, exhausta hæreditate quæ hypotheca gravatur, jure prælationis non amplius potiuntur, quia jam periit privilegii titulus. Ergo haud secus ac alii creditores habendi sunt.

Resp. ad 3^um^ *Quæs.* Hæres qui, omisso legali inventario, adiit hæreditatem, tenetur quidem in foro externo solvere debita testatoris ex propriis bonis, si hæreditas accepta non sufficiat. *Probabilius* vero ad hoc in foro conscientiæ non tenetur, quia obligari nequit de jure naturali ad solvenda debita testatoris, nisi in quantum beneficium ab eo accepit. Ergo, si debita vires hæreditatis superent, ea exhausta, ad nihil amplius tenetur. — *V. Comp. n.* 823 *et* 939.

CASUS XVII

SPONSIO 1°

Nicon novit tres dari candidatos ad aliquod officium, nec dari plures, et proinde unum e tribus eligendum esse, remanente tamen dubio de singulis. Quid tunc Nicon? Spondet cum singulis pro 10 francis, quod nullus aliorum sit officium istud consecuturus. Stante casu, Nicon certus est se lucraturum esse præmium cum duobus, licet cum uno sit perditurus, adeoque certus est de lucro viginti fr., dum decem fr. tantum amissurus est. Existimat se posse sponsionem inire, quia de nullo seorsim spectato certitudinem habet. Postea tamen anxius quærit utrum hujusmodi sponsio justa fuerit?

Hinc :

Quær. *An* Nicon, *prout in casu, certare potuerit, et lucrum obtentum retinere valeat?*

Solutio :

1017. — *Resp. ad Quæs. Affirm.*, saltem *probabiliter*. Ratio est, quia, hic sunt tres contractus et singuli seorsim justi, stante dubio quoad singulos; contractus autem illi seorsim spectari debent. Etenim unus contractus diversa ratione se habet ad alium, et Nicon in singulis contractibus verum subit perdendi periculum, siquidem cum singulis certantibus dubius est de eventu. Ergo, sicut potest cum certante quolibet perdere, potest etiam cum quolibet lucrari. Præterea singuli contractus, seorsim spectati, essent liciti: ergo etiam, simul habiti, liciti sunt, quia unus non impedit æquitatem alterius, neque ostendi potest cujus e tribus contrahentibus jus læderetur. — *Reuter, n.* 261. — *Lacroix, l.* 2, *part.* 3, *n.* 1070, contra *Lessium* et *alios*, qui dicunt contractum sponsionis in hoc casu esse injustum ex parte Niconis, propter inæqualitatem inter spem lucri et periculum sortis.

CASUS XVIII

SPONSIO 2°

Polianus, tempore belli, narrat quamdam civitatem fuisse ab hostibus captam, idque probat ex litteris cujusdam amici sui, sibi fidelissimi. Lucas id audiens assertum negat, et velut meram fabulam habendam esse existimat, contenditque etiam ex litteris acceptis civitatem illam ne quidem ab hostili exercitu cinctam esse, imo nullum militem ad eam pervenisse. Factum confirmat Polianus, negat vice sua Lucas ; producitur hinc et inde contentio et disputatio. Tandem contendentes ad sponsionem deveniunt, ut litem inter se exortam dirimant. « Spondeo, clamat Polianus, pro decem francis civitatem ab hostibus fuisse captam. — Et ego, reponit reboando Lucas, spondeo illam ne cinctam quidem esse; et, nisi verum affirmavero,

tibi quindecim francos erogabo. » Sponsione hac coram pluribus testibus facta, ad rei veritatem detegendam deventum fuit; quid vero compertum est? Civitatem, tempore sponsionis factæ, fuisse quidem ab hostibus obsidione cinctam, nondum tamen devictam neque captam.

Hinc :

Quær. *Quid sentiendum de sponsione, vel ad quid teneantur sponsores, cum neuter veritatem assecutus fuerit; seu, an uterque ad solvendum obligetur, aut nullus obligatione teneatur?*

Solutio :

1018. — *Resp. ad Quæs.* Uterque *in rigore juris* tenetur solvere id quod alteri promisit : scilicet, prior tenetur decem francos, et posterior quindecim adversario erogare. Ratio hujus decisionis facile patet : etenim Polianus spopondit se perditurum decem francos, nisi civitas jam esset ab hostibus capta, et Lucas spopondit quindecim francos, si eadem civitas esset jam ab hostili exercitu circumdata; atqui, tempore sponsionis factæ, civitas illa fuit quidem ab hostibus circumdata, sed nondum capta : ergo uterque certans erravit; ergo uterque alteri id quod promisit solvere debet. Ergo Polianus Lucæ decem francos, et Lucas vice sua quindecim adversario tribuere debet. Ratio præcipua hujus decisionis ex hoc desumitur, quod omnis contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum ; atqui Polianus spopondit se daturum esse decem francos Lucæ, si urbs prædicta non esset capta ab hostibus; e contrario Lucas spopondit se daturum esse Poliano quindecim francos, si eadem civitas foret saltem hostili obsidione cincta : ergo, cum tempore sponsionis hæc civitas fuerit quidem cincta, nondum tamen capta, comperta rei veritate, promissio conditionata transit in absolutam; ergo quisque promissum suum adimplere debet. — *Elbel, n.* 638.

1019. — Dixi : *in rigore juris;* nam secus dicendum foret, si talis sponsio non censeatur facta serio, sed joci causa prout in praxi sæpissime fieri solet, præsertim inter amicos et familiares, qui advertendo nec unum nec alterum attigisse veritatem, totum contractum sponsionis cum risu solvere solent; aut si serio intenderant spondere, postea animadvertentes se errasse a veritate, ita ut neuter eam attigerit, sponte ceduut, et obligationem sibi remittunt. — *Elbel, n.* 639.

CASUS XIX

SPONSIO 3o

Mirocles contendit cum Mario se cursu velociorem esse. Vice sua, Marius asserit se victoriam esse consecuturum, si res probetur. Igitur sponsio hinc et inde committitur, et decem franci ex utraque parte victori promittuntur. Verum postea Mirocles recusat experimentum facere. Marius proinde victoriæ præmium reclamat; sed surdo canit. Negat Mirocles illum jus ad lucrum habere, cum certamen commissum non fuerit.

Hinc :

QUÆR. *An* MIROCLES *decem francos, aut saltem aliquid adversario solvere teneatur?*

Solutio :

1020. — *Resp. ad Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, inito contractu, MIROCLES tenetur ad periculum subeundum, vel ad satisfaciendum MARIO, saltem secundum spem lucri quam habebat. Etenim MIROCLES non stat in contractu oneroso, cujus obligationem suscepit. Quodnam enim fuit contractus objectum? Victoria cursu referenda. Porro qui contraxit cursu vincere, eo ipso promisit se cursurum.

Attamen, cum spes lucri non tanti æstimari soleat a prudentibus quanti lucrum in re, satisfaciendum est *pro rata* spei duntaxat, juxta arbitrium viri prudentis. — *Lacroix, l.* 3, *part.* 2, *n.* 1071. — *Elbel, n.* 640. — *Azor.* — *Bonacina,* etc.

CASUS XX

DE LUDO 1°

1° QUIRINUS, aleis ludendo cum LAZARO, sortem sibi adversam expertus est. Completo autem ludo, solvere pecuniam promissam abnuit, dicens se non habuisse intentionem aliquid solvendi. Igitur lis inter utrumque inducitur.

2° PIBERTUS ludo se committens cum OCTAVIO, filiofamilias *minori,* una die 20 francos amittit; altero vero die adversarium sollicitat ad ludum iterandum, et hac vice 40 fr. lucratus est.

Hinc :

QUÆR. 1° *An* QUIRINUS *teneatur solvere pecuniam quam perdidit, licet animum solvendi non habuerit?*

2° *An* PIBERTUS *retinere possit lucrum quod percepit, cum* OCTAVIO *ludendo?*

Solutio :

1021. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, licet QUIRINUS non habuerit intentionem se obligandi, solvere tamen tenetur vi contractus innominati, qui dicitur : *Do, ut des.* Etenim LAZARUS supponitur vere voluisse pecuniam suam dare in casu quo superaretur; QUIRINUS vero non potuit pecuniam vel promissionem pecuniæ acceptare, nisi simul vellet rependere in casu quo vinceretur. Et revera, si QUIRINUS non habuit animum solvendi, decepit adversarium fraude utendo; *fraus* autem *nemini patrocinari debet.* Ergo tenetur solvere in pœnam simulationis; contractus enim ille est onerosus, et LAZARUS non censetur consensisse in ludum, nisi altera pars etiam consentiret. Itaque uterque debet eodem modo esse paratus ad admittendam rem ludo expositam. — *Elbel, n.* 636. — *Lessius.* — *Sporer,* etc.

1022. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* 1° PIBERTUS retinere potest 20 fr. primo die amissos. Ratio est, quia sicut pridie eos recuperare poterat ludum prosequendo, sic eos in novo ludo recuperatos retinere potest. Cum enim ex ipso PIBERTI consensu OCTAVIUS, filiusfamilias, pecuniæ hujus dominium acquisiverit vi ludi, potest hic eadem ratione, vi novi ludi, pecuniæ lucratæ dominium in PIBERTUM transferre.

2° Quoad alios 20 fr., attendenda est qualitas illius filiifamilias. Si enim merito judicetur filium hunc ex præsumpto patris consensu habere hujus pecuniæ plenam dispositionem, PIBERTUS sane eam retinere potest. Si vero non levis adsit suspicio quod is pecuniæ excessus per furtum a paterna domo sublatus sit, vel contra justam voluntatem patris ludo exponatur, tunc restituendus erit domino, seu patri, utpote res quam filius alienare non potuit. — *Ita auctor anonym. casuum Bononiæ editorum.*

CASUS XXI

DE LUDO 2°

LEOFRIDUS, lusui supra modum deditus, nuper haud exiguam summam ludendo cum GERMANO perdiderat. Altero die collusorem suum conveniens, ab eo petit ut ludum pridie cœptum continuaret, ut perditam pecuniam recuperare posset. Diu reluctavit GERMANUS; sed verbis asperis adversarii, necnon timore infamiæ et notæ tenacitatis nimiæ compulsus, tandem licet invitus admodum, consensit. Verum miser adeo adversam expertus est sortem, ut non solum pecuniam pridie acquisitam, sed insuper 100 aureos perdiderit, non sine magno familiæ suæ detrimento.

Hinc :

QUÆR. 1° *An ludus ille fuerit validus, ita ut* LEOFRIDUS 100 *aureos in eo acquisitos servare queat?*

2° *An* GERMANUS *eam pecuniam in conscientia solvere deberet, si non statim collusori tradidisset?*

3° *Quid, si* LEOFRIDUS *minis gravibus* GERMANUM *ad ludendum impulisset?*

4° *An sit validus ludus, si magna pecuniæ summa eadem vice exponatur?*

Solutio :

1023. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Ludus ille validus videtur. Ratio est, quia licet GERMANUS aliquatenus invitus secunda vice luserit, moraliter tamen loquendo, liber remansit. Consuetudine enim receptum est, ut victus soleat adversarium enixe sollicitare ad ludum iterandum, etiam ignaviam objiciendo, si primum non consentiat. Sed in his metus gravis incuti non censetur. Ergo GERMANUS libertate morali non fuit destitutus. Ergo ludus censetur validus; ergo LEOFRIDUS lucrum ex ludo perceptum absque injustitia retinere potest. — *S. Lig. n.* 880.

1024. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* GERMANUS victus tenetur in conscientia sol-

vere pecuniam in ludo perditam. Ratio fluit ex modo dictis. Etenim, Leofridus, provocando adversarium ad ludum iterandum, injuriam, saltem gravem, non ei fecit, licet hic invitus luserit, sicut invitus ludit ille qui importunis precibus sollicitatur ad ludendum, et nihilominus solvere debet. Ergo, si Germanus non adhuc solvit, nihilominus solvere debet.

1025. — *Resp. ad 3^um Quæs.* Germanus solvere non tenetur. Etenim, si victus, minis gravibus, fraude aut conviciis graviter probrosis ad ludendum coactus fuerit, non tenetur ad solvendum id quod perdidit, quia ludus ille est invalidus. Proinde injustus coactor lucrum illud accipere vel retinere non potest. Etenim cogens injuriam alteri intulit; ergo eam reparare debet, quod facere nequit, nisi lucrum recuset, vel restituat.

Objicies : 1° Metus gravis, juxta communiorem sententiam, contractum onerosum non invalidat; atqui ludus est contractus onerosus. Ergo victor in ludo, probabiliter saltem, a restitutione excusandus est, licet metu gravi alium ad ludendum induxerit.

Resp. Quamvis ludus sit contractus onerosus, ab aliis omnino dissimilis est : 1° quia nullus contractus majori indiget libertate quam ludus, ex natura ad animi relaxationem institutus; 2° quia in aliis contractibus compensatio semper datur in pretio justo, vel in æquivalenti; dum ludens metu coactus et perdens, omni prorsus compensatione, et proin omni solatio destituitur. — *Pontas, verbo* Jeu, *cas.* 8, *post. S. Thom.*

Objicies : 2° Si quis ad ludendum coactus, quantumvis injuste, aliquid lucretur, illud juste servare potest; ergo a pari, solvere debet id quod perdidit : nam ludentium conditio par esse debet ac obligatio.

Rep. Neg. conseq. et paritatem, quia ludus ex parte coacti est justus, hic enim nullam injuriam infert alteri, neque ludendo, neque lucrando : e contrario, ex parte cogentis adversarii, ludus est injustus, cum injuria gravis ab illo in socium inferatur. Quando autem dicitur quod ludentium par esse debet conditio, id intelligendum est de paritate in legibus servandis, et jure lucrandi vel perdendi; et hoc currit quando uterque voluntarie et sponte ludit, non vero de casu ubi unus voluntarie, et alter injuste coactus ludit. — *Elbel, n.* 632 *et seq.* — *Lacroix.* — *Lessius.*

1026. — *Resp. ad 4^um Quæs. Affirm. per se,* probabilius, quia ludentes æque periculum scientes et volentes subeunt. Sed talis ludus, si non sit contra justitiam, honestati saltem repugnat. *Negant* tamen plures esse validum hujusmodi ludum, quia ob prodigalitatem, et alia incommoda quæ inde sequuntur, bonis moribus repugnat, ideoque juri naturæ adversatur. — *V. Comp. n.* 949.

CASUS XXII

DE LUDO 3°

Lucas, ludendi cupidissimus, sed mediocriter tantum in arte ludendi industrius, Sylvium, quem noverat peritissimum rogavit ut secum ludere vellet, notabili pecunia hinc et inde exposita. Hic vero assentire noluit, illicitum et probrosum reputans quæstum in tam dispari discrimine habitum. « Si autem animos recreare juvat, ait, ludamus, amice, unico victo-

riæ præmio proposito honore, vel ludamus sacris precibus a victo victori applicandis. » Verum non acquiescente Luca, imo magis ac magis urgente, tandem ejus votis obtemperavit Sylvius. Lusit itaque, primum rebus sibi faustissime succedentibus. At postea ludendi tædio affectus, adeo inattentum se exhibuit, ut in punctis numerandis sæpius deficeret, et sic socio commodum inscius tribueret. Lucas, re tacitus considerata, dissimulavit. Quare factum est, ut adversarium superando, multam pecuniam ab ipso obtineret.

Hinc :

Quær. 1° *An nefas sit ludere sacris precibus pro victore applicandis?*

2° *An* Sylvius, *in dispari certamine, potuerit suam facere pecuniam quam lucratus est, attentis quæ in casu?*

3° *An* Lucas *injuste egerit errores adversarii in punctis numerandis dissimulando, et an proinde restituere teneatur ?*

Solutio :

1027. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Minime gentium. Attamen pusilli plures id prohibent, quia, aiunt, res sacræ non sunt ludis admiscendæ. Ad eorum ratiunculam respondetur : Est modus in rebus..., seu *res piæ non sunt ludis admiscendæ cum eorum contemptu, conc.;* secus, *neg.* Atqui nullo contemptu afficiuntur preces quæ, perfecto ludo, a victis pro victoribus pie persolvuntur; ergo inaniter pusilli inde scandalum accipiunt. Utinam alius abusus in ludo non irreperet unquam ! — *S. Lig. n.* 882.

1028. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Affirm.* Ratio est, quia, licet ordinarie ille qui est in ludo peritissimus ludere nequeat cum imperito, ob æqualitatis defectum, attamen in casu nostro minime inquietandus est Sylvius, eo quod ab initio ludo obstitit, allegata disparitate, et proinde sufficienter adversarium præmonuit. Si igitur hic pertinaciter prælium committere voluerit, damnum subsequens sibi tribuere debet, quia minime deceptus fuit. — *Antoine, de Contr. c.* 11, etc.

1029. — *Resp. ad* 3^um^ *Quæs. Neg.* Ratio est, quia quisque suas partes agere tantum tenetur; proinde ludens qui advertit adversarium suum errare in calculandis, vel numerandis signis, culpa vacat, si eum non moneat, siquidem nullam fraudem in hoc admittit, nec socium decipit, sed hic, ipse sua negligentia, vel distractione decipitur. Igitur detrimentum illud in pœnam suæ negligentiæ subire debet. Hoc insuper consuetudine communi receptum videtur. — *Lacroix, n.* 1084. — *Elbel, n.* 624, etc. — Cæterum attende ad specialem loci tui consuetudinem.

CASUS XXIII

DE LUDO 4°

Pro puncto Martinus *asinum perdidit.*

Martinus, rusticus, minime stolidus, asino insidens, in civitatem venit, ad negotia quædam peragenda. Cum in hospitium divertisset, ibi reperit

alios peregrinos ludo incumbentes. A Bernardo rogatus ut secum colluderet, libenter annuit, sciens se in arte ludendi non imperitum esse. Primum quidem res ei succedit; sed subinde sortem adeo adversam expertus est ut pecuniam suam totam amitteret. Quid igitur faciet miser? Spe motus recuperandæ pecuniæ, statuit ludum prosequi. Cum autem nihil aliud præter asinum haberet, ipsum ludo exponit. Acerrime dimicant hinc et inde lusores, sorte æqualiter utrique favente. Certaminis exitum attenti exspectant circumstantes. Ecce ultima vice prodeunt chartæ! Sed heu! mox advertit Martinus lugens se ab adversario *ex uno puncto* superatum esse, adeoque in his adjunctis applicatum fuisse adagium : *Pro uno puncto* Martinus *asinum perdidit.* (*Pour un point* Martin *perdit son âne.*) — Itaque pedester et tristis domum repetit, lamenta uxoris auditurus.

Verum, quænam difficultas in casu? nulla foret, nisi Bernardus inter ludendum, dum Martinus negligens esset in celandis chartis, semel eas furtim conspexisset.

Hinc :

Quær. 1° *An* Bernardus *ad asinum restituendum teneatur?*
2° *Ad quid teneretur, si, supposita cognitione chartarum fraudulenta, dubitet an victoria ex fraude provenerit?*

Solutio :

1030. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs. Neg.*, si adverterit ad chartas adversarii ex mera ejus negligentia, et non didicerit antea eas cognoscere, nec ullo signo eas notaverit. Ratio est, quia hæc chartarum inspectio et cognitio, sine malis artibus parta, non habetur ut fraus, sed ut industria, communi ludentium usu approbata; adeoque hæc contractum non vitiant. Idem dicendum est, si ludens chartas alterius discat nosse a tergo inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat. Secus vero si ita se collocet ut eas videre possit, vel si aliquem constituat a quo admoneatur. — *Lugo*, — *Sanchez*, — *Busembaum*, apud *S. Lig. n.* 882. — *Et Hom. ap. tr.* 10, *n.* 216, ubi sic ait : « Si lusor fraudibus injustis utitur, v. gr. signis notando chartas, aut mutando talos, etc., debet restituere lucrum, et etiam « quanti valebat alteri spes lucrandi. Dictum est *fraudibus injustis*, nam « licet uti iis astutiis quas regulæ lusus et consuetudo ferunt, ut aspicere « chartas quas alter ex sua negligentia conspici facit, aut si dignoscat « chartas, quæ exterius ob aliquod casuale signum ex se ipsis dignosci « possunt. »

1031. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs.* In hac hypothesi victor non posset totum lucrum retinere, neque teneretur totum restituere, sed partem adversario tribuere deberet *pro rata* spei quam habuisset ille victoriam obtinendi; seu ei dare debet tantum quanti valebat spes victoriæ, quam ille, cessante fraude, habuisset. Spes enim illa, qua victus per fraudem privatus est, aliquo pretio digna erat. — *S. Lig. n.* 882.

CASUS XXIV

DE LUDO 5°

Astus astu captus.

Albinus, imberbis, e Vasconia oriundus, Lutetiam petierat, pinguem avunculi hæreditatem collecturus. Hospitium quoddam simul ac tres Græci, ingreditur. Isti inter confabulandum, cognita ejus itineris causa, ipsius inhiant hæreditati, et, inito inter se consilio, modum excogitant quo inter hæredes adnumerari valeant. Cum in arte ludendi essent peritissimi, Albinum ad istud oblectamenti genus inducunt. Annuit quidem ipse, fide bona, nullam fraudem in viris ignotis suspicatus; sed, urgente negotio quodam, eos rogavit ut ad aliud tempus ludus remitteretur. Græci priores in locum statutum convenerunt, parati ad imberbem juvenem comiter accipiendum, ut subinde illum suis retibus capiant. Itaque inter se statuunt ut a ludi exordio sinant eum 100 aureos lucrari, ut sic ludo adhæreat, et contra adversam sortem erigatur. Hujusmodi consilium sane plenam efficaciam fuisset sortitum, nisi Vasco qui, insciis sociis, jam advenerat, rem totam e vicino cubiculo comperisset : quamobrem et ipse solus secum inivit consilium, et, mora aliqua protracta, Græcos adiens, cum eis ludi sortem tentat, et brevi tempore 100 aureos lucratur. Tunc ecce a famulo suo, rite edocto, ad aliquod breve negotium advocatur. Surgens ocius Vasco : « Hic exspectate, ait sociis, dum rediero. » Egressus autem foras, aliud hospitium petiit.

Hinc :

Quær. 1° *An* Albinus *injuste in ludo egerit?*

2° *An Græci lucrum justum fecissent, si Vasco, ludum protrahens, magnam pecuniæ summam perdidisset?*

Solutio :

1032. — *Resp. ad* 1^um^ *Quæs.* Accedamus ad casum Albini solvendum. Quid igitur de imberbi Vascone sentiendum? Si calliditatis lauream, cum ipsis Græcis decertando, retulerit, nonne fraudis turpitudinem et pœnam etiam reportabit? Nequaquam. Lubens ego callido adolescenti patrocinabor. Quidni tu quoque? Quare enim inquietandus foret, plane non video. Si injuste egit, id fecit vel 100 aureos lucrando et retinendo, vel e ludo recedendo. Atqui neutrum dici potest : 1° Non fuit injustus lucrum faciendo; leges enim justitiæ inter ludendum omnino servavit, seclusa prorsus omni fraude. Neque inviti fuerunt adversarii, imo libentissime pecuniam suam ipsi tribuerunt. Ergo nihil defuit ad legitimam dominii translationem. Ergo Albinus juste lucrum illud suum fecit. 2° Neque fuit injustus e ludo discedendo, nullo enim pacto ad ludum prosequendum adstringebatur. Ergo jure suo usus est. Ergo deceptionem suam Græci sibi tantum imputare debent. — *Dices : Fraus sua nemini debet patrocinari;* atqui Albinus

fraudulenter egit, siquidem id quod futurum esset cognovit. — *Dist. Casu* cognovit, conc.; *fraude*, neg. Licet autem uti notitia, naturaliter, sine fraude cognita; ergo jure suo usus est. Ergo non est inquietandus; ergo Græci justam pœnam malitiæ suæ consecuti sunt.

1033. — *Resp. ad* 2^um^ *Quæs. Neg.* cum sententia communi, contra nonnullos. Ratio est, quia in hoc ludo defuisset æqualitas inter ludentes ex æquitate naturali requisita, cum Græci multo peritiores in arte ludendi juvene Vascone fuerint, et de victoria futura moralem certitudinem habuerint. Etenim, in hoc contractu vere *oneroso*, emitur spes lucrandi periculo perdendi; ideo requiritur æqualitas inter spem et periculum. Excipiunt plures *probabiliter* cum *Lacroix*, *l.* 3, *part.* 2, *n.* 1069, si ludens sciat adversarium esse multo peritiorem, et nihilominus se committere velit cum illo, quia *scienti et volenti non fit injuria*. Igitur, si iste vincitur, damnum suæ temeritati tribuere debet. Quamdiu vero singuli ludentes ignorant excessum notabilem peritiæ adversarii, lucrum est justum, etiam in peritiore, quia uterque tunc se exponit periculo perdendi, et sic contractus est ex utraque parte æqualis. — *Antoine, de Contr. c.* 11.

In nostro autem casu Græci sunt in ludo versatissimi et se committunt cum juvene, astuto quidem, sed in arte ludendi imperito : ergo de futura victoria sunt moraliter certi; ergo deest æqualitas inter ludentes requisita : ergo, in hac hypothesi, Græci injustitiæ in materia gravi rei forent; ergo ad restitutionem tenerentur.

NOTANDA

VERSIO GALLICA CASUS XVII

DE VENDITIONE

(*Du Report*). *A n.* 946 *et seq.*

Cornélius, agent de change, a acheté pour son client, au prix de 7,000 fr., une rente de 300 fr. (une rente 3 % à 70 fr.) livrable et payable quinze jours après. Il savait bien, en achetant, que son client n'avait pas à sa disposition les 7,000 fr. promis, mais il pensait qu'au jour de la livraison et du payement, la valeur de la rente achetée serait non plus seulement de 7,000 fr., mais de 7,060 fr. Il devait donc être facile à son client de payer le prix d'achat et de faire en outre un bénéfice de 60 fr. Mais au jour de l'échéance, la valeur de la rente a diminué au lieu d'augmenter, et elle ne peut plus être vendue que 6,950 fr. (c'est-à-dire que la rente 3 %, achetée à 70 fr., est descendue à 69 fr. 50). Voici donc son embarras : s'il ne vend, son client n'aura pas de quoi payer; et s'il vend, il lui fait subir une perte de 50 fr.: que fera-t-il donc? Il déclare aux agents de change réunis à la bourse qu'il voudrait reporter l'opération à quinzaine... « J'y consens, dit Caius (autre agent de change), mon client est prêt à vous faire l'office de reporteur; vendez-lui aujourd'hui à 6,950 fr., à la condition qu'il revendra immédiatement à votre client au prix de 7,050 fr., payables dans quinzaine. — Traitez plutôt, dit Sempronius, avec mon client, qui revendra à 7,040 fr. — Mais, dit Lélius, traitez plutôt avec le mien, qui revendra à 7,030 fr. — Bien, dit Cornélius, prévoyant que dans quinzaine la rente dont il s'agit vaudra 7,060 fr. Je conclurai, dit-il, le marché avec le client de Lélius, et, bien que mon client lui rachète la rente 80 fr. plus cher qu'il ne la vend, il pourra néanmoins, au bout de quinze jours, gagner 30 fr., en vendant 7,060 fr. ce qu'il payera 7,030 fr. » Le marché est donc conclu.

Question :

On demande si le client de Lélius *doit être considéré comme usurier pour avoir perçu en* 15 *jours* 80 *fr. pour* 6,950 *fr.*

Solution :

1034. — Je réponds *affirmativement* dans le cas où les contractants ont une intention usuraire; c'est-à-dire dans le cas où Lélius se proposerait uniquement de retirer, sous le prétexte et l'apparence d'un achat suivi de revente, un gain considérable de l'argent compté à Cornélius; tandis que de son côté Cornélius n'aurait d'autre but que de se procurer l'argent dont il a besoin pour conserver son titre, sans avoir en aucune manière la volonté de le vendre. Il y aurait alors évidemment usure palliée.

1035. — Mais si, laissant de côté l'intention des contractants, on examine l'opération du report en elle-même, la question devient plus douteuse, et les sentiments des Théologiens sont partagés. — Une première opinion plus communément admise, et qui paraît plus probable, condamne l'opération comme usuraire. Voici les raisons sur lesquelles elle s'appuie : 1° Ces ventes de titres, faites avec convention obligatoire de revente immédiate, semblent entièrement fictives; elles excluent par elles-mêmes l'intention réelle de transférer la propriété, elles ne peuvent donc servir qu'à pallier un contrat de prêt entaché d'usure. 2° Le contrat appelé *Mohatra* se compose essentiellement de deux ventes successives d'une seule et même chose, dont l'une est faite à crédit et au prix supérieur, l'autre au comptant et à un prix inférieur; ce qui donne au vendeur à crédit le moyen, s'il rachète lui-même au comptant la chose vendue, de se procurer un gain égal à l'excès du prix supérieur sur le prix inférieur. Les Théologiens ne regardent point communément ce contrat comme usuraire, tant que les ventes ont lieu entre personnes différentes, ou qu'étant faites avec la même personne, elles demeurent libres et indépendantes l'une de l'autre, sans aucun pacte de revente; mais ils sont unanimes à le

réprouver, si ce pacte intervient : le pape Innocent XI a même condamné la proposition suivante : *Le contrat* Mohatra *est permis, lors même qu'il est fait avec la même personne, avec pacte préalable de revente, et intention de gain.* Or, dans l'opération du report, nous trouvons précisément ces deux ventes faites avec la même personne, et accompagnées de pacte : comment ne pas admettre qu'elle est frappée, au même titre que le *Mohatra,* par les censures pontificales? 3° Les hommes versés dans ces sortes d'affaires affirment généralement que le report, tel au moins qu'il est pratiqué à la Bourse et par les banquiers, n'est en aucune façon, pour ceux qui l'exercent, une vente sérieuse de titres, mais qu'il se réduit à une opération ayant pour but unique le gain par la prestation de l'argent.

Une seconde opinion néanmoins admet que le report considéré en lui-même est licite. En effet, disent ses défenseurs : 1° Aucune des deux ventes dont il se compose n'est fictive, malgré le pacte qui les lie et les subordonne l'une à l'autre; bien au contraire, elles sont tout à fait sérieuses de la part des deux contractants. 2° L'obligation de revendre est imposée ici au reporteur, c'est-à-dire, non point, comme dans le *Mohatra,* à celui qui subit un dommage par suite de l'opération, mais à celui qui en retire, au moins immédiatement, un gain et un profit. Ce gain peut donc être considéré comme une compensation de la nécessité où se trouvera le reporteur de rendre le titre; et cette manière de voir est d'autant plus fondée, qu'il s'agit dans l'espèce de valeurs essentiellement variables, sujettes à la hausse et à la baisse, et sur lesquelles par conséquent on peut toujours appuyer une espérance de chances favorables. Ils ajoutent, en troisième lieu, qu'on doit tenir pour légitimes des opérations sans lesquelles il serait presque impossible d'expédier promptement et facilement les affaires de Bourse, principalement lorsque ces opérations se font, comme il arrive dans le cas présent, sous les yeux et avec l'approbation tacite de l'autorité publique, gardienne et interprète des lois.

1036. — Ce dernier sentiment, surtout à cause de la seconde raison sur laquelle on l'appuie, sera peut-être accepté assez généralement comme probable. Aussi, quoique la première opinion nous paraisse établie sur des fondements plus solides, nous ne pensons pas que l'on doive absolument condamner ceux qui se livrent à cette sorte d'opération, pourvu toutefois qu'ils en excluent toute intention usuraire, et n'excèdent point, dans le gain qu'ils en retirent, les limites d'une juste compensation, ainsi que nous l'avons expliqué.

On ne peut nier cependant que le danger d'usure ne soit beaucoup plus grand pour ceux qui, en pratiquant le report, se proposent uniquement, comme il arrive presque toujours, de faire valoir l'argent qu'ils ont en caisse, et d'en obtenir par un acte de commerce quelconque le plus grand profit possible.

VERSIO GALLICA CASUS IX

DE NEGOTIATIONE PECUNIÆ

(*Compte courant*). *A n.* 992 *et seq.*

Onuphrius cherche un moyen de se procurer aisément l'argent dont il a quelquefois besoin, et de trouver un placement facile des sommes qu'il lui arrive de recevoir; il va trouver Argyrophilus, banquier, et lui fait la proposition suivante : « Voulez-vous vous obliger, par contrat, à recevoir toutes les sommes que je vous apporterai, avec charge de m'en payer l'intérêt légitime, et vous obliger, en outre, à me fournir toutes les sommes que je vous demanderai, avec pareille charge de ma part de payer l'intérêt légitime? — Très bien, répond Argyrophilus; et, si vous voulez bien, à chaque trimestre nous établirons la balance de ce qui aura été fourni de part et d'autre, en sorte que celui qui sera débiteur d'un solde le paye ou *demeure débiteur de nouveau,* avec charge de payer à l'avenir l'intérêt des intérêts échus. » La convention est ainsi conclue; mais, à l'expiration du premier trimestre, Argyrophilus remet à Onuphrius l'état *du compte courant,* d'où il résulte que ce dernier a reçu 4,200 fr., et qu'il a versé 700 fr. Onuphrius remarque, en outre : 1° que les sommes par lui reçues d'Argyrophilus ont produit 6 %, tandis que celles qu'il a versées ont produit seulement 5 %; 2° que, sur la somme de 700 fr., Argyrophilus ne fait figurer que pour 292 fr. 80 la lettre de change qu'il a remise à ce banquier, souscrite par un certain Titius, et payable dans une autre ville deux mois après le jour où elle a été remise à Argyrophilus. Ce

dernier est arrivé à ce chiffre en déduisant des 300 fr. 3 fr. pour intérêt de deux mois, 3 fr. pour commission de banque, et 1 fr. 20 pour le change; 3° il s'aperçoit en outre qu'Argyrophilus, en sus de l'intérêt de 6 %, exige 1 % pour commission. Onuphrius ne dit rien pour le moment, mais il ne verse plus rien chez Argyrophilus et ne lui demande plus rien. Cependant, à l'expiration d'un autre trimestre, il reçoit un nouvel état du *compte courant*, d'où il résulte que, outre l'intérêt du solde du précédent compte, Argyrophilus réclame 1 % de commission, et qu'il veut en outre que ces intérêts et cette commission forment avec ledit solde un nouveau capital productif d'intérêts.

On demande :

1° *Si* Argyrophilus *a pu, sur les sommes par lui remises à* Onuphrius, *percevoir* 6 %, *tandis qu'il ne payait que* 5 % *à celui-ci pour les sommes reçues de lui?*

2° *S'il a pu, tenant la convention, rendre les intérêts productifs d'intérêts après chaque trimestre?*

3° *S'il a pu exiger, outre l'intérêt légal, une commission de* 1 % *à raison des sommes remises à* Onuphrius; *et si cette commission a dû être calculée sur l'entière somme de* 4,200 *fr. par lui remise, ou seulement sur les* 3,500 *fr. de différence?*

4° *Si de la somme de* 300 *fr., montant de la lettre de change souscrite par* Titius, *il a pu déduire l'intérêt de deux mois, la commission et le change?*

5° *S'il a pu exiger une nouvelle commission pour le solde du compte du premier trimestre?*

6° *S'il a pu, à l'expiration du second trimestre, rendre les intérêts du solde productifs de nouveaux intérêts, bien qu'il ne soit survenu dans ce trimestre aucune opération nouvelle?*

Solutions :

1037. — *Je réponds à la première question : Négativement;* car il est de la nature de ce contrat que les sommes livrées de part et d'autre puissent se compenser, en ayant seulement égard à la différence des chiffres et de l'époque des diverses remises; or cela ne pourrait se faire, si l'intérêt n'était le même de part et d'autre : cet intérêt, d'après la loi, paraît être de 6 %, puisque ce contrat est commercial. En effet, Argyrophilus reçoit d'Onuphrius des sommes qu'il doit employer à son commerce, et il lui remet des sommes qui, à raison de la profession de ce même Argyrophilus, doivent être considérées comme de vraies marchandises. Et Onuphrius, d'autre part, livre à Argyrophilus des sommes destinées à être employées au commerce de ce dernier, ou afin qu'il lui soit facile de retirer de ce même commerce des sommes destinées à son usage personnel.

1038. — *Je réponds à la deuxième question : Affirmativement.* En effet, la loi qui défend la capitalisation des intérêts, s'il ne s'agit d'intérêts échus au moins pour une année entière, cette loi, dis-je, n'est applicable qu'au prêt. Ici, au contraire, il s'agit d'un contrat où chacune des parties contractantes peut devenir tour à tour créancière et débitrice, et où, par suite, la capitalisation peut profiter à l'une et à l'autre des parties.

1039. — *Je réponds à la troisième question : Affirmativement.* Non seulement une telle commission n'a rien d'usuraire, si elle a été stipulée; mais, en l'absence de toute convention formelle à cet égard, elle serait due par Onuphrius, qui, connaissant la profession d'Argyrophilus, n'a pu ignorer qu'il y avait droit. En effet, pour avoir toujours à sa disposition les sommes qu'Onuphrius lui demande, il faut qu'Argyrophilus exerce une profession laborieuse et pleine de périls, et dont les fatigues et les dangers ne sont pas compensés par le seul intérêt de l'argent. Le droit de *commission* doit, au surplus, être réglé par l'usage des lieux.

1040. — *Je réponds à la quatrième question : Affirmativement,* quant à la commission de banque; car, en recevant la lettre de change comme argent comptant, et prenant à sa charge d'en faire effectuer la rentrée en un autre lieu, il a fait un acte de sa profession et rendu un vrai service à Onuphrius.

Je réponds : Affirmativement aussi *quant au change,* si, d'après le taux du moment, il est réellement de 1 fr. 20 pour 300 fr. (soit 0,40 %) pour la ville où doit s'effectuer le payement. En effet, le banquier ne peut obtenir le remboursement du montant de cette lettre ni même la céder à un autre, qu'il n'ait lui aussi à payer ce même droit; et alors même que par hasard il pourrait s'affranchir de ce payement (comme, par exemple, s'il

recevait dans son propre pays, et du souscripteur lui-même, le montant de la somme due), il aurait encore droit de retenir le montant du change : car de sa nature la lettre de change devrait subir cette diminution, et ce n'est que par une rencontre fortuite ou heureusement ménagée qu'il en est autrement.

Enfin je réponds : Affirmativement quant à l'intérêt ; autrement il perdrait l'intérêt de deux mois dont il fait cependant compte à Onuphrius. Cependant, à la rigueur, il ne pourrait pas retenir l'intérêt de 300 fr., puisque, par les réductions dont il vient d'être parlé, le capital est diminué, de sorte qu'il ne fait compte à Onuphrius que de l'intérêt de 292 fr. 80. Mais il faut remarquer qu'il s'agit ici d'un contrat dans lequel, outre le taux légal, il est dû une *commission*. Si donc cette différence, qui dans le cas actuel est à peu près nulle et le plus souvent sera extrêmement faible; si, dis-je, cette différence, d'après les usages du commerce, n'est pas prise en considération, il faut la considérer comme un supplément des droits de commission.

1041. — *Je réponds à la cinquième question : Négativement.* Le banquier a droit à la commission à raison des soins qu'il est tenu de se donner pour avoir toujours à la disposition d'Onuphrius les sommes que celui-ci lui demande; mais ici il n'y a pas de nouvelles sommes fournies, il ne s'agit que de la *constatation du solde* sur les sommes précédemment fournies. Si donc il exigeait une commission pour ce solde, ce serait deux commissions qu'il aurait perçues pour les mêmes sommes.

Je réponds affirmativement à la sixième question. Car Onuphrius, n'ayant pas déclaré renoncer aux précédentes conventions, elles conservent leurs effets, bien qu'il n'ait pas usé des droits de verser ou de retirer de nouvelles sommes. Cependant Argyrophilus est tenu de l'avertir chaque trois mois et de lui fournir l'état du compte courant, autrement il serait censé avoir renoncé lui-même aux précédentes conventions, et ne pourrait dès lors capitaliser les intérêts.

BALANCE DU COMPTE D'ARGYROPHILUS

1042. 1er TRIMESTRE (*du 1er janvier au 31 mars*).

CRÉDIT

Le 14 février reçu d'Onuphrius la somme de			407 20
Reçu en outre une lettre de change souscrite par un nommé Titius, et payable le 14 avril 300 f. »			
D'où il faut déduire :			292 80
1° L'intérêt jusqu'au payement	3 f. »		
2° La commission (1 %)	3 »	7 20	
3° Le change 0,40 %	1 20		
Totaux des capitaux			700 »
Intérêt pendant 45 jours 5 %.			4 36
Total du crédit			704 36

DÉBIT

Le 15 janvier remis à Onuphrius la somme de	4,200 »
Intérêt pendant 75 jours (6 %).	52 50
Commission (1 %)	42 »
Total du débit	4,294 50
Total du crédit	704 36
Reste dû	3,590 14

1043. 2e TRIMESTRE. (*du 1er avril au 30 juin*).

CRÉDIT

Néant.

DÉBIT

Reste du trimestre précédent dû par Onuphrius	3,590 14
Intérêt pendant 3 mois (6 %).	51 85
Commission (1 %)	35 90
Dû	3,677 89

VERSIO GALLICA CASUS X

DE NEGOTIATIONE PECUNIÆ

(Crédit ouvert). A n. 999 *et seq.*

Chrysophilax, banquier, promet à Simplicius, marchand, de lui prêter de l'argent chaque fois que celui-ci en demandera, jusqu'à concurrence de la somme de 30,000 fr. Ils forment ainsi le contrat appelé *ouverture de crédit*. Au bout de trois mois, Simplicius a déjà reçu 12,000 fr. Chrysophilax l'avertit alors de payer les intérêts échus, et en outre 1 % pour commission, en lui déclarant que, faute par lui d'effectuer le payement, les intérêts de la commission seront capitalisés. A cette prétention, Simplicius répond qu'on ne peut l'obliger à payer les intérêts avant un an écoulé, puisqu'il ne résulte d'aucune convention que ce terme doive être anticipé. A plus forte raison refuse-t-il à Chrysophilax le droit de capitaliser les intérêts après trois mois. Il répond enfin ne devoir aucun droit de *commission*, puisqu'il n'est intervenu et qu'il n'a pu intervenir à cet égard aucune convention, ce prétendu droit n'étant autre chose qu'une perception usuraire. Il ajoute que, pour prévenir toute difficulté ultérieure, il ne veut plus à l'avenir user du crédit ouvert. Chrysophilax répond qu'il est libre à Simplicius de ne plus user du crédit ouvert, mais qu'il ne saurait s'affranchir de l'obligation de payer *l'intérêt des intérêts*, et en outre 300 fr. pour *commission* sur le montant de l'entier *crédit ouvert*.

On demande :

1° *Si* Chrysophilax *a pu capitaliser au bout de trois mois les intérêts des sommes déjà reçues?*

2° *S'il a pu exiger une commission, et cela non seulement pour les* 12,000 *fr. réellement prêtés, mais aussi pour les* 30,000 *fr. promis?*

Solutions :

1044. — *Je réponds négativement à la première question :* car non seulement il n'est intervenu aucune convention à cet égard, mais une telle convention n'a même pas pu intervenir. En effet, bien que les prêts aient été précédés d'un contrat spécial (*l'ouverture du crédit*), néanmoins les sommes remises au débiteur lui ont réellement été remises à titre de prêt; or les intérêts des sommes prêtées ne peuvent être capitalisés que par une convention spéciale, ou par une demande en justice et après une année échue. Et cette année, pour chaque somme, part du jour de la réception. La convention ayant pour objet de capitaliser à un terme plus court serait même frappée de nullité. Il n'en est pas, en effet, du cas présent comme du *compte courant*, où l'une ou l'autre des parties contractantes peut alternativement devenir débitrice ou créancière; mais, l'emprunteur devant nécessairement demeurer débiteur, une telle convention ne servirait qu'à élever l'intérêt au-dessus du taux légal.

1045. — *Je réponds affirmativement à la deuxième question :* Chrysophilax a pu exiger un droit de commission non seulement pour les 12,000 fr. réellement prêtés, mais pour les 30,000 fr. promis. Cette commission, en effet, lui est due non pas à raison du prêt, mais à raison de la promesse qui l'a précédé, et à raison des soins que Chrysophilax a dû se donner en vertu de cette promesse pour avoir toujours à sa disposition la somme de 30,000 fr. destinée à faire face aux demandes que pourrait lui adresser Simplicius. Peu importe que rien n'ait été stipulé touchant ce droit de *commission*, car Simplicius a été suffisamment prévenu par le fait même de la profession de Chrysophilax et les usages du commerce.

VERSIO GALLICA CASUS XI

DE NEGOTIATIONE PECUNIÆ

(Simple prêt dissimulé par le banquier). A n. 1001 *et seq.*

Candidus, marchand, emprunte souvent de l'argent à Vulpinus, et souscrit des billets à ordre pour faire foi de la dette; mais Vulpinus inscrit Candidus sur ses livres, non comme un simple emprunteur, mais comme s'il existait entre eux un *compte courant;* il opère donc de la manière suivante : si, par exemple, Candidus lui emprunte 10,000 fr.

remboursables dans six mois, il lui fait souscrire un billet de 10,300 fr., afin de pouvoir à l'échéance réclamer non seulement le capital, mais encore l'intérêt des six mois écoulés. Ensuite il inscrit sur son livre, au débit de CANDIDUS, 10,300 fr.; et il inscrit à son crédit 9,991 fr. (à savoir comme créancier du montant du billet, sous la déduction de l'intérêt de six mois). Il suppose les deux sommes productives d'intérêts, de manière que CANDIDUS se trouve débiteur de l'intérêt de la différence entre 10,300 fr. et 9,991 fr. Or, au bout de trois mois, il réclame l'intérêt de cette différence, et en outre 1 % de *commission*, à raison de la somme prêtée, avec déclaration qu'à défaut de *payement immédiat*, les sommes réclamées formeront un nouveau capital.

QUESTIONS :

1° VULPINUS *a-t-il pu ajouter dans le billet l'intérêt au capital?*
2° *A-t-il pu réclamer l'intérêt de la différence entre les deux sommes inscrites sur son livre?*
3° *A-t-il pu réclamer un droit de commission pour l'argent prêté?*
4° *A-t-il pu de cette différence et de ce droit de commission former au bout de trois mois un nouveau capital?*

SOLUTIONS :

1046. — *Je réponds affirmativement à la première question.* Les billets, en effet, ne sont productifs d'intérêts qu'à l'échéance et à partir du jour du protêt; il a pu rendre ainsi la somme prêtée productive d'intérêts du jour même du prêt. En effet, les intérêts étant effectivement considérés comme une partie du capital, ils produiront intérêts bien qu'étant dus pour moins d'une année; on préviendrait cet inconvénient en n'exprimant au billet que le capital réellement prêté, avec obligation de la part de l'emprunteur de payer l'intérêt à partir du jour de l'emprunt. Mais ce mode de procéder, inusité dans le commerce, rendrait plus difficile la transmission des effets. Il semble donc convenable de présumer que les débiteurs subissent volontiers ce dommage pour faciliter les opérations, alors surtout qu'ils peuvent l'éviter en payant au temps marqué ou en renouvelant les billets.

1047. — *Je réponds négativement à la deuxième question :* car de cette manière VULPINUS a capitalisé, au jour même du prêt, l'intérêt non encore dû de 10,000 fr., et même l'intérêt de cet intérêt. En effet, la différence dont il réclame l'intérêt se compose : 1° de la somme de 300 fr., intérêt du capital prêté et qui a été fictivement ajoutée à ce capital, quoiqu'elle ne soit pas comprise dans le prêt; 2° de la somme de 9 fr., intérêt de ces mêmes 300 fr.

Je réponds négativement à la troisième question : car le prêt n'a été précédé d'aucune promesse qui ait mis VULPINUS dans la nécessité d'avoir à sa disposition les sommes que CANDIDUS demanderait à emprunter. Il n'est donc intervenu qu'un simple prêt à raison duquel le prêteur, quoique banquier, n'a droit qu'à l'intérêt légal.

Je réponds à la quatrième question : que, ces sommes n'étant pas dues, elles ne peuvent être productives d'intérêts.

FINIS TOMI PRIMI

INDEX TOMI PRIMI

CASUS

DE ACTIBUS HUMANIS

Casus I, II et III. De voluntario in genere . . . 1
— IV et V. De voluntario indirecto . . . 4
— VI et VII. Ignorantiæ effectus . . . 6
— VIII. De metus influxu . . . 8
— IX. De metu et violentia . . . *ibid.*
— X. De concupiscentia . . . 9
— XI. De objecto moralitatis . . . 10
— XII. De actibus indifferentibus . . . 11
— XIII. De circumstantiis objecti . . . 13
— XIV. De fine agentis . . . *ibid.*
— XV. De relatione actionum ad Deum . . . 14

CASUS

DE CONSCIENTIA

Casus I et II. De conscientia erronea . . . 16
— III et IV. De conscientia dubia . . . 18
— V. De conscientia scrupulosa . . . 20
— VI et VII. De probabilismo . . . 23
— VIII. De usu probabilismi . . . 26
— IX. De auctoritate Confessarii circa opiniones . . . 27
— X. De auctoritate S. Ligorii . . . 29
— XI. De mutatione sententiæ . . . 31

CASUS

DE LEGIBUS

. . . 33
Casus I, II, III et IV. De subjecto legis . . . 37
— V. De legis promulgatione . . . 38
— VI. De promulgatione legis canonicæ . . . 39
— VII et VIII. De potestate Superioris . . . 41
— IX et X. De adimpletione legis seu præcepti . . . 43
— XI. Causæ legis adimpletionem impedientes . . . 44
— XII et XIII. An obliget lex vel sententia fundata in falsa præsumptione . . . 46
— XIV, XV et XVI. Dispensatio legis . . .
— XVII. Dispensatio prius negata, et postea ab eodem Superiore, rei immemore, concessa . . . 50
— XVIII. Dispensatio ab uno Superiore negata, et postea ab illo, negationis ignaro, concessa . . . 51 53
— XIX. De lege irritante . . . 54
— XX. De lege pœnali . . . 55
— XXI. De lege civili et ejus obligatione . . . 58
— XXII. De consuetudine . . . 60
— XXIII. De privilegiis . . .

CASUS

DE PECCATIS

Casus I. De gravitate peccati 62
— II et III. Distinctio specifica peccatorum 63
— IV, V et VI. Distinctio numerica peccatorum 65
— VII, VIII et IX. De peccatis internis 69
— X. De superbia . . . . . *ibid.*
— XI et XII. De invidia 73
— XIII. De avaritia 74
— XIV. De ira . . . . . *ibid.*
— XV, XVI, XVII et XVIII. De ebrietate 75

CASUS

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS OPPOSITIS

Casus I. De sciendis et credendis 79
— II. Actus fidei, et praxis Confessarii 80
— III. Mulier hæretica in morte absoluta 81
— IV, V et VI. De professione Fidei 82
— VII. Communicatio cum hæreticis 85
— VIII et IX. De spe 87
— X et XI. De amore Dei 89
— XII. De caritate erga proximum 91
— XIII. Ordo caritatis 92
— XIV. De odio . . . . . *ibid.*
— XV. De eleemosyna 94
— XVI. De eleemosyna male acquisita 95
— XVII et XVIII. Correctio fraterna . . . . . *ibid.*
— XIX, XX et XXI. De scandalo 97
— XXII et XXIII. De choreis 99
— XXIV. De spectaculis 102
— XXV. De cooperatione 103

CASUS

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I. De oratione 105
— II. De cultu sanctorum 106
— III. De cultu Reliquiarum 107
— IV, V, VI et VII. De superstitione. *De vana observantia* 108
— VIII et IX. De divinatione 112
— X. Magia et maleficium 114
— XI. De virga divinatoria 115
— XII. De tabulis rotantibus (*tables tournantes*) 116
— XIII. De magnetismo animali 117
— XIV. De spirituum consultatione (*du Spiritisme*) 119
— XV. De tentatione Dei 121
— XVI et XVII. De sacrilegio 122
— XVIII, XIX et XX. De simonia 123

CASUS

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I. De blasphemia, et vana usurpatione SS. Nominis Dei 127
— II, III et IV. De juramento 128
— V. De adjuratione 131

Casus VI, VII, VIII et IX. De valore voti 132
— X, XI et XII. De voti obligatione 136
— XIII, XIV et XV. Cessatio voti 140
— XVI, XVII et XVIII. Irritatio votorum 143
— XIX et XX. Dispensatio a votis 145
— XXI. Votorum commutatio 147

CASUS

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I. De sanctificatione festorum 149
— II et III. Auditio Missæ 150
— IV et V. Causæ a Missa excusantes 152
— VI. Opera die festo prohibita 154
— VII et VIII. Causæ excusantes a labore die festo . . . . . *ibid.*

CASUS

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I, II, III et IV. Officia filiorum 157
— V et VI. Officia parentum 160
— VII. Officia famulorum 162
— VIII. Officia dominorum 163

CASUS

DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I et II. Occisio sui indirecta 165
— III. Mira Virginis industria 166
— IV. Vita voluntarie breviata 167
— V. Occisio innocentis 168
— VI, VII et VIII. Defensio contra injustum aggressorem 169
— IX et X. De abortu 172
— XI et XII. De duello 175
— XIII. Casus belli 177

CASUS

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

Casus I, II et III. De mendacio et restrictione mentali 181
— IV, V et VI. Detractio 184
— VII. Detractio et calumnia 187
— VIII. Infamiæ propagatio 188
— IX. Contumelia 190
— X. De secreto 191
— XI. Aperitio litterarum 192

CASUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

Casus I et II. Annua Confessio 194
— III, IV et V. Communio paschalis 196
— VI, VII, VIII et IX. De jejunio 200
— X, XI et XII. Causæ excusantes a jejunio 203
— XIII, XIV, XV et XVI. Abstinentia a carne 206
— XVII. De promiscuitate carnis et piscium . . . . . *ibid.*

Casus XVIII. Dispensatio a lege abstinentiæ 211
— XIX. Dispensatio sabbatica 212
— XX. Dispensatio implicita. 214

CASUS

DE JUSTITIA ET JURE

DE DOMINIO

Casus I, II et III. De dominio filiorum. 215
— IV. De dominio uxorum. 218
— V. De dominio Clericorum 219
— VI, VII et VIII. De occupatione. 220
— IX et X. De re inventa. 223
— XI et XII. Id. 3° et 4° *Thesaurus*. 225
— XIII. Id. 5° *Mordentes morsi* 227
— XIV. Id. 6° *Capiens captus*. 228
— XV. Id. 7° *Fures insigniter decepti*. 229
— XVI. *ad Casum* XXI. De præscriptione. 235
— XXII. De alluvione. 236
— XXIII. Specificatio et commixtio. 237

CASUS

DE INJURIA ET FURTO

Casus I. Furti gravitas 239
— II. De furtis minutis 240
— III. De furtis filiorum et famulorum. 241
— IV. De furtis uxorum. *Uxor provida*. 242
— V. Sartor industrius 243
— VI. Perna carissima (*le jambon bien payé*) 244
— VII. Non capiens captus. 245
— VIII. Matrona singularis, et famula solers. 246
— IX. Callida famula 247
— X, XI et XII. Occulta compensatio. 248

CASUS

DE RESTITUTIONE IN GENERE

Casus I, II et III. Obligatio restitutionis. 252
— IV. Ex malo bonum. 254
— V. Pistor in propriis verbis captus 255
— VI. Quis damnum subiturus? 256
— VII. Debitor recalcitrans, *seu prætextus ad omittendam restitutionem* . . 257

CASUS

DE POSSESSORE REI ALIENÆ

Casus I, II et III. Possessor bonæ fidei. 261
— IV. Id. 4° *Frugifer equus* 264
— V. Id. 5° *Infaustus asini casus?* 265
— VI, VII et VIII. Possessor malæ fidei 266
— IX. Id. 4° Cujum pecus? *an Melibæi?* 269
— X. Possessor dubiæ fidei 271

CASUS

DE INJUSTO DAMNIFICATORE

Casus I. Vir nocens jure suo utendo . . . 273
— II. Damnificator reum ex odio prodendo . . . 274
— III. Damnificator ultra voluntatem . . . 275
— IV. Scandalum damnosum . . . 276
— V et VI. Beneficium avertens . . . 277
— VII. Lugendus error . . . 278
— VIII. Caupo aliis et sibi bonus . . . 279
— IX et X. Errans in damno . . . 281
— XI. Trossulus imperitus . . . 283
— XII. Pro asse lepus . . . 284

CASUS

DE COOPERATIONE IN DAMNUM PROXIMI

Casus I et II. Mandans . . . 286
— III et IV. Consulens . . . 287
— V et VI. Consentiens . . . 290
— VII et VIII. Recursum præbens . . . 291
— IX et X. Participans . . . 293
— XI, XII et XIII. Cooperatio negativa . . . 295
— XIV. Mutus . . . 298

CASUS

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

Casus I. Solidaritas . . . 300
— II et III. Ordo restitutionis . . . 301
— IV. Infelix debitor! infelicior mandatarius! . . . 303
— V. Tempus restitutionis . . . 304
— VI. Modus restituendi . . . 305
— VII. Retributio spiritualis . . . 307
— VIII. Expensæ ad restituendum . . . *ibid.*
— IX et X. Causæ per se excusantes a restitutione . . . 308
— XI. Pueri et religiosi *ratione restitutionis* . . . 310
— XII. Debitor mundo valedicens . . . 312
— XIII et XIV. Cessio bonorum . . . 313
— XV. Debitores angustiis pressi . . . 315

CASUS

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

Casus I et II. Restitutio pro homicidio . . . 316
— III. Restitutio pro stupro . . . 318
— IV et V. Restitutio pro fornicatione . . . 319
— VI, VII et VIII. Restitutio pro adulterio . . . 321
— IX. Uxoris adulteræ confessio . . . *ibid.*
— X et XI. Defraudatio in tributis . . . 324
— XII et XIII. Damnum occasione militiæ . . . 327

CASUS

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

Casus I et II. Materia contractus . . . 329
— III. Contractus de re turpi . . . 331

Casus IV. Minor contrahens. 332
— V et VI. Uxor contrahens. 334
— VII. Consensus in contractu. . . . . *ibid.*
— VIII. Error in contractu. 336
— IX. Dolus in contractu 337
— X. Metus in contractu. 338
— XI. Conditio in contractu 339
— XII. Casus improvisus duplex. 340
— XIII. Modus vinum meliorandi 341
— XIV. Evisceratus canis 342

CASUS

DE PROMISSIONE ET DONATIONE

Casus I et II. Promissio. 344
— III. Donatio inter vivos. 346
— IV. Donatio conditionata 347
— V. Revocatio donationis. 348
— VI, VII et VIII. Donatio mortis causa. 349
— IX. Condonatio a moriente facta. 352
— X. Donatio parentum. 353
— XI. Juvenis laureatus. *Donatio quando referenda?* 355

CASUS

DE TESTAMENTIS ET LEGATIS

Casus I et II. De valore testamenti 357
— III. Id. Spectrum nocturnum 359
— IV. Testamentum simulatum 360
— V. Testamentum completum post mortem testatoris. 362
— VI. Testamentum casu destructum, et arte redivivum. 363
— VII. Dispositio incerta. *Cui clamet depositum.* 364
— VIII. Testamentum inter conjuges. 366
— IX, X et XI. De legatis. 367
— XII. Legata conditionata 370
— XIII. Legata profana, formis legalibus destituta. 371
— XIV et XV. Legata pia, informia 372
— XVI. Industrius legatarius. 375
— XVII. Fidei-commissum. 376

CASUS

DE COMMODATO, DEPOSITO, MANDATO ET MUTUO

Casus I. Commodatum 378
— II. Commodatarius infelix! 379
— III, IV, V et VI. Depositum. 380
— VII, VIII et IX. Mandatum 384
— X. De negotiorum gestione 387
— XI, XII et XIII. De mutuo 388
— XIV et XV. Ratio ab usura excusans. 392
— XVI. Lucrum taxam legis excedens 394

CASUS

DE VENDITIONE EJUSQUE SPECIEBUS

Casus I. Æquitas in venditione 396
— II. Vitia rei manifestanda. 397

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI DD. MEIGNAN, ARCHIEPISCOPI TURONENSIS

Egregios P. Gury, S. J., *Casus conscientiæ*, a R. P. Henrico Dumas, ex eadem Societate, recognitos, auctos nec non recentioribus Sedis Apostolicæ decisionibus accommodatos, iterum typis mandari libentissime permittimus, atque animarum pastoribus enixe commendamus.

Datum Turonibus, 30 Julii 1885.

† GUILLELMUS RENATUS,

Archiepisc. Turonensis.

LETTRE

DE SON ÉMINENCE LE CARDINAL ARCHEVÊQUE DE LYON

AU R. P. DUMAS

Mon Révérend Père,

J'apprends que vous vous disposez à publier une nouvelle édition des deux ouvrages du R. P. Gury, le *Compendium Theologiæ moralis* et les *Casus conscientiæ*. Les œuvres du savant professeur ne sont plus de celles qui ont besoin d'être recommandées : on les trouve dans les mains de tous ceux qui se livrent à l'étude de la théologie, et, fort justement, elles sont à leurs yeux un des guides les plus utiles et les plus sûrs. Aussi les membres du clergé vous sauront-ils gré du zèle avec lequel vous vous attachez non seulement à les conserver, mais encore à les compléter et à les perfectionner. Je suis heureux, pour ma part, de vous en féliciter et de vous en remercier.

Recevez, mon Révérend Père, l'expression de mes sentiments aussi affectueux que dévoués.

Lyon, 4 octobre 1881.

† L.-M. Card. CAVEROT,

Arch. de Lyon.

AD LECTORES BENEVOLOS

Cum *Theologiæ Moralis Compendium*, paucis abhinc annis a me conscriptum, et in lucem editum, vobis, Venerandi animarum Moderatores, studiosique Theologiæ candidati, gratum acceptumque visum fuerit, inde animosior factus sum, ut aliud opusculum, nempe de *Casibus practicis conscientiæ*, studio ac benevolentiæ vestræ proponerem ac offerrem.

Res hujuscemodi, non diffiteor, valde ardua est, atque periculis plena; sed quo majores a me fuerunt aggrediendæ et superandæ difficultates, eo major indulgentia a vobis mihi erit exspectanda et concedenda. Neque labori, neque studio peperci, ut hunc libellum ad finem mihi præstitutum perducerem, et nonnihil utilitatis, vobis et animabus sanguine Christi redemptis sollicitudinique vestræ commissis, adferrem. O me felicem, si hoc consecutus fuero! o me ter quaterque beatum, si, exigua hac opera mea, labores studiaque vestra sublevavero!

Doctrinam eamdem jam in *Compendio* confertam ac concinnatam, mutata forma, adjectis vero applicationibus bene multis, hic reperietis, ita ut hoc novum opus, velut prioris explicatio, evolutio et quoddam complementum haberi possit. Servato eodem rerum ordine, casus nonnulli circa præcipuas Theologiæ Moralis quæstiones, posthabitis aliis solutu facilioribus, proponuntur.

Casus non paucos quoad substantiam, et quandoque in ipsis verbis, ex antiquis auctoribus, præsertim Elbel, Voit et Pontas, deprompsi, temperata et quandoque etiam mutata doctrina, quoties id opportunum esse duxi, duce vero, fere semper, eximio doctore S. Alphonso de Ligorio. Verum multo plures casus exaravi ex iis quæ mihimetipsi, in animarum directione, per longam annorum seriem occurrerunt, aut quæ, consilii causa, a venerandis Sacerdotibus mihi proposita sunt.

Faxit Deus, ut speciali hujus operis forma, velut pia quadam curiositate, juniores Clericos ad frequentius et constantius Theologiæ Moralis studium promovendum, provectiores autem ætate ad scientiam quotidianæ necessitatis recolendam, pertraxerim. Quod si istud contigerit, operam meam apposite impensam arbitrabor, atque in Domino gaudebo.

ADNOTANDA

I. Nonnullæ voces quæ frequentius in hoc Opere occurrent, eæ brevitatis causa per syncopem scribentur. Præcipuæ sunt : *S. Lig.* (S. Ligorius, in opere majori Theologiæ Moralis.) — *S. Lig. Hom. apost.* (S. Ligorius, in Compendio ab ipso S. Auctore confecto, cui titulus : *Homo apostolicus.*)

S. Thom. 2. 2. *q.* 55. *art.* 1. S. Thomas, in Summa, parte secunda secundæ, quæstione 55, articulo 1.)

Salm. vel *Salmant.* (Theologia moralis Salmanticensium religiosorum, nimirum Carmelitarum in Collegio Salmanticensi professorum.)

Coll. Andegav. (Collationes Andegavenses, *Conférences d'Angers.*)

Trid. (Concilium Tridentinum.)

Catech. Trid. (Catechismus Concilii Tridentini.)

Lug. vel *Lugo.* (Cardinalis de Lugo.) *Ronc., Busemb., Bonac., Tambur.* (Roncaglia, Busembaum, Bonacina, Tamburini.)

Adde alias non paucas usu communi receptas abbreviationes, quas inutiliter referremus.

II. Quoties aliquis numerus ex variis auctoribus indicabitur, is ad tractatum ejusdem rei de qua agitur apud illos auctores referendus erit; sic, v. gr., si in tractatu de Legibus reperias *S. Lig. n.* 40, intelligas : *S. Lig. n.* 40, *in tractatu de Legibus.* Quod si quando locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse a nobis indicabitur.

III. Auctores varios in confirmandam nostram doctrinam adductos, ad majorem tractationis perspicuitatem, post expositas rei rationes retulimus : non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendæ sunt; eorum enim testimonium adducitur multo magis ad doctrinæ quam ad rationum confirmationem.

Casus III. Equus cæcus pro vidente venditus 398
— IV et V. De justo pretio 399
— VI. Id. De tabaci delectu, seu *de gustibus non est disputandum*. 402
— VII. Id. Tabella insignis, pretio vilis. 403
— VIII. Id. Arcanæ litteræ! 404
— IX. Id. Thesaurus a talpa effossus 405
— X. Thesaurus in pisce! 406
— XI. Margarita in sue! . . . . . *ibid.*
— XII. Pro epulis noctuæ! 407
— XIII. Res vendita *periens ante traditionem*. 409
— XIV. Venditor industrius. 410
— XV. Venditio jurium incorporeorum. 411
— XVI. Retrovenditio. 412
— XVII. De relatione mercatoria (*report*). 413
— XVIII. Venditio sub hasta. 415
— XIX. Id. Prodigiosa B. Virginis imago. 416
— XX. Id. Cinaræ coquo carissimæ (*Artichauts bien payés*) 417
— XXI. Monopolium. 418
— XXII. De transactione. 420
— XXIII et XXIV. Negotiatio 421

CASUS

DE LOCATIONE ET RELIQUIS CONTRACTIBUS ONEROSIS

Casus I. Locatio personalis 424
— II et III. Locatio realis 425
— IV. Emphyteusis. 428
— V et VI. Societas. 429
— VII et VIII. Cambium 431
— IX. Negotiatio pecuniæ 433
— X. Pecunia ex præcedenti promissione mutuata. 436
— XI. Mutuum simplex a nummulario fucatum. 437
— XII. De censu vitalitio 439
— XIII. De fide jussione. 440
— XIV. De pignore. 441
— XV. De assecuratione. 442
— XVI. Hypotheca 443
— XVII, XVIII et XIX. De sponsione. 445
— XX, XXI et XXII. De ludo 447
— XXIII. Id. Pro puncto Martinus asinum perdidit. 450
— XXIV. Id. Astus astu captus. 452

NOTANDA

Versio gallica casus XVII. De venditione, seu *de relatione mercatoria* (*du report*), a n. 946 et seq. 454
Versio gallica casus IX. De negotiatione pecuniæ (*compte courant*), a n. 992 et seq. 455
Versio gallica casus X. De negotiatione pecuniæ (*crédit ouvert*), a n. 999 et seq. 458
Versio gallica casus XI. De negotiatione pecuniæ (*simple prêt dissimulé par le banquier*), a n. 1001 et seq. . . . . *ibid.*

FINIS INDICIS TOMI I

21265. — TURONIBUS, TYPIS MAME

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.G71885 C001 V001
CASUS CONSCIENTIAE IN PRAECIPUAS QUAESTI
3 0311 00044 2207

WITHDRAWN